Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.

+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.

+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.

+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
D
10
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JUS NATURÆ

METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATVM.

PARS OCTAVA, SIVE VLTIMA.

DE

IMPERIO PVBLICO,

SEV

JVRE CIVITATIS,

IN QVA

OMNE JVS PVBLICVM VNIVERSALE DEMONSTRATVR

ET

VERIORIS POLITICAE INCONCVSSA FVNDAMENTA PONVNTVR.

AVCTORE

CHRISTIANO L. B. DE WOLFF,

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS CONSILIARIO INTIMO, FRIDERICIANAE CANCELLARIO ET SENIORE, JVRIS NATVRAE ET GENTIVM ATQVE MATHESEOS PROFESSORE ORDINARIO, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO, ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARVM PARISINAE, LONDINENSIS AC BORVSSICAE MEMBRO.

CVM PRIVILEGIIS

HALAE MAGDEBVRGICAE M DCC XLVIII.

PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

PRINCIPI

AC

DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

REGI BORVSSIÆ, MARGGRAVIO BRANDENBVRGENSI, SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-CAMERARIO ET PRINCIPI ELECTORI, SVPREMO SILESIÆ DVCI, PRINCIPI SVPREMO ARAVSIONENSI, NOVI CASTRI ET VALENGIÆ, NEC NON COMITATVS GLACENSIS, GELDRIÆ, MAGDEBVRGI, CLIVIÆ, JVLIACI, MONTIVM, STETINI, POMERANIÆ, CASSVBIORVM, VANDALORVM ET MEGAPOLIS, NEC NON CROSNÆ DVCI, BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI, VANDALII, SVERINI, RACEBVRGI, OSTFRISIÆ ET MVRSII, COMITI HOHENZOLLERÆ, RVPPINI, MARCÆ, RAVENSBERGI, HOHENSTEINII, TECKLENBVRGI, SVERINI, LINGÆ, BVRÆ ET LEERDAMI, DOMINO RAVENSTEINII, ROSTOCHII, STARGARDIÆ, LAVENBVRGI, BVTOVIÆ, ARLAYÆ ET BREDÆ

&c. &c. &c.

REGI AC DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO

Digitized by Google

REX AUGUSTE,

Boni Principis eſt ita regere Remp. ut poteſtate ſumma utatur ad ipſius ſalutem. Id inprimis ſibi datum exiſtimat, ut ſcientias protegat, veritatis amore virtutis amorem civibus inſtillet & eorum mores commodos atque mites effingat; ut ſecurum reddat populum ſuum ab omni impetu violentiæ hoſtilis; ut juſtitia, ſocietatem conjunctionis tam huma-

Digitized by Google

humanæ, quam civilis munifice & æque tuens, ſancte colatur, leges optimæ condantur & poenæ juſtæ de ſontibus exigantur, ne crimina & delicta maneant impunita; nec tamen ultra meritum puniantur; ut denique rerum omnium ad vitam commode, jucunde atque decore transigendam neceſſariarum copia adſit, & facilis ad opes atque divitias via, ſine quibus civitas potens eſſe nequit. Ita nimirum & beata erit Resp. & tuta ab omni vi hoſtium, ad ſummum perducta, quantum fert rerum humanarum conditio. Hæc autem tanta munia non rectius obire datur, quam ſi Princeps ſapiens atque prudens per ſe regat Remp. & miniſtris fidelibus utatur in exequendis iis, quæ ſtatuit atque decrevit. Nihil difficilius eſſe bono regimine, quam ſi Principem totum teneat fiducia conſiliario-

Digitized by Google

rum ſuorum, præſertim ſi aurem facilem præbeat adulatoribus, ubivis gentium cura ſagaci viderunt Principes, quibus bono regimine nihil magis curæ cordique fuit. Primi Sinenſium Imperatores, Monarchiæ vaſtiſſimæ ſine exemplo conditores, cum nihil magis curæ haberent, quam ut formam Reip. quam optime conſtituerent, ſucceſſores ſibi elegerunt viros perſpicaces, ſapientes, prudentes, induſtrios & ſalutis publicæ amantes, liberis, cognatis atque iis, quibus ſtudebant, præteritis, eumque adhuc in vivis eſſent, in imperii ſocios eosdem adſciverunt, ut eorum in regendo dexteritatem ac voluntatem experirentur. Tanta quoque erat Miniſtrorum, quibus utebantur, ſinceritas atque fidelitas, ut, ſi forte contingeret imperium uni eorum deferri ab Imperatore, is vero noſſet virum ad gubernandam Remp.

Digitized by Google

Remp. ſe aptiorem, hunc imperatori maxime commendaret. Tantus iſto ævo erat veritatis amor, tanta ſalutis publicæ cura, ut vana gloria ſuperbire nollent, qui quod optimum erat fieri deſiderabant. Convenire hæc æternæ iſti legi, quam ipſa natura Imperantibus conſtituit, abundet patet ex iis, quæ in præſenti volumine demonſtrata ſunt. Et utinam omnes populorum Rectores ad normam iſtius legis dirigerent rẽgimen ſuum! Hoc enim pacto bene ageretur cum toto genere humano, quod æterna illa lex, felicitatis omnis fons unicus atque perennis, arctiſſimis vinculis copulavit, modo hæc non revellerent qui illam contemnunt & utilitati propriæ ita ſtudent, ut nulla ipſos cura tangat alienæ. TIBI, REX SAPIENTISSIME, animo fixum immotumque ſedet, optime regere populum, qui imperio

Digitized by Google

perio tuo paret. Poteſtate igitur ſumma non aliter uti decreviſti, quam ut ſub regimine tuo floreat Resp. & futuræ felicitatis firma capiat fulcimenta. Vix ſolium conſcenderas, cum ad augenda ſcientiarum & literarum incrementa animum appelleres & quamvis a Minerva ad caſtra ſua TE Mars avocaret, non tamen inter arma abjiciebas curam omnem, quæ prima animum tuum occupaverat. Proxima vero cura erat, ut pacem & tranquillitatem perpetuam ſubditis tuis dares & terras tuas adverſus omnem vim hoſtium & injurias exterorum tutas præſtares. Quam deploranda ſit Juſtitiæ facies, dudum agroverunt veri Juſtitiæ ſacerdotes; ſed tanto malo nemo hactenus medelam fecit. TVAE igitur MAJESTATI reſervatum fuit, ut lites in foro ſine ulla mora & ſumtuum profuſione

Digitized by Google

fusione componantur, & cives tui Jure certo utantur, nec dubiis doctorum haud raro toto coelo inter se dissentientium opinionibus tanquam aleæ fallaci juris controversi definitiones committere teneantur. Immo nec minor est, quæ animum MAJESTATIS TVAE maxime sollicitum tenet, de civitate locupletanda cura, quam commerciis tum inter se, tum cum exteris exercendis impendis. Consona hæc sunt iis, quæ ad bonum regimen & Remp. recte constituendam requiri in præsenti opere, quod Juri Naturæ colophonem addit, demonstravi. Nullus itaque dubito fore, REX AC DOMINE CLEMENTISSIME, ut ultimum hunc Tomum, quem MAJESTATI TVAE humillima mente offero, eodem vultu suspicias, quo omnes anteriores, hoc est, gratiosissi-

Digitized by Google

mo. Totum hoc opus ab augusto Nomine tuo splendorem trahit, sed simul Gloriæ tuæ monumentum est, quod statui jussit pietas & animus gratus. Servet TE DEus, REX POTENTISSIME, ut feliciter perficias omnia, quæ in salutem subditorum tuorum animo concepisti. Ita vovet

AVGVSTÆ
MAJESTATI TVÆ

Subjectissimus ac fidelissimus
CHRISTIANVS DE WOLFF.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Siſtimus hic Tibi, benevole Lector, Tomum octavum eumque ultimum Juris Naturæ, quod methodo demonſtrativa in ſyſtema veri nominis redigere conſtitueramus. Agimus in eo de Imperio publico, ex pacto ortum

Digitized by Google

tum ſuum trahente, quo civitates conſtitutæ. Imperium autem publicum, ſi in ſe ſpectetur, nihil aliud eſt quam Jus univerſis in ſingulos competens, quatenus eorum actiones ad finem civitatis dirigendæ. Ex hoc igitur metiendum eſt, ſed ita, ut ejus exercitium ad normam legis naturæ in anterioribus Tomis plenius expoſitæ componatur, ſive idem populus per ſe exerceat, ſive per alium, aut alios. Quemadmodum enim Jus naturæ regit omnes actus humanos, ita etiam eos, quibus exercitium imperii publici conſtat. Naturaliter non concipitur imperium civile, ſive publicum, niſi voluntarium, cum natura homines omnes liberi ſint, nec juri alterius quis ſubjici poſſit niſi voluntate ſua. Quamobrem nec naturaliter Jus iſtud aliter concipi poteſt, quam quale eſt in populo in civitatem libere

Digitized by Google

libere coëunte, Jure naturæ non repugnante, ſed potius approbante, immo jubente. Atque hæc ratio eſt, cur imperium publicum non conſideremus niſi quatenus voluntarium eſt. Quamvis enim contigerit, imperium quoque quæri in invitos, poſtquam civitates plures fuerunt conſtitutæ, & bella inter gentes orta ſunt, vel in eadem civitate factiones extiterunt, aut homines aſtuti & callidi imperium ad ſe traxerunt; de eo tamen non ante certi quid ſtatui poteſt, niſi Jure Gentium perſpecto, quod peculiari opere explicare conſtituimus. In præſenti non moramur objectiones, quæ a nonnullis fieri poterant, quod Jus Gentium a Jure naturæ quaſi ſeparemus, cum tamen gentes inter ſe non alio utantur jure niſi naturali: rationem enim inſtituti reddemus in ſequente opere, in quo Jus

Digitized by Google

Gentium omne fuſius demonſtraturi ſumus. Quoniam vero Jus Gentium ſeparatim traditurí ſumus, nonnulla in præſenti prætermiſimus, de quibus alias dicendum fuiſſet. Abſit itaque ut tibi perſuadeas id in curia factum fuiſſe! In præſenti imperium publicum primo conſideramus, quale ex pacto reſultat, quo in civitatem coivere homines libera ſua voluntate, ac per conſequens quale originarie in populo eſt, & quodnam jus populo in imperium tanquam rem ipſi propriam competit. Quoniam vero populus imperium vel ſibi retinere, vel pro lubitu in alium, vel alios transferre poteſt; expoſitis diverſis translationis modis oſtendimus, quænam inde oriantur diverſæ Rerump. formæ, & qualia ſint in iſtis jura pro varietate formarum varia. Ut vero diſtincte concipiantur ſingula jura, quæ impe-

Digitized by Google

imperium publicum continet; prolixe demonſtramus ea, quæ in Rep. conſtituenda ſunt, ut finis civitatis obtineatur. Extra omnem nimirum dubitationis aleam poſitum eſt, ſi lex naturæ det jus ad finem, eandem quoque dare jus ad media, ſine quibus conſequi non valemus, aut quibus ſaltem uti per officia lege naturali præſcripta licet. Atque ita demum manifeſta fiunt jura, ſine quibus imperium civile exerceri nequit, & quæ majeſtatica appellari ſolent. Quamvis vero per ea, quæ in civitate finis conſequendi cauſa conſtituenda ſunt, abunde intelligatur, quænam ſint tam imperantium, quam parentium officia; de iis tamen expreſſius adhuc quædam dicenda fuerunt. Plura ut dicam, ſuperfluum exiſtimo, cum per ſe pateant ei, qui vel fugitivo oculo ipſum opus perluſtrare voluerit.

Digitized by Google

rit. Atque ita Jus naturæ absolvimus, cui omnem suam amplitudinem, quam habet, tribuimus, nisi ad idem nobis minime contradicentibus referre etiam volueris, quæ adhuc de Jure Gentium in peculiari volumine demonstraturi sumus. Ceterum non est, quod existimes, nos in ea esse opinione, quasi omnem ambitum Juris naturæ emensi fuerimus, ut nihil prorsus addi possit. Jus enim naturæ non minus in exhaustum quasi mare est, quemadmodum quodvis aliud scientiarum genus. Sicuti autem ex *Euclidis* Elementis, tanquam ex fonte, derivantur continuo nexu cetera, quæ in Matheſi demonstrantur; ita confidimus ex iis, quæ in Jure naturæ a nobis tradita sunt, deduci ulterius posse, quæ in casu quocunque emergente definienda veniunt. Neque etiam displicebit, si quis meliora

Digitized by Google

liora noſtris dare potuerit, qui ſolo veritatis amore ducimur, non gloria ſtudio. Quodſi vero cuidam litigare viſum fuerit, eum certum eſſe velim, nos minime cum ipſo ferram contentionis reciprocaturos: id quod nec ætati, nec dignitati meæ, nec moribus meis convenit, qui a litibus & altercationibus alienum ſemper habui animum & quantum potui cavere ſtudui, ne quis per me famæ ſuæ detrahi jure conqueratur. Fruatur unusquisque per me laude ſua ſive merita, ſive immerita, quam nemini invideo. Quemadmodum vero ego me adulari non ſino, cui nihil moleſtius accidit quam aſſentatoribus patefacere aures, cum modulo meo me metiri dudum didicerim; ita jure ab aliis quoque exigo, ne me adulatorem eſſe velint. Sæpius profeſſus ſum & adhuc profiteor, me non ad pompam philoſophari, ſed hoc unice mihi propoſitum

Digitized by Google

esse, ut eorum studium juvem, qui a me se juvari posse confidunt, & ut alios ad magis præclara præstandum incitem atque præparem. Utinam vero omnes veritatis amore ducti ulterius progredi mallent, quam inutilibus repetitionibus aut frivolis & præcocibus censuris eorum, quæ nondum satis intelligunt, tempus fallere. Mihi tempus res longe pretiosissima est & multa adhuc agenda supersunt, ut maxime cavendum sit, ne vel pars minima male consumatur. In eo igitur tramite, quem ingressus sum, pergam, donec vis major gradum sistere jubeat, parum sollicitus, utrum huic, vel illi placeam, an displiceam, & probe gnarus dari plurimos, quibus displicere laudis est. Restat unum, quod silentio prætereundum non est. Jus in imperium confundendum non est cum ipso imperio. Jus in imperium, quale originarie in populo est, dominium

est:

Digitized by Google

eſt: ſunt enim res etiam incorporales in dominio. Et ab eo pendet diverſus modus habendi imperium, ut regna alia ſint patrimonialia, alia uſufructuaria: id quod etiam in Ariſtocratia locum habere poteſt. Ac inde porro eſt, ut modus habendi imperium nihil mutet in ipſo imperio, ſed hoc mutationem ſubire non poſſit ullam niſi pactione inter ſuperiorem & populum inita. Imperium vero ipſum perperam aſſimilatur dominio & non toleranda confuſione concipitur per modum dominii, in quo ſunt ſubditi & res ſubditorum, aut ſaltem terræ, in quibus imperium habet civitatis Rector. Nec minus a vero aberratur, ſi quis exiſtimet, dominium ita adhærere imperio, ut ſine eo concipi non poſſit. Negari haud quaquam poteſt, multos in Jus publicum univerſale irrepſiſſe errores, longo uſu probatos, quod illa non ſatis a ſe invicem diſtinxerint.

Digitized by Google

xerint. Intererat autem maxime generis humani, ne adeo diverſa inter ſe confunderentur, cum confuſio iſta plurimorum bellorum cauſa extiterit & hodienum exiſtat, quibus nihil magis nocuum generi humano cogitari poteſt. Trahunt poſt ſe bella ingentem cumulum malorum: id quod his ipſis diebus experiuntur gentes, in quas Mars furibundus ſævit. Sed det DEVS hiſce quoque malis finem! Halæ d. 19. Aprilis An. 1748.

JUS

Digitized by Google



JURIS NATURÆ
PARS OCTAVA.
DE
IMPERIO PUBLICO, SEU IURE CIVITATIS.

CAPUT I.
De origine civitatis atque imperii publici.

§. 1.

Domus singulæ sibi non sufficiunt in iis, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem, immo felicitatem faciunt, nec quiete jure suo frui, & quod ab aliis ipsis tribuendum satis tuto consequi, seque ac sua adversus vim aliorum defendere valent. De indigentia domuum singularum. Domus perfecta componitur ex societate conjugali, paterna & herili (§. 1147. *part. 7. Jur. nat.*), consequenter in ea sunt maritus & uxor (§. 282. *part. 7.*

Digitized by Google

Jur. nat.), liberi (§. 633. *part.* 7. *Jur. nat.*) & ſervi atque ancillæ (§. 1081. *part.* 7. *Jur. nat.*), vel famuli atque famulæ (§. 1131. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quotcunque tandem numeres liberos, quotcunque etiam famulos atque famulas, vel ſervos atque ancillas, ſi perpendas ea omnia, quæ ad vitæ neceſſitatem faciunt ejusdemque commoditatem ac jucunditatem, facile patebit, fieri minime poſſe, ut illorum opera ea conſequaris, nec opus habeas tibi comparare ab aliis, quibus indiges cum tuis, nec alii viciſſim a te ſibi comparare habeant opus, quibus ipſi indigent. Quamobrem nemo in dubium vocare poteſt, quod nulla domus, etiamſi ampliſſima, ſibi ſufficiat quoad ea, quæ ad vitæ neceſſitatem ac jucunditatem faciunt. *Quod erat primum.*

Felicitatem conſequimur legis naturalis cuſtodia (§. 396. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), eademque eam conſervamus (§. 397. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter virtus conſtanter colenda (§. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), vitium omne fugiendum (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Patebit inferius, in Republica bene conſtituta quæ huc faciunt facilius obtineri poſſe, quam ſi domus ſingulæ ſibi relinquantur. Tumque haud difficulter patebit, ſingulas domus ſibi non ſatis ſufficere in iis, quæ ad felicitatem faciunt, ſaltem ea non eadem facilitate conſequi poſſe. *Quod erat ſecundum.*

Denique nemo non novit, eam eſſe plurimorum malitiam, ut alienis inhient, nec velint ſuum unicuique ſponte tribuere, immo, niſi majus malum metuendum, vi tam corpus, quam res aliorum impetant. Quodſi ergo tuo quiete frui & ab aliis, quod tibi debetur, conſequi volueris, vi arcenda eſt aliorum injuria & vi perſequendum jus tuum adverſus eos, qui id tibi reddere denegant, immo vi defendendum

Digitized by Google

dendum eſt corpus, defendendæ ſunt res tuæ adverſus aggreſſores. Singulæ igitur domus ſine continuis bellis jure ſuo frui & quod ab aliis ipſis tribuendum conſequi nequeunt (§. 1102. 1114. *part. 1. Jur. nat.*). Immo ſi plures homines malitioſi conſocientur, ſingulæ domus adeo potentes non ſunt, ut vi eorum reſiſtant, conſequenter ſe ſuaque defendant (§. 972. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem patet, ſingulas domus ſibi relictas ſeu ſegreges, jure ſuo quiete frui, quod ab aliis ipſis tribuendum ſatis tuto conſequi, ſeque ac ſua adverſus vim aliorum defendere haud quaquam poſſe. *Quod erat tertium.*

Non eſt quod exiſtimes ſumi in demonſtratione propoſitionis præſentis, quibus contradicat experientia, quatenus & olim fuere & hodienum ſunt gentes nonnullæ, apud quas ignoratur alieni cupido, ignorantur bella ac lites propter meum & tuum, immo apud quas plus valet vitiorum ignorantia, quam apud alias ſcientia virturis. Etenim gentes iſtæ barbaræ ac incultæ ſunt & vitæ ſimplicitate contentæ. Quamobrem ſi memineris eorum, quæ de vitæ ſimplicitate prolixe admodum demonſtravimus, & annotavimus, cum de tollenda communione primæva & introducendis dominiis ſingularibus ageremus (§. 69. *& ſeqq. part. 2. Jur. nat.*); ſi quod ſubnaſci poteſt dubium, id omne protinus evaneſcet. Demonſtravimus in vitæ ſimplicitate homines non poſſe ſatisfacere obligationi naturali (§. 79. *part. 2. Jur. nat.*). Unde omnino ſequitur, eos in ſimplicitate vitæ ſubſiſtere minime debere. Quodſi vero ab ea recedatur, cum fieri minime poſſit, ut omnes ad virtutem infucatam adducantur, experientia magiſtra facile diſcimus, ſi domus ſingulæ ſibi relinquantur, nec inter ſe uniantur, continuum fore bellum, nec quemquam eſſe poſſe rerum ſuarum, immo ipſius vitæ ſecurum, ſi vel maxime ſupponas, in multiplicandis rebus induſtrialibus & artificialibus nihil prorſus deſiderari poſſe: id quod num ſupponi poſſit in illo ho-

Digitized by Google

minum ſtatu merito adhuc dubitari poterat. Equidem abſolute impoſſibile non eſt, ut domus ſingulæ ſibi relictæ ſibi invicem omnia humanitatis officia præſtent, ſibi invicem jus ſuum tribuant, nec una alteram lædat, quemadmodum urget lex naturæ, prouti ex iis intelligitur, quæ de officiis erga alios demonſtrata ſunt ſuo loco, ad domus utique applicanda (§. 161. *part. 7. Jur. nat.*); ſupponendi tamen ſunt homines, quorum conſtans & perpetua eſt voluntas nil quicquam faciendi, niſi quod legi naturæ convenit, & omnia omittendi, quæ eidem repugnant. Enimvero non ſupponendi ſunt homines, quales eſſe debent, ſed quales ſunt. Nemo igitur non agnoſcit, ſolam legis naturalis reverentiam efficere minime poſſe, ut in libertate naturali beati & ſecuri inter ſe vivant homines. Naturalis obligatio non ſufficit coërcendis hominibus, qui cupiditatum illecebris & affectuum impetu in transverſum abripiuntur.

§. 2.

Quomodo eidem conſulatur.

Quoniam domus ſingulæ ſibi non ſufficiunt in iis, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem ac jucunditatem, immo felicitatem faciunt, nec quiete jure ſuo frui, & quod ab aliis ipſis tribuendum ſatis tuto conſequi, nec ſe ac ſua adverſus vim aliorum defendere valent (§. 1.); *neceſſe eſt, ut plures domus inter ſe conveniant, quod vires mutuas impendere velint parandis iis, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem ac jucunditatem faciunt, varia negotia huc requiſita partituri; omnem curam adhibere, ut unusquisque jure ſuo quiete fruatur & quod ab alio ipſi tribuendum tuto conſequatur, nec a quoquam lædatur; conjunctis denique viribus ſe ſuaque adverſus vim aliorum defendere.*

Habemus hic motiva, quæ domus ſeu familias ſegreges impulerunt, immo impellere debuerunt, ut in unam ſocietatem, unum quaſi corpus, tanquam plura membra coaleſcerent, nimirum indigentiam, & impotentiam, quarum illa obſtat, quo minus

Digitized by Google

minus vitam cultiorem reddere possint, hæc autem in causa est, ut injuriis arcendis ac vindicandis non sint pares. Sunt qui hæc motiva disjungunt, quæ tamen conjungenda esse res ipsa loquitur, & ex speciali tractatione uberius elucescet, sit ita quod motivum posterius fortius impellat, & solum suadere potuisset domuum, seu familiarum unionem.

§. 3.

Quoniam societatem ineunt, qui de fine quodam conjunctis viribus consequendo inter se paciscuntur (§. 1. *part. 7. Jur. nat.*); *si plures domus inter se conveniunt, quod conjunctis viribus sibi parare velint, quæ ad vitæ necessitatem commoditatem ac jucunditatem, immo felicitatem faciunt, omnem curam adhibere, ut unusquisque iure suo quiete fruatur & tuto ab alio id consequatur, nec ab alio ladatur, conjunctis denique viribus adversus vim aliorum se defendere, societatem contrahunt.* *Societatem scilicet contrahendo.*

Patet itaque, quomodo homines impulsi fuerunt ad societatem compositam contrahendam, quæ ad majorem multitudinem extenditur, quam quæ in domibus locum habere poterat.

§. 4.

Societas inter plures domus contracta eo fine, ut conjunctim sibi parent ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem, immo felicitatem requisita, & curent, ut unusquisque jure suo quiete fruatur & tuto ab alio id consequatur, atque se suaque adversus vim quamlibet externam defendant, *Civitas* dicitur, idiomate patrio ein Staat. Atque adeo patet, *pacto hominum civitates fuisse constituendas.* *Civitas quid sit.*

Finem civitatis distincte exprimere voluimus, immo debuimus in definitione, cum ex eo cetera omnia, quæ sequuntur, sint demonstranda: neque enim satis clare ac perspicue paucis quibusdam verbis eundem exprimere licuit, præsertim si ea,

quæ hic traduntur, cum iis euidenter cohærere debeant, quæ in parte præcedente de ſocietate in genere demonſtrata ſunt, & ſi demonſtrationes ſubſequentes, quoad evidentiam nihil pati debeant detrimenti.

§. 5.

Populi ſeu genti definitio.

Multitudo hominum in civitatem conſociatorum dicitur *Populus*, ſive *Gens*, idiomate patrio ein Volck. Quamobrem cum civitas, tanquam ſocietas (§. 4.) fine differat ab aliis ſocietatibus (§. 3. *part.* 7. *Jur. nat.*); *multitudo hominum alio fine conſociatorum, quam qui civitatis eſt, populus*, ſive *gens non eſt.*

Non ex multitudine conſociatorum, ſed ex fine, cuius cauſa conſociantur, cenſetur civitas. Etſi adeo coetus piratarum ac latronum tantus ſit, ut civitati conſtituendæ ſufficiat; cum tamen non alio fine conſocientur, quam ut ex ſpoliis aliorum diteſcant, in civitatem coaluiſſe dici nequeunt, nec per conſequens populis, aut gentibus coetus iſtiusmodi annumerari poteſt. Plurimum vero refert coetum hominum ſceleratorum criminis cauſa conſociatorum a populo diſtingui, ne jura gentium ad eum perperam applicentur.

§. 6.

Cives quinam dicantur.

Membra civitatis, ſeu ſinguli, qui ſocietatem civilem ineunt, dicuntur *Cives.*

Cum ſocietatem civilem contrahant domus (§. 4.), membra civitatis videntur eſſe domus (§. 5. *part.* 7. *Jur. nat.*). Enimvero cum domus una non obligetur ceteris omnibus, inter quas cum ipſa ſocietas contracta, niſi quatenus perſonæ, quæ ſunt in una domo, obligantur perſonis, quæ ſunt in ceteris; Civium nomine ſenſu magis commodo appellantur ſinguli homines, quos ſocietas civilis tenet. Significatus hic vocabuli latior tanquam termini technici cum dudum ſit receptus, nec a nobis reſtringendus erat.

§. 7.

Digitized by Google

§. 7.

Peregrinus dicitur, qui membrum civitatis noſtræ, ſeu civis noſter non eſt, *Peregrinus quinam dicatur.*

Opponitur nimirum peregrinus civi. Eſt vero vocabulum peregrini reſpectivuum. Unde qui alterius civitatis membrum eſt, reſpectu civitatis, cujus nos ſumus membra, dicitur peregrinus, & nos peregrini ſumus reſpectu illius, civitatis cujus ipſe eſt membrum. Ita Germani ſunt peregrini Gallis; Galli autem peregrini Germanis.

§. 8.

Incola dicitur peregrinus, cui habitare & rem ſuam agere permittitur in aliena regione. *Incolæ* igitur *membra civitatis, ſeu cives non ſunt* (§. 6. 7.). *Incola quinam ſit.*

Poſſunt peregrini recipi in numerum civium, quo facto peregrini non amplius ſunt. Poſſumus vero etiam peregrinis ſaltem permittere, ut in regione noſtra habitent & v. gr. mercaturam exerceant, vel etiam operas civibus locent, non tamen in civium numerum recipiantur.

§. 9.

Commune civitatis bonum conſiſtit in eo, ut abundet iis, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem & jucunditatem faciunt & felicitati ſingulorum ſufficienter proſpiciatur, & tutus quilibet ſit ab injuriis aliorum & a vi externa hoſtium, ipſa denique civitas ſatis potens ad huic reſiſtendum. Etenim commune ſocietatis bonum eſt ipſe finis, cujus gratia contracta (§ 11. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem cum civitas ſit ſocietas (§. 4.), & ea contrahatur non alio fine, quam ut vires mutuæ impendantur parandis iis, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem & jucunditatem, immo felicitatem faciunt, ut unusquisque jure ſuo quiete fruatur & idem tuto ab aliquo conſequi *Commune bonum ſocietatis in quo conſiſtat.*

Digitized by Google

sequi possit, nec a quoquam lædatur, consequenter ne jus ipsius violetur (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ac ideo ab injuria tutus sit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), ut denique conjunctis viribus tota civitas se suaque adversus vim externam defendat (§. 4.), ac per consequens non modo quilibet securus sit de vi externa hostium, sed integra quoque civitas satis potens ad eidem resistendum (§. 972. *part. 1.* & §. 690. *part. 2. Jur. nat.*); commune civitatis bonum utique in eo consistit, ut abundet iis, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem faciunt, ut singulorum felicitati sufficienter prospiciatur, ut tutus quilibet sit ab injuria aliorum & a vi externa hostium, ipsa denique civitas integra satis potens ad huic resistendum.

Finis civitatis multiplex est, consequenter & commune bonum plura complectitur, quam quæ uno vocabulo exprimi possint. Brevitatis tamen causa in posterum sequentibus utemur terminis, quibus suos significatus determinatos tribuimus.

§. 10.

Vitæ sufficientia quid sit.

Per vitæ sufficientiam intelligo abundantiam eorum, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem requiruntur, & remediorum felicitatis.

Homo constat ex anima & corpore, ac ideo vivit non modo vitam animalis, verum etiam spiritus. Quodsi ergo nihil deesse debet, quæ ad vitam ullo modo requiruntur, non modo civitati in promptu esse debent, quæ ad vitam corporis faciunt, verum etiam quæ ad vitam animæ spectant. Consulendum est non minus animæ, quam corpori. Ac ideo fortuna cum felicitate conjungenda. Non videntur hæc abire a mente *Aristotelis* lib. 3. Polit. c. 6. ubi ad finem civitatis requirit vitam perfectam & sibi sufficientem.

§. 11.

Digitized by Google

§. 11.

Per *Tranquillitatem civitatis* intelligo vacuitatem a metu injuriarum. *Tranquillitas ſit.*

Vacuus a metu injuriarum eſt animus non modo, quatenus verendum non eſt, ne injuria nobis inferatur, verum etiam quatenus ille ſpe injuriæ factæ reparandæ ſuſtentatur. Qui enim novit injuriam factam ſibi reparandam eſſe, ab ea ſibi minus metuit.

§. 12.

Denique per *ſecuritatem civitatis* intelligo vacuitatem a metu vis, præſertim externæ. *Securitas quid ſit.*

Diſtinguimus tranquillitatem civitatis a ſecuritate, quarum illa refertur ad ſtatum civitatis internum, quatenus civis civem, aut civem incola non lædit, hæc autem potiſſimum ad ſtatum externum, quatenus vis hoſtium, prædonum & latronum arcetur.

§. 13.

Fines civitatis ſunt vitæ ſufficientia, tranquillitas & ſecuritas. Civitas enim conſtituitur, ut conjunctis viribus parentur, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem ac jucunditatem, immo felicitatem ſufficiunt, ut unusquisque jure ſuo quiete frui ac id tuto ab alio conſequi poſſit, nec a quoquam lædatur, ut denique conjunctis viribus ſe ſuaque adverſus vim aliorum defendant cives (§. 4.). Enimvero in illo vitæ ſufficientia (§. 10.), in iſto civitatis tranquillitas (§. 11.), in hoc ſecuritas conſiſtit (§. 12.). Finis itaque civitatis eſt vitæ ſufficientia tranquillitas & ſecuritas. *Finis civitatis.*

Vulgo tranquillitas & ſecuritas communi ſecuritatis nomine veniunt; præſtat tamen illam ab hac diſtingui, quemadmodum in ſermone patrio fieri ſolet, quo illam nomine Ruhe, hanc nomine Sicherheit indigitamus, tranquillitatem & ſecuritatem civitatis appellantes die gemeine Ruhe und Sicherheit.

Digitized by Google

Vitæ ſufficientiam quidam a fine civitatis removent, quod etiam extra civitatem obtineri poſſit. Rectius tamen *Ariſtoteles*, prouti jam ante indicavimus (*not.* §. 10.), ad finem civitatis refert, cum extra hanc ſaltem non adeo commode obtineri queat, immo ſi curatius rem conſideres, deficiente tranquillitate & ſecuritate vix ac ne vix quidem obtineri poſſit. Idiomate patrio ea potiſſimum intelligitur, quando die gemeine Wohlfahrt dicitur, præſertim ſi junguntur verba Ruhe und Sicherheit, quamvis voce illa ſenſu latiori commune bonum etiam deſignare ſolemus, quod tranquillitatem & ſecuritatem ſimul complectitur. Nos ſignificatum vagum reduximus ad fixum, quo in ſequentibus utemur.

§. 14.

Succincta civitatis definitio.

Quoniam fines civitatis ſunt vitæ ſufficientia, tranquillitas & ſecuritas (§. 13.), ſocietates autem, quarum in numero eſt civitas (§. 4.), fine differunt (§. 3. *part. 7. Jur. nat.*); *Civitas* brevius definiri poteſt, quod ſit ſocietas inter domos multas, ſeu ab ingente hominum multitudine vitæ ſufficientis, tranquillitatis & ſecuritatis gratia inita.

Non differt hæc definitio a ſuperiori (§. 4.), quemadmodum ſtatim patet, ſi terminos, quibus finis, cujus gratia civitas conſtituitur, indicatur, per ſuas definitiones (§. 10. *& ſeqq.*) explices.

§. 15.

De civitatis ordinatione.

Quoniam civitas conſtituitur vitæ ſufficientis, tranquillitatis & ſecuritatis gratia (§. 14.), qui vero vult finem media etiam velit neceſſe eſt (§. 941. *Ontol.*); *ſi civitas conſtituitur, ea ordinanda ſunt, quæ ad vitæ ſufficientiam, tranquillitatem & ſecuritatem, ſeu commune totius civitatis bonum* (§. 9.) *conſequendum requiruntur.*

Quam-

Digitized by Google

Quamprimum ſocietas civilis inita, neceſſe omnino eſt, ut qui eam iniuerunt etiam conſentiant in media, quibus finis, quorum gratia initur, obtineri poſſit. Quid enim finis conſequendi cauſa fieri debeat, communi ſociorum conſenſu determinandum (§. 44. *part.* 7. *Jur. nat.*): id quod dum fit, civitas ordinatur. Atque tum ea formam ſuam recipit, ut ſit in ſpecie hæc civitas (§. 944. 945. *Ontol.*)

§. 16.

Civitatis ordinatio dicitur *Respublica*, idiomate patrio das gemeine Weſen. *Resp. quid ſit.*

Ariſtotelis Polit. lib. 3. c. 6. τάξις πόλεως appellatur, quam per ordinem civitatis interpretari ſolent. Sunt qui contendunt, Remp. perperam a civitate diſtingui, & civitatem atque Remp. pro ſynonymis habent. Enimvero quamvis non negamus, vocabula iſta promiſcue uſurpari; ex collatione tamen definitionum ſtatim patet, civitatem & Remp. a ſe invicem parum differre. Aliud ſane pactum eſt, quo conſentitur in finem; aliud vero, quo conſentitur in media finem hunc conſequendi. Sane non alia de cauſa diſputatur, utrum civitas pacto uno, an pluribus diverſis conſtituatur, quam quod civitas formam ſuam ſpecificam nondum nacta ſit, quando ſaltem ſinguli in hoc conſenſerunt, quod velint conjunctis viribus ea facere, quæ ad commune bonum obtinendum, hoc eſt, ad vitæ ſufficientiam, tranquillitatem & ſecuritatem faciunt. Aliud nimirum pactum eſt, quo ſocietas civilis initur, ſeu civitas conſtituitur, aliud vero, vel alia pacta ſunt, quibus conſtituta ordinatur, cum in ſpecie perfecta, aut, ſi mavis, etiam in ſingulari, nondum dici poſſit, antequam ordinata fuerit. Determinatio autem eorum, quæ ad finem, cujus gratia civitas conſtituitur, conſequendum faciunt, & in qua civitatis ordinatio conſiſtit, non minus a pacto quodam dependet, quam ipſa civitatis conſtitutio (§. 44. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamprimum ſinguli conſenſerunt in hoc, quod commune bonum conjun-

Digitized by Google

ctis viribus promovere velint; animi civium uniuntur ad vitæ ſufficientiam, tranquillitatem & ſecuritatem conjunctis viribus obtinendam: aſt ideo nondum uniti ſunt quoad modum, quo finem iſtum obtinere velint. Quamvis adeo coaluerint in ſocietatem civilem, nondum tamen determinata ſunt ea, quæ ad Remp. faciunt, & per conſequens peculiari pacto opus eſt ad civitatem ordinandam. Et revera civitas ordinata Reip. nomine demum appellari ſuevit.

§. 17.

Salus civitatis in quo conſiſtat.

Salus civitatis conſiſtit in non impedita fruitione vitæ ſufficientis, tranquillitatis & ſecuritatis. Etenim finis civitatis ſunt vitæ ſufficientia, tranquillitas atque ſecuritas (§. 13.). Quamobrem ſi cives non impediantur, quo minus fruantur vita ſufficiente, tranquillitate & ſecuritate, finis civitatis actu obtinetur. Quoniam itaque ſalus ſocietatis in eo conſiſtit, ſi ſocii non impediantur, quo minus finem ejus actu conſequantur (§. 11. *part.* 7. *Jur. nat.*); ſalus civitatis conſiſtit in non impedita fruitione vitæ ſufficientis, tranquillitatis & ſecuritatis.

Relegenda hic ſunt, quæ de ſalute ſocietatis in genere annotavimus (*not.* §. 11. *part.* 7. *Jur. nat.*). Commune civitatis bonum eſt vitæ ſufficientia, tranquillitas & ſecuritas, quatenus hæ conſiderantur tanquam ea, quæ civitatem perficiunt (§. 554. *Pſycb. empir.* & §. 9. *b.*); quatenus vero hæc actu obtinentur, ut ſinguli cives iisdem frui poſſint, conſequenter jam removentur impedimenta, quæ in ſtatu naturali iisdem objicerentur, quo minus illis frui poſſent, ſalutis civitatis, vel etiam Reip. (§. 16.) nomine veniunt. Differentia itaque boni communis & ſalutis civitatis cum abſtracta ſit, abſtractio autem hæc vulgo vix attendatur; ideo quoque vulgo commune bonum civitatis & ſalus civitatis vel Reip. promiſcue tanquam ſynonyma uſurpantur: id quod vel propterea monendum

Digitized by Google

dum diximus, ut quis ea, quæ a nobis subinde aliter enunciantur, quam vulgo fieri solet, ne vim inferamus significatui determinato terminorum, quem iisdem tribuimus, non diversa existimet, vel prorsus contraria iis, quæ vulgo ab omnibus tanquam vera admittuntur, nec rite intellecta a nobis rejiciuntur.

§. 18.

De bono communi civitatis promovendo & cura salutis ejusdem.

Quilibet civis obligatur bonum civitatis commune pro virili promovere & salutem civitatis curæ habere debet. Etenim civitas societas est (§. 4.). Enimvero quilibet socius commune bonum societatis pro virili promovere (§. 12. *part.* 7. *Jur. nat.*) & salutem ejus curæ habere debet (§. 16. *part.* 7. *Jur. nat.*). Ergo etiam civis quilibet obligatur bonum civitatis commune pro virili promovere & salutem civitatis curæ habere debet.

Nascitur hæc obligatio ex pacto, quo in civitatem coaluerant, qui antea sibi relicti rem suam sibi habebant.

§. 19.

Promotio boni communis specialius expenditur.

Quoniam commune bonum civitatis in eo consistit, ut abundet iis, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem, jucunditatem faciunt, ut felicitati omnium prospiciatur, ut quilibet tutus sit ab injuriis aliorum & a vi hostium, ipsa denique civitas satis potens ad huic resistendum (§. 9.), quilibet autem civis obligatur ad bonum civitatis commune pro virili promovendum (§. 18.); *quilibet civis pro virili conferre debet, quicquid ad vitæ sufficientiam, tranquillitatem & securitatem conferre potest* (§. 10. & *sqq.*).

Multa omnino sunt, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem faciunt, multis quoque modis aliorum felicitati prospici potest. Non autem omnia possumus omnes.

Digitized by Google

Quilibet adeo huc conferre debet, quod poteſt & quantum poteſt. Comparatur ideo civitas rite ordinata corpori humano, quod ex diverſis admodum organis conſtat, quorum non omnium eadem eſt functio, idem uſus, ſed quorum unumquodque præſtat quod ſuum eſt, quo pacto obtinetur commune bonum totius corporis, ut ſingulis membris bene ſit.

§. 20.

Cura ſalutis civitatis ſpecialius expenſa.

Similiter quoniam ſalus civitatis conſiſtit in non impedita fruitione vitæ ſufficientis, tranquillitatis & ſecuritatis (§. 17.) ſeu boni communis (§. 9.), quilibet autem civis ſalutem civitatis curæ habere debet (§. 18.); *cuilibet civi curæ eſſe debet, ne vitæ ſufficientis, tranquillitatis & ſecuritatis, ſeu boni communis fruitio, vel a ſe, vel ab aliis ullo modo impediatur, ſed ea potius promoveatur.*

Poteſt quis conferre aliquid ad fruitionem vitæ ſufficientis etiam in iis, quæ ipſe conferre non poteſt, conſequenter concurrere ad promovendam ſalutem publicam, quando promovere nequit bonum publicum. E. gr. Ponamus aliquem diligentem eſſe in adminiſtranda oeconomia rurali, is pro virili ſymbolam ſuam confert ad vitæ ſufficientiam. Ponamus alii curæ eſſe, ut frumentum æquo pretio vendatur, vel ſi annonæ penuria ſit, ut vendatur; is nihil confert ad ea, quae ad vitæ neceſſitatem requiruntur, conſequenter ad vitæ ſufficientiam pertinent, facit tamen, ut iis frui poſſimus, conſequenter ad ſalutem civitatis promovendam concurrit. Atque hinc patet, non inanem eſſe diſtinctionem inter bonum commune civitatis & ſalutem ejusdem.

§. 21.

De non faciendo eo, quod communi

Nemo civium facere debet, quæ communi civitatis bono adverſantur, nec bonum proprium promovere cum neglectu communis, vel in præjudicium communis, neque etiam quicquam facere,

Digitized by Google

cere, quod saluti civitatis adversatur. Civitas enim societas est (§. 4.). Quamobrem cum sociorum nemo facere debeat, quæ communi bono adversantur, nec promovere bonum proprium cum neglectu communis (§. 21. *part.* 7. *Jur. nat.*), neque etiam quicquam facere, quod saluti societatis adversatur (§. 22. *part.* 7. *Jur. nat.*); nemo quoque civium facere debet, quæ communi civitatis bono adversantur, nec bonum proprium promovere cum neglectu communis, vel in præjudicium communis, neque etiam quicquam facere, quod saluti civitatis adversatur. *bono & saluti civitatis adversatur*

Sub facto hic etiam comprehenduntur non facta, quemadmodum etiam in aliis casibus. Qui omittit conferre ea, quæ ad bonum commune conferre poterat; is non minus deest officio suo & bono communi officit, quam qui facit, quod eidem repugnat.

§. 22.

Quoniam bonum commune civitatis in eo consistit, ut abundet iis, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem, jucunditatem faciunt, ut felicitati omnium prospiciatur, ut quilibet tutus sit ab injuriis aliorum, & a vi hostium, ipsa denique civitas potens sit ad huic resistendum (§. 9.), salus autem civitatis in non impedita fruitione vitæ sufficientis, tranquillitatis & securitatis (§. 17.); *nemo civium quicquam committere debet, quod vitæ sufficientiæ, tranquillitati ac securitati quomodocunque adversatur, nec ipse impedire, nec pati, ut ab aliis impediatur, quo minus vita sufficiente, tranquillitate & securitate frui liceat* (§. 21.) *Hoc specialius expenditur.*

Ut specialius expendantur, quæ in propositione præcedente continentur, non sine ratione a nobis fit. Facit enim ad contrahendas demonstrationes subsecuturas, prouti facile animadvertent, qui ad talia attentionem adferre voluerint.

§. 23.

Digitized by Google

§. 23.

Publicum & privatum quid sit, item quid Bonum publicum & privatum.

Publicum dicitur, quod ad civitatem universam spectat; *Privatum* vero, quod nonnisi singulos cives, respicit, seu ad eos pertinet. Immo in genere *Publicum* dicitur, quod ad universitatem quandam spectat; *Privatum* vero, quod ad singulos pertinet, qui in ea sunt. Unde bonum commune civitatis est *Bonum publicum*, & bonum proprium civis cujusvis est *Bonum privatum*.

Quodsi ergo quæsiveris, in quonam bonum publicum consistat, ea recolenda sunt animo, quæ de bono communi civitatis demonstravimus (§. 9.). Eodem autem modo publica calamitas vocatur, qua universi affliguntur; privata vero, quæ nonnisi singulis accidit.

§. 24.

De bono publico promovendo.

Quoniam bonum commune civitatis bonum publicum est (§. 23.), quilibet autem civis obligatur bonum civitatis commune pro virili promovere (§. 18.), nec quicquam facere, quod eidem adversatur (§. 21.); *civis quilibet bonum publicum pro virili promovere, nec quicquam facere debet, quod eidem adversatur.*

§. 25.

De privato non promovendo cum neglectu publici & in hujus præjudicium.

Similiter quia bonum proprium civis bonum privatum est, bonum autem universæ civitatis bonum publicum (§. 23.), nemo autem civium bonum proprium promovere debet cum neglectu communis civitatis, vel in præjudicium ejusdem (§. 21.); *nemo civium bonum privatum promovere debet cum neglectu publici, vel in præjudicium publici.*

Magis usitatum est, ut bonum publicum & privatum dicamus & ea sibi invicem opponamus, quam ut boni communis civitatis

Digitized by Google

civitatis & proprii civium appellatione utamur. Quamobrem antea demonstrata ad receptas loquendi formulas reducenda fuerunt.

§. 26.

Civitates legi naturæ convenienter fuerunt constitutæ. Etenim domus singulæ sibi non sufficiunt in iis, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem, immo felicitatem faciunt, nec quiete iure suo frui & quod ab aliis ipsis tribuendum satis tuto consequi, seque ac sua adversus vim aliorum defendere valent (§. 1.). Quamobrem cum societates contrahendæ sint, si vnius vires non sufficiunt ad finem aliquem consequendum (§. 137. *part.* 7. *Jur. nat.*); & ipsa natura homines ad societatem colendam obligat (§. 138. *part.* 7. *Jur. nat.*); societates quoque ineundæ sunt, ut vitæ sufficientiæ, tranquillitati & securitati consulatur (§. 10. *& seqq.*), ac ipsa natura homines ad istiusmodi societates colendas obligat. Enimvero societates inter domus multas, seu ab ingente hominum multitudine vitæ sufficientis, tranquillitatis & securitatis gratia initæ civitates sunt (§. 14.). Quamobrem patet homines civitates constituere debere, consequenter eas legi naturæ convenienter fuisse constitutas. *An civitates legi naturæ conveniant.*

Facto equidem hominum constitutæ sunt civitates; non tamen propterea institutum mere humanum dici possunt: ipsa enim lex naturæ factum hoc urget & jus ad idem dat, ita ut non minus obligationi nostræ satisfaciamus, quam jure nostro utamur, dum civitates constituimus.

§. 27.

Quoniam civitates legi naturæ convenienter fuerunt constitutæ (§. 26.), lex autem naturæ voluntati divinæ con- *Quatenus civitates sint a Deo.*

Digitized by Google

convenit (§. 284. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & per conſequens quod legi naturæ convenienter fit, id etiam voluntati divinæ convenienter; *civitates voluntati divinæ convenienter fuerunt conſtitutæ.*

Atque hinc patet quo ſenſu dici poſſit, civitates eſſe a Deo inſtitutas, quatenus nimirum Deo tribuenda ſunt, quæ a lege naturæ veniunt, cujus ipſe autor eſt (§. 273. *part. 1. Jur. nat.*). Sane cum legi naturæ non repugnent dominia (§. 108. 118. *part. 1. Jur. nat.*); dominia quoque dici poſſunt eſſe a Deo, utut facto hominum communionem primævam deſerentium introducta. Dependentiam & dominiorum, & civitatum a Deo facile perſpiciet is, cujus animus notionibus ſatis diſtinctis ex operibus anterioribus hauſtis imbutus. Qui enim, quemadmodum fieri debet, opera præcedentia eo ordine perlegit, quo conſcripta & edita fuerunt; abunde intelliget, notiones juris naturæ non modo in ſe invicem, ſed has quoque ulterius in alias ſimpliciores in diverſis Metaphyſicae partibus expoſitas continuo reſolvi: vnde ignorata hac notionum analyſi deficit ea claritas, qua percellitur mens alterius, qui ſucceſſiva induſtria eandem ſibi familiarem reddidit. Pendet etiam hinc demonſtrationum evidentia, quam fruſtra expectabit, qui iuſto ordine ſcientiam acquirere negligit. Quamobrem hic maxime valet illud pervulgatam, contra ignorantem principia non eſſe diſputandum. Et hæc quoque ratio eſt, cur viri rerum ſuarum intelligentes controvertere nolint cum hominibus in ea ſcientiarum parte hoſpitibus, ad quam ea res ſpectat, quam in controverſiam adducunt.

§. 28.

Quomodo cives civitati & civitas civibus

Si civitas conſtituitur, ſinguli ſe obligant univerſis, quod commune bonum promovere velint, & univerſi ſeſe obligant ſingulis, quod ſufficientiæ vitæ ipſorum, tranquillitati & ſecuritati proſpicere velint. Etenim qui in civitatem coëunt, inter ſe paciſcun-

Digitized by Google

ciſcuntur de bono communi conjunctis finibus conſequendo, ſcilicet ne deſint quæ ad ſufficientiam vitæ requiruntur, & ut tranquille ac ſecure vivere poſſint (§. 14. 9.), conſequenter ſinguli contrahunt cum univerſis & univerſi cum ſingulis. Quamobrem cum ex pactis naſcatur obligatio præſtandi ea, de quibus conventum eſt (§. 789. *part.* 7. *Jur. nat.*); ſinguli, qui paciſcuntur cum univerſis, utique ſeſe obligant ad commune bonum promovendum, & viciſſim univerſi ſingulis ad proſpiciendum ipſis de iis, quæ ad vitæ ſufficientiam requiruntur, & ut tranquille atque ſecure vivere poſſint. *ſingulis obligetur.*

Nimirum quilibet ſocius facere obligatur, quod ad finem ſocietatis conſequendum facere poteſt (§. 7. *part.* 7. *Jur. nat.*). Facit vero hoc ea intentione, ut ceteri idem faciant, conſequenter nemo ſeſe obligavit univerſis quoad finem civitatis conſequendum, niſi quatenus univerſi ſeſe etiam ipſi obligant. Singuli conferre debent, quod a ſingulis; univerſi autem, quod ab univerſis proficiſci poteſt. Patebit autem ex ſequentibus, quænam ſint ea, tum quæ a ſingulis in gratiam univerſorum, tum quæ ab univerſis in gratiam ſingulorum fieri poſſint ac debeant. Atque tum perfecte intelligetur, quænam ſit obligatio ſingulorum, qua tenentur univerſis, & viciſſim quænam obligatio ſit univerſorum, quibus obſtringuntur ſingulis.

§. 29.

Univerſis in civitate competit jus cogendi ſingulos, ut ſatisfaciant obligationi ſuæ, ſi vel facere nolint, vel in eo negligentes ſe præbeant. Eſt enim civitas ſocietas (§. 4.). Quamobrem cum ſociis competat jus cogendi conſocium, ut ſatisfaciat obligationi ſuæ, ſi vel ſatisfacere nolit, vel in eo negligentem ſe præbeat (§. 9. *part.* 7. *Jur. nat.*); univerſis quoque in civitate competit jus cogendi ſingulos ut obligatio- *De jure univerſorum in ſingulos.*

gationi ſuæ ſatisfaciant, ſi vel ſatisfacere nolint, vel in eo negligentes ſe præbeant.

Quamprimum in ſocietatem coitur, ſeu pacto civitas conſtituitur; ex ipſo hoc pacto univerſis naſcitur jus in ſingulos.

§. 30.

Unde idem ſit metiendum.

Jus univerſorum in civitate in ſingulos ex fine civitatis metiendum. Etenim in ſocietate jus ſociorum metiendum eſt ex fine ſocietatis (§. 10. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem cum civitas ſit ſocietas quædam (§. 4.); jus quoque univerſis in ſingulos competens ex fine civitatis metiendum.

Jus univerſorum in ſingulos extendendum non eſt ultra finem: neque enim ultra eundem ſinguli ſeſe univerſis obligare voluerunt, ex hac autem obligatione univerſis natum eſt jus in ſingulos. Univerſi nullum jus in ſingulos haberent, niſi ſinguli hoc ipſis tribuiſſent. Quemadmodum nimirum ſponte ſua ſe iisdem obligarunt; ita etiam tribuerunt jus ex iſta obligatione reſultans, ſeu cum eadem neceſſario connexum.

§. 31.

Quale ſit jus civitatis in cives.

Univerſis in civitate competit imperium in ſingulos. Jus enim, quod univerſis in ſingulos in ſocietate competit, imperium eſt (§. 212. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem cum civitas ſit ſocietas (§. 4.); jus quoque univerſis in ſingulos in eadem competens imperium eſt.

Ad propoſitionem præſentem illuſtrandam faciunt, quæ alibi in genere annotavimus (*not.* §. 212. *part.* 7. *Jur. nat.*). Imperium omne naſcitur ex ſocietate (§. 213. *part.* 1. *Jur. nat.*), natura vero homines omnes liberi ſunt (§. 146. *part.* 2. *Jur. nat.*), nec ullus imperium in invitum ſibi arrogare poteſt (§. 195. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem & imperium univerſi in ſingulos non habent, niſi quatenus ſinguli in ſocieta-

Digitized by Google

cietatem coivere, & imperium universorum sua sponte subivere.

§. 32.

Imperium universis in singulos competens in civitate dicitur *Imperium civile.* Vocatur etiam *Imperium publicum.* *Imperium civile & publicum quodnam sit.*

Nimirum Civile vocatur hoc imperium, quatenus ex civitate nascitur & ab ea inseparabile est, ita ut civitatem sine imperio concipere non liceat, quemadmodum triangulum concipi nequit sine tribus angulis duobus rectis æqualibus. Publicum vero idem appellatur respectu privati, quod in societatibus minoribus locum habet (§. 23.), & de quo dictum est in parte præcedente.

§. 33.

Quoniam imperium civile universis in singulos competit in civitate (§. 32.), universi autem in civitatem consociati populus sunt (§. 5.); *imperium civile originarie penes populum est.* *Penes quem originarie sit imperium.*

Ad civitatem constituendam non aliud requiritur pactum, quam quod paciscentes conjunctis viribus vitæ sufficientiam, tranquillitatem ac securitatem promovere velint (§. 14.). Ex hoc pacto oritur imperium civile. Quamobrem originarie nemini competere potest nisi iis, qui invicem pacti sunt, hoc est, populo, in quem invitum nemo sibi imperium jure arrogare potest (§. 195. *part.* 7. *Jur. nat.*), nec quisquam etiam invitum alterius imperio subjicere jure valet, cum libertas naturalis, jus homini connatum (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*), a nemine cuiquam invito auferri possit (§. 64. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 34.

Quoniam *imperium civile* originarie penes populum est (§. 33.); idem est *res populi propria* (§. 498. *part.* 1. & §. 132. *Quod sit res propria populi.*

Digitized by Google

§. 132. *part. 2. Jur. nat.*), *& ad id, quod ſuum eſt, referendum* (§. 131. *part. 1. Jur. nat.*)

Cum ex pacto oriatur imperium civile (*not.* §. 33.), jus hoc acquiſitum eſt (§. 35. *part. 1. Jur. nat.*), & acquiritur iis, qui pactum fecere, ac ideo eorum res propria eſt, quemadmodum ſunt acquirentium propriæ res aliæ, quas ex pactis ſibi quærunt.

§. 35.

Limites imperii civilis. *Imperium civile extendi nequit ultra eas actiones, quæ ad commune civitatis bonum, ſeu bonum publicum, conſequendum pertinent.* Imperium enim omne cum extendi nequeat ultra actiones, quæ ad finem ſocietatis conſequendum faciunt (§. 214. *part. 7. Jur. nat.*); nec imperium civile extendi poteſt ultra actiones, quæ ad finem civitatis conſequendum faciunt (§. 4.). Quoniam itaque commune civitatis bonum, hoc eſt, publicum (§. 23.), finis eſt civitatis (§. 4. 9.); imperium civile extendi nequit ultra eas actiones, quæ ad commune civitatis bonum, ſeu bonum publicum conſequendum faciunt.

Ideo finem civitatis in definitione diſtincte exprimere voluimus, immo debuimus, ut imperii civilis, quod in abuſum facile trahitur, limites accurate determinari poſſint, nec dum in nimium extenditur, jus in injuriam degeneret. Univerſi nimirum in civitate non plus juris in ſingulos ſibi arrogare poſſunt, quam ſinguli univerſis in ſe conferre voluerunt. Tantum autem juris conferre debuerunt, quantum ad finem civitatis conſequendum requiritur, conſequenter tantum etiam tacite contuliſſe cenſentur. Naturaliter pactis omnia ineſſe intelliguntur, quæ ex iis, quæ expreſſe dicta ſunt, neceſſario conſequuntur: non autem plura inſunt, quam quæ inde neceſſario conſequuntur.

§. 36.

Digitized by Google

§. 36.

De jure populi disponendi de imperio civili.

Populus imperium vel sibi retinere, vel pro lubitu suo in personam unam, aut plures conjunctim, etiam in extraneam transferre potest, & si in aliam transfert, a voluntate ipsius dependet, qua lege idem transferre velit. Etenim in societate imperium vel sibi retinere possunt universi, vel in personam unam, aut plures, si ita visum fuerit, transferre (§. 216. *part.* 7 *Jur. nat.*), potest etiam societas idem transferre in extraneum (§. 217. *part.* 7. *Jur. nat.*), & a voluntate ejus pendet, qua lege transferre velit (§. 220. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem cum civitas societas sit (§. 1.), & universi, qui in eam coiverunt, populus sint (§. 5.), penes quem originarie imperium civile est (§. 33.); populus quoque imperium vel sibi retinere, vel pro lubitu suo in personam unam, aut plures conjunctim, etiam in extraneam transferre potest, & a voluntate populi dependet, qua lege idem transferre velit.

Patet hinc, quale sit jus populi disponendi de imperio civili: quod utique non diversum est a dominio (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*). Recte nimirum dicitur originarie imperium civile esse in dominio populi, cum etiam jura, res incorporales (§. 498. *part.* 1. *Jur. nat.*), in dominio esse possint (§. 216. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 37.

Quidnam primum determinari debeat.

Si civitas ordinanda, seu Resp. instituenda, universi inter se convenire debent, utrum imperium sibi retinere, an in personam unam, vel plures idem transferre, & num certa lege transferre stituenda velint. Etenim populus vel imperium sibi retinere, vel pro lubitu in personam unam, vel plures transferre potest, &, ubi in alium transfert, a voluntate ipsius dependet, qua lege idem transferre velit (§. 36.). Necesse igitur est, ut, quam-

primum

primum in civitatem coaluerunt singuli, determinetur, quidnam horum fieri debeat. Quamobrem cum in civitate, tanquam societate, communi omnium, qui in eam coiverunt, consensu determinandum sit, quid in eadem finis consequendi gratia fieri debeat (§. 44. *part. 7. Jur. nat.*); si civitas ordinanda, seu Resp. instituenda (§. 16.), universi inter se convenire debent, utrum imperium sibi retinere, an in personam unam, vel plures idem transferre, & num certa lege transferre velint.

Pactum hoc diversum est ab eo, quo civitas constituitur. Et quamvis non repugnet, ut de societate civili ineunda & de subjecto imperii una conveniatur, manent tamen pacta diversa, quorum illud, quod agit de societate civili ineunda, etsi non tempore, ordine tamen prius intelligitur altero, quo subiectum imperii definitur, cum ex illo nascatur imperium (§. 213. *part. 7. Jur. nat. & §. 4. h.*), quod adeo nulli subjecto inesse potest, antequam natum fuerit.

§. 38.

De modo transferendi imperium in alium.

Quoniam populus, quando Resp. instituenda, convenire debet, qua lege imperium sit transferendum, si id in alium, vel alios transferre decrevit (§. 37.), imperium vero in alium transferri potest vel revocabiliter, vel irrevocabiliter, ad certum tempus, vel ad dies vitæ, tanquam transmissibile in certos alios, vel non transmissibile, plenum, vel certa parte deminutum, illimitatum, aut certo modo limitatum (§. 22. *part. 7. Jur. nat.*); *si populus constituit imperium in unam personam, vel in plures transferre, porro convenire debet, num idem revocabiliter, an irrevocabiliter, num ad certum tempus, an ad dies vitæ, num tanquam transmissibile, in certos alios, an tanquam non transmissibile, num plenum, an certa parte deminu-*

Digitized by Google

deminutum, num illimitatum, aut certo modo limitatum transferre velit.

Hoc pactum denuo diversum est ab eo, quo saltem conveniebatur, utrum populus imperium sibi retinere, an in alium, vel alios transferre velit. Neque enim conveniri potest de modo, quo imperium habere debet is, in quem transfertur, antequam conventum fuerit, id in alium, vel alios transferendum esse. Plures cum sint modi, quo populus imperium in alium transferre potest; nova utique deliberatione opus est, quomodo seu qua lege imperium sit transferendum, postquam translatio ejus decreta.

§. 39.

De imperio quoad exercitium & quoad substantiam translato.

Imperium a populo in alium transferri potest vel quoad exercitium, vel quoad ipsam substantiam. Quando enim populus imperium transfert in alium, a voluntate ipsius dependet, qua lege, seu quomodo transferre velit (§. 36.). Quamobrem cum imperium vel ea lege transferri possit, in alium, ut idem exerceat, vel ita, ut de ipso etiam imperio pro arbitrio suo disponere valeat; imperium utique a populo in alium transferri potest vel quoad exercitium, vel quoad ipsam substantiam.

Differentia hæc probe notanda est. Longe enim alia consequuntur, si quis saltem imperii exercitium habeat, & si ipsum imperium ejus sit, quemadmodum ex sequentibus clarius eluceſcet.

§. 40.

De imperio in usufructu & in patrimonio.

Si imperium transfertur in alium quoad exercitium, is idem habet in usufructu; si vero quoad substantiam, jure proprietatis idem possidet & per consequens in patrimonio habet. Quando enim imperium transfertur in alium quoad exercitium,

Digitized by Google

is non habet nisi jus exercendi imperium, non vero de ipso imperio tanquam de re sua disponere potest (§. 222. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem cum usumfructum habeat, qui habet jus eadem utendi fruendi, sed de ipsa substantia disponere pro lubitu non potest (§. 1420 *part. 5. Jur. nat.*); si imperium in alium quoad exercitium transfertur, is idem habet in usufructu. *Quod erat primum.*

Enimvero si imperium in aliquem transfertur quoad substantiam, is de ipsa substantia imperii, tanquam re sua, disponere potest. Quamobrem cum jus disponendi de ipsa substantia rei proprietas sit (§. 131. *part. 2. Jur. nat.*); si imperium in aliquem transfertur quoad substantiam, is proprietatem ejus habet, seu jure proprietatis idem possidet. *Quod erat secundum.*

Denique cum in patrimonio sint omnia bona, quæ quis habet (§. 452. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter omnia etiam jura (§. 451. *part. 2. Jur. nat.*), imperium vero sit jus quoddam (§. 194. *part. 7. Jur. nat.*); qui imperium jure proprietatis possidet, consequenter is, in quem imperium quoad substantiam translatum, idem in patrimonio habet. *Quod erat tertium.*

Modus hic duplex habendi imperium probe notandus. Multæ nimirum inde decidendæ sunt controversiæ de successione in imperio & de imperii, vel partis ejus alienatione.

§. 41.

De usufructuario & proprietario imperii.

Quoniam qui imperium accepit, idem habet vel in usufructu, vel in patrimonio, seu jure proprietatis (§. 40.), fructuarius vero est, seu usufructuarius, qui usumfructum habet (§. 1420. *part. 5. Jur. nat.*), & proprietarius, qui proprieta-

Digitized by Google

prietatem in re habet, seu cujus res propria est (§. 131. *part.* 2. *Jur. nat.*); *Qui imperium in civitate habet, vel usufructuarius imperii est, vel proprietarius.*

§. 42.

Rector civitatis est, is, cui imperium in civitate defertur, ut id exerceat. *Rector civitatis quinam sit.*

Rector nimirum societatis est is, cui imperium in societate defertur, ut id exerceat (§. 218. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem cum civitas sit quædam societas (§. 4.); dicendus utique Rector civitatis erit is, cui imperium in civitate delatum est, & per consequens idem exercet proprio nomine. Quando enim populus imperium sibi retinet, & per consequens seipsum regit (§. 219. *part.* 7. *Jur. nat.*), Rectorem alium non habet.

§. 43.

Rectoris civitatis jus omne metiendum est ex voluntate, quæ populo fuit, cum imperium transferret. Etenim rector civitatis est rector societatis cuiusdam (§. 4. 42. *h.* & §. 218. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem cum rectoris in societate jus omne metiendum sit ex voluntate, quæ fuit societati, cum imperium transferret (§. 222. *part.* 7. *Jur. nat.*); rectoris quoque civitatis jus omne metiendum est ex voluntate, quæ populo fuit, cum imperium transferret. *Unde metiendum jus Rectoris civitatis.*

Quod in genere monuimus de metiendo jure rectoris societatis (*not.* §. 222. *part.* 7. *Jur. nat.*); idem quoque firmiter tenendum de jure rectoris civitatis. Sane etiam in casu dubio, quando ad præsumtiones recurrendum, inquiri debet, qualis præsumenda sit voluntas populi imperium transferentis.

§. 44.

Imperium summum dicitur, in cuius actus nemini nisi *Summitas*

Digitized by Google

quo consistat. habenti jus quoddam competit, ut ideo *Summitas imperii* consistat in independentia exercitii eiusdem ab alterius cuiusdam voluntate.

Nimirum qui summum imperium habet, idem pro lubitu exercet, seu prouti sibi visum fuerit, nec quisquam alius est, cuius arbitrio actus imperantis quomodocunque subsint.

§. 45.

De actibus summi imperii. Quoniam in summi imperii actus nemini ius quoddam competit (§. 44.); *qui summum imperium habet, eius actus a nemine irriti reddi possunt.*

Nimirum quicquid imperans agit, id mutari nequit, nisi quando ipsi ita visum fuerit; nemo autem alius actum eius quomodocunque infirmare potest, sive civis fuerit, sive extraneus. Valet hic de imperante, quod vulgo dicitur: sic volo, sic jubeo.

§. 46.

De libertate in imperando. Similiter quoniam qui imperium summum habet, in exercitio imperii non dependet ab ullo alio homine, nisi a seipso (§. 44.), qui vero in agendo non dependet ab ullo alio homine, nisi a seipso, liber est (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*); *Qui summum imperium habet, in imperando, seu exercitio imperii prorsus liber est*, consequenter *eius conscientiae relinquendum, quomodo imperet* (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*), *nec ulli hominum rationem reddere tenetur, quomodo imperio utatur, seu cur sic imperet, non aliter.*

Stat nimirum pro ratione voluntas imperantis, ipse autem suo stat judicio, non alieno. Imperans persona moralis est. Unde qui summum habet imperium persona moralis libera est. Quae itaque valent de libertate hominis naturali respectu cujusvis hominis tanquam individui physici; ea etiam valent

Digitized by Google

lent de imperante qua tali. Qui ergo libertatem hominis naturalem penitus perſpicit; idem quoque absque ulla obſcuritate perſpiciet ſummitatem imperii, quae revera non conſiſtit niſi in libertate imperantis qua talis (§. 153. *part. 1. Jur. nat.* & §. 44. *b.*)

§. 47.

In civitate ſingulorum libertas reſtringitur quoad eas Quantum actiones, quae ad bonum publicum promovendum faciunt, quoad libertas reliqua illa illibata manet: ſinguli quoque, quando in civitatem ſtringatur coëunt, liberi manent reſpectu peregrinorum. Quoniam enim *in civitate.* in ſocietate qualibet libertas ſociorum reſtringitur, quoad actiones ad conſequendum finem ſocietatis requiſitas (§. 169. *part. 7. Jur. nat.*); finis autem civitatis eſt vitæ ſufficientia, tranquillitas & ſecuritas (§. 13.), conſequenter bonum publicum (§. 9. 23.); ſingulorum in civitate libertas reſtringitur quoad eas actiones, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt. *Quod erat primum.*

Enimvero quando civitas conſtituitur, ſinguli ſe obligant univerſis, quod commune bonum promovere velint (§. 28.). Quamobrem cum nemo alterum ſibi obligare poſſit ultra voluntatem ipſius (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); ſingulorum obligatio in civitate reſpectu univerſorum extendi nequit ultra eos actus, qui ad bonum publicum promovendum requiruntur. Libertas igitur naturalis quoad ceteras actiones illibata manet. *Quod erat ſecundum.*

Denique peregrini non ſunt membrum civitatis noſtrae (§. 7.), conſequenter nemo peregrinus eſt in numero univerſorum, quibus ſinguli ſeſe obligarunt. Quamobrem cum nulla ratio ſit, cur propterea peregrinis ad certa quædam obligatus eſſe debeam, quia univerſis in

Digitized by Google

civitate me obligavi; qui in civitatem coëunt, reſpectu peregrinorum liberi manent. *Quod erat tertium.*

Probe hic perpendenda veniunt, quæ alias annotavimus (*not.* §. 169. *part.* 7. *Jur. nat.*), & ad civitatem, ſocietatem omnium perfectiſſimam, applicanda, ut intimius perſpiciatur, cur & quomodo libertas ſingulorum in civitate reſtringatur, ac ideo ſtatus libertatis mutetur. Mutant autem, qui in civitatem coëunt, ſtatum reſpectu eorum, cum quibus pacti fuerunt, non vero reſpectu aliorum, ad quos pactum illud, quo civitas conſtituta (§. 4.), minime pertinet.

§. 48.

Quantum libertas ſocietatum minorum in civitate reſtringatur.

Libertas domuum & ſocietatum ſimplicium in civitate reſtringitur quoad ea, quæ ad bonum publicum, ſeu commune civitatis bonum ſpectant. Etenim in ſocietate compoſita libertas ſocietatum ſimpliciorum, ex quibus ea coaleſcit, reſtringitur quoad ea, quæ ad ſocietatem compoſitam ſpectant (§. 170. *part.* 7. *Jur. nat.*). Enimvero civitas coaleſcit ex domibus (§. 4), domus vero ex ſocietate conjugali, paterna atque herili, aut ſaltem ex binis componitur (§. 1147. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem in civitate libertas domuum & ſocietatum ſimplicium, ex quibus illæ componuntur, reſtringi debet quoad ea, quæ ad civitatem ſpectant, conſequenter quæ ad bonum publicum, ſeu commune civitatis bonum ſpectant.

Oſtendi etiam poterat hoc modo. Quando in ſocietatem coitur, ſingulorum libertas reſtringitur quoad eas actiones, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt (§. 47.). Quodſi ergo fuerint membra ſocietatis cuiusdam minoris, veluti domus, aut ſocietatis cujusdam ſimplicis, actiones quoque illorum quoad actiones ad ſocietatem iſtam ſpectantes

Digitized by Google

spectantes restringi debent, quatenus bonum publicum id exigit.

Finis civitatis non modo respicit ea, quæ sunt singulorum, verum etiam societatum minorum, quas inter se contraxerunt. Unde qui in societatem civilem coëunt, sibi invicem quoque promittunt, quod conjunctis viribus bonum societatum minorum, quarum membra sunt, promovere velint. Quamobrem cum fines societatum minorum contineantur in fine civitatis, qui fundamentum restrictionis libertatis est, libertas civitatum minorum ab eandem rationem & eodem modo restringenda venit, ob quam rationem & quo modo libertas singulorum restringitur.

§. 49.

De restrictione juris patrumfamilias, conjugum, parentum, liberorum famulorum.

Quoniam libertas domuum & societatum simplicium *in civitate* restringitur quoad ea, quæ ad bonum publicum spectant (§. 48.); *jura patrumfamilias, conjugum, parentum, liberorum, dominorum & famulorum restringuntur, quantum bonum publicum exigit.*

Nimirum jus harum personarum imminuitur, quantum bonum publicum exigit. Nec hoc durum videri debet, cum etiam saluti societatum minorum & per consequens omnium membrorum earundum qua talium prospiciatur ab universis. Quemadmodum itaque universi obligantur singulis membris societatum minorum qua talibus ad eorum salutem promovendam; ita etiam hæc qua talia vicissim obligantur universis ad commune ipsorum bonum pro virili promovendum. Clarius hoc elucescet ex speciali tractatione de Rep. instituenda.

§. 50.

De libertate naturali civitatis.

Qualibet civitas naturaliter libera est. Etenim societas quælibet naturaliter libera est (§. 166. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem cum civitas sit societas (§. 4.); ea quoque naturaliter libera est.

Osten-

Digitized by Google

Oſtenditur etiam hoc modo. Singuli, quando in civitatem coëunt, liberi manent, reſpectu peregrinorum (§. 47.), conſequenter eorum, qui non ſunt membra civitatis (§. 7.). Quamobrem cum libertas civitatis eadem ſit cum libertate ſingulorum, qui in civitatem coiverunt, ſimul ſumta, quod per ſe patet; quælibet quoque civitas naturaliter libera eſt, reſpectu ſcilicet omnium, qui eius membra non ſunt.

Libertas civitati non competit, niſi quatenus competit ſingulis ejusdem membris. Quemadmodum enim a libertate ipſorum dependebat, utrum ſeſe invicem ſibi obligare vellent ad bonum commune conjunctis viribus promovendum, nec ne; ita quoque in ſingulis actibus huc ſpectantibus non dependent ab ullo peregrino, ſeu extra civitatem conſtituto, ac per conſequens qua membra civitatis liberi ſunt, & univerſi ſimul, qui civitatem abſolvunt, liberi ſunt reſpectu eorum, quorum nulla eſt cum ipſis communio. Libertas civitatis fluit tanquam ex fonte ex libertate naturali ſingulorum, vi cujus in ſocietatem coire licite poterant (§. 26.).

§. 51.

An civitati uni ſit jus in alteram.

Quoniam quælibet civitas naturaliter libera eſt (§. 50.); *naturaliter civitas quælibet poteſtati civitatis alterius ſubjecta non eſt* (§. 135. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter *in eam civitati alteri jus nullum competit* (§. 134. *part. 1. Jur. nat.*), cumque quilibet in agendo non dependeat ab ullo alio homine, niſi a ſeipſo (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*), *quælibet civitas in iis, quæ ad civitatem ſpectant, non dependet a civitate alia, ſed unice a ſeipſa.*

§. 52.

Quomodo civitas li-

Similiter quia civitas quælibet naturaliter libera eſt (§. 50.), vi libertatis autem naturalis unicuique permittendum,

Digitized by Google

dum, ut in determinandis actionibus suis suum sequatur judicium, quamdiu nil facit contra jus tertii (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), ejus quoque conscientiae relinquendum, quid agat (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*), nec ulli hominum rationem reddere tenetur actionum suarum (§. 158. *part. 1. Jur. nat.*); *civitati* quoque *unicuique permittendum, ut in iis, quae ad civitatem spectant, suum sequatur judicium, quamdiu nil facit contra jus alterius civitatis, conscientiae illorum, qui membra civitatis sunt, relinquendum, quid in civitate agatur, nec ulli hominum rationem reddere illa tenentur actuum suorum.* *libertate sua fruatur.*

Cum idem jam demonstraverimus de societate qualibet in genere (§. 167. *part. 7. Jur. nat.*); poteramus idem quoque ex eo inferre de civitate. Ceterum hic quoque notandum est quod de principio hoc in genere annotavimus (*not. §. cit.*)

§. 53.

Quoniam naturaliter *civitas una potestati civitatis alterius* subjecta non est (§. 51.); *Si subjici debet, necesse est, ut vel facto suo, vel alieno eidem subjiciatur.* *Quomodo civitas una alteri subjici possit.*

Nondum hic definimus, utrum jure, an injuria hoc fiat: de eo enim in sequentibus demum disquirendum.

§. 54.

Civitates spectandae sunt tanquam personae singulares liberae, in statu naturali viventes. Etenim plures societates diversae spectandae sunt inter se tanquam personae singulares liberae in statu naturali viventes (§. 168. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem cum civitates sint societates (§. 4.); eaedem quoque spectandae sunt tanquam personae singulares liberae, in statu naturali viventes. *Quomodo civitates spectandae inter se.*

Quae alias annotavimus, cum de societatibus in genere

Digitized by Google

idem evinceremus (*not.* §. 168. *part.* 7. *Jur. nat.*); ea etiam hic tenenda ſunt. Fieri enim poteſt, ut plures civitates in unam compoſitam coaleſcant, vel etiam certis pactionibus una alteri ſeſe obliget ad certas præſtationes imperium diminuentes, prouti ex ſequentibus eluceſcet.

§. 55.

De naturali libertate populorum.

Populus quilibet naturaliter liber eſt. Multitudo enim hominum in civitatem conſociatorum populus eſt (§. 5.). Quoniam itaque naturaliter civitas quælibet libera eſt (§. 50.); populus quilibet naturaliter liber eſt.

Libertas civitati non competit, niſi quatenus competit ſingulis ejusdem membris (*not.* §. 50.). Singula vero hæc membra ſimul ſumta populus ſunt (§. 5.) Quamobrem libertas civitati competens illa ipſa libertas eſt, quæ populo competit, & eadem cum libertate naturali ſingulorum, qui per conſociationem populus facti ſunt. Per hanc autem conſociationem nemini ſeſe ad aliquam præſtationem cum imminutione libertatis naturalis obligarunt, qui cum ipſis conſociati non ſunt.

§. 56.

Quomodo unus alteri ſubjici poſſit.

Quoniam *populus* quilibet naturaliter liber eſt (§. 55.) *nullus alii populo ſubjici poteſt niſi facto vel ſuo, vel alieno.*

Nondum hic loquimur de jure, ſed ſaltem de facto. De illo enim demum diſpiciemus ſuo loco.

§. 57.

Quale ſit imperium in populo.

Imperium, prouti in populo originarie eſt, ſummum eſt. Etenim populus naturaliter liber eſt (§. 55.), ac ideo in agendo, & per conſequens in exercitio imperii, quando id in alium nondum transtulit (§. 36.), non dependet niſi a ſeipſo

Digitized by Google

seipso (§. 153. *part. Jur. nat.*) seu propria sua voluntate. Quamobrem cum imperium summum sit, cujus exercitium non dependet ab alterius cujusdam voluntate (§. 44.); imperium, prouti originarie in populo est, summum est.

Summitas imperii fluit ex libertate naturali populi. Vi hujus alterius cujusdam potestati subjectus non est (§. 135. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter nemini jus quoddam in eodem (§. 134. *part. 1. Jur. nat.*), ac per consequens in imperii, quod habet (§. 33.), actus jus quoddam competit. Est igitur imperium, quale originarie penes populum est, summum (§. 44.)

§. 58.

Quoniam imperium, prouti in populo originarie est, summum est (§. 57.), a voluntate autem populi dependet, quomodo imperium in alium transferre velit (§. 36.); *Si imperium in alium transfert populus, summitatem ejus vel sibi retinere, vel in alium transferre potest.* *De libertate disponendi de summitate imperii populo competente.*

Non de eo hic quæstio est, num prudentiæ sit summitatem imperii transferre in Rectorem civitatis, an vero melius sit, ut eandem populus sibi retineat; sed saltem quæritur, quid populus jure suo usus facere possit. Imperium res populi propria est (§. 34.), & quatenus originarie penes ipsum est, summum est (§. 57.). De summitate igitur etiam imperii disponere pro lubitu potest (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*)

§. 59.

Quoniam populus summitatem imperii in rectorem civitatis transferre potest (§. 58. 42.); *summitas imperii non semper necessario penes populum est*, consequenter *populo non semper, sic semper jus aliquod competit in actus Rectoris civitatis* (§. 44.), adeoque *nec jus coërcendi atque puniendi Reges imperio abutentes.* *An summitas imperii semper penes populum.*

Digitized by Google

Mortonius in commentario *Eliſabethæ* exhibito apud *Buchananum* lib. 20. ſtatuit, legem de puniendo Rege non ſolis Scotis propriam eſſe, ſed omnibus nationibus & populis bene inſtitutis communem. Olim nimirum Reges in Scotia, referente *Thuano* lib. 50. morte, vinculis, exilio puniri. Scotos liberam ab initio gentem Reges eo jure ſibi creaviſſe, ut imperium populi ſuffragiis eis mandatum, ſi res poſceret, eisdem ſuffragiis adimi poſſet. Et *Buchananus* rerum Scoticarum lib. 20. ait, factum animadvertendi in Reges novum non videri, nam multos Reges a Scotis morte, vinculis, exilio punitos, & non modo externis exemplis factum Scotorum confirmari poſſe, ſed magnam quoque farraginem eorum ex antiquis hiſtoriarum monumentis ultro ſeſe offerre. Tale quid de Lacedæmoniis refert *Cornelius Nepos* in vita *Pauſaniæ* c. 3. & de antiquis *Burgundis* etiam *Ammianus Marcellinus*. Falluntur tamen, qui contendunt, jus iſtiusmodi in Rectorem civitatis ſemper absque ulla exceptione competere populo, prouti ex iis, quæ demonſtravimus, obvium eſt. Recte obſervat *Grotius* de J. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 8. ſententiam iſtam, qua ſummitas imperii ſine omni exceptione ad populum reſtringitur, innumeris malis cauſam dediſſe & dare etiamnum poſſe, ſeditionibus ſcilicet, conjurationibus, tumultibus, bellis inteſtinis, diſſentiente licet *Gronovio* in Notis ad hunc locum, qui Regum potius ac Magiſtratuum iniquitatem iſtis malis cauſam dediſſe mavult. Inde tamen non ſequitur ſummitatem imperii penes populum neutiquam eſſe, ſeu populum imperium transferentem ſummitatem ejus ſibi retinere non poſſe, cum Rectoris civitatis jus metiendum ſit ex voluntate populi imperium transferentis (§. 43.), nec de eo quæſtio ſit, quid exinde ſequatur, ſi populus hac potius, quam alia lege transtulerit, & num prudenter, vel imprudenter fecerit, quod hac potius, quam alia lege transtulerit.

§. 60.

Digitized by Google

§. 60.

Imperium civile, ſeu publicum conſiſtit in jure determinandi ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur. Etenim eſt jus univerſis in ſingulos in civitate competens (§. 32.). Quamobrem cum idem metiendum ſit ex fine civitatis (§. 30.), ſeu bono communi (§. 9. 13.), vel publico (§. 23.), nec ultra eas actiones, quae ad bonum publicum conſequendum pertinent, extendi poſſit (§. 35.); erit utique jus determinandi ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur. *In quonam imperium civile conſiſtat.*

Qui in civitatem coëunt, hunc finem ſibi propoſitum habent, quod conjunctis viribus bonum commune promovere velint (§. 4. 9.), & ad hoc ſinguli ſeſe univerſis & univerſi ſingulis obligant (§. 28.). Dum volunt finem, neceſſe etiam eſt ut velint media, ſine quibus illum conſequi non datur. Ea igitur media determinanda ſunt & per conſequens jus univerſis competens in ſingulos aliud eſſe nequit, quam jus determinandi ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur. Imperantis itaque eſt præſcribere media, quibus bonum publicum conſequi datur. Quamobrem qui intimius perſpicit, in quonam bonum publicum conſiſtat; is quoque intime perſpicit, in quonam imperium civile conſiſtat.

§. 61.

Imperium civile, ſeu publicum varia complectitur jura, quæ a ſe invicem ſeparari poſſunt, ſeu non neceſſario eidem ſubjecto ſimul inſunt. Etenim imperium publicum conſiſtit in jure determinandi ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 60.). Quamobrem cum bonum commune civitatis, hoc eſt, publicum (§. 23.), conſiſtat in eo, ut civitas abundet iis, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem *An imperium publicum ſit jus indiviſum.*

Digitized by Google

& jucunditatem faciunt, & ut felicitati ſingulorum ſufficienter proſpiciatur, ut tutus quilibet ſit ab injuria aliorum & a vi externa hoſtium, ipſa denique civitas ſatis potens ad huic reſiſtendum (§. 9.), conſequenter plura a ſe invicem diſtincta complectatur; imperium quoque complectitur tot jura diverſa, quot diverſæ illorum, quæ ad bonum publicum pertinent, concipi poſſunt claſſes. Varia igitur complectitur jura. *Quod erat primum.*

Enimvero ſi fines illos diverſos, qui ſimul intenduntur, & in quibus bonum publicum conſiſtit, perpendere volueris, facile apparet, eos ita ſeſe habere, ut unus absque altero intendi poſſit, nec poſito uno ponantur quoque ceteri. Quamobrem etiam media ad unum conſequendum neceſſaria per ſe minime dependent a mediis, quae ad alium conſequendum requiruntur. Qui itaque præſcribit media fini uni conſequendo neceſſaria, is non tenetur præſcribere media fini cuidam alteri conſequendo inſervientia, conſequenter cum jura ad imperium publicum pertinentia non conſiſtant niſi in juribus præſcribendi media iſta (§. 60.); jura, quæ imperium ſummum complectitur, a ſe invicem ſeparabilia ſunt, nec neceſſario eidem ſubjecto ſimul inſunt. *Quod erat alterum.*

Diverſa illa jura, quæ imperium publicum continet, rectius diſtinguentur, ubi oſtenderimus, quænam ad Remp. rite inſtituendam requiruntur, conſequenter quibusnam opus ſit mediis, ut finis civitatis ex aſſe obtineatur. Ut tamen non prorſus obſcura maneant, quæ hic demonſtrantur, exempli ſaltem loco unum vel alterum horum jurium commemorare libet. Pertinent nimirum ad imperium publicum jus ferendi leges, jus decidendi controverſias civium de jure, jus puniendi delicta, jus belli, jus tributa indicendi, jus circa ſacra.

§. 62.

Digitized by Google

§. 62.

Imperium plenum dicitur, quod omnia jura complectitur ad imperium civile ſpectantia, nullo prorſus excepto: *Minus plenum* autem, quod non omnia jura complectitur ad imperium civile ſpectantia, ſed a quo unum, vel alterum eorum ademtum. Quoniam jura omnia ad imperium civile ſpectantia non neceſſario ſimul inſunt eidem ſubjecto (§. 61.), *ſi imperium in alium, vel alios transfertur, vel plenum, vel minus plenum transferri poteſt, prout populo transferenti viſum fuerit (§. 36.)* *Imperium plenum & minus plenum.*

Ita e. gr. populus ſibi retinere poteſt jus belli inchoandi, vel tributa indicendi, ſeu onera nova imponendi.

§. 63.

Diverſa illa jura, quorum unum absque altero ſubſiſtere poteſt, quæ tamen ſimul ſumta imperium publicum conſtituunt, dicuntur *Partes imperii.* Partes haſce *Grotius* vocat *potentiales.* Atque hinc patet, *imperium plenum conſiderari ut totum nulla ſui parte deminutum, minus plenum* autem ut partem ejus, ſeu complexum quendam partium potentialium quarundam, aut, ſi mavis, *ut imperium parte una, vel altera deminutum.* Immo porro patet, *imperium civile eſſe diviſibile in partes potentiales.* *Partes imperii & ejus diviſibilitas.*

§. 64.

Quoniam imperium civile diviſibile eſt in partes potentiales (§. 63.), a populi autem voluntate dependet, quomodo imperium in alium transferre velit (§. 36.); *ſi populus imperium in alium transfert, aut indiviſum transferre, aut in partes potentiales dividere, & partem diviſam vel ſibi retinere, vel certa lege in alium, vel alios transferre poteſt.* *Quomodo diviſio fieri poſſit.*

Ita

Digitized by Google

Ita imperium in Rep. Hebræorum divisum erat ea lege, ut jus circa sacra Pontifici maximo, jus autem circa profana Regi competeret.

§. 65.

De summitate imperii divisi.

Si imperium dividatur in partes potentiales, summum esse potest pro qualibet parte divisa. Quando enim imperium dividitur in partes potentiales, diversa illa jura, quæ complectitur, & quorum unum absque alio subsistere potest, separantur, ut in diversis subjectis subsistant (§. 61. 63.). Enimvero summitas respicit exercitium imperii totius & singulos ejus actus facit inde pendentes a voluntate alia, quam exercentis (§. 44.), consequenter divisio minime obstat, quo minus actus ad exercitium cujuslibet juris spectantes maneant independentes ab alia, quam exercentis voluntate. Imperium itaque, si dividitur in partes potentiales, summum esse potest pro qualibet parte divisa.

Ita in Rep. Hebræorum non minus jus Pontificis maximi circa sacra, quam jus Regis circa profana summum erat, ita ut neutri competeret jus in actus alterius, eos scilicet, qui ad exercitium juris sui pertinebant. Sunt equidem qui absurdum dicunt duplex summum imperium in eadem civitate; sed cur absurdum sit, nulla ratione solida evincunt. Sane absurdum minime reputant, ut populus quædam jura ad imperium spectantia sibi retineat, in quibus dependere non vult a Rectoris voluntate. Nonne vero perinde est, sive jus sibi reservatum exerceat per se, sive idem transferat in alium, ut idem exerceat, prout sibi videtur? Ex eo, quod corpus humanum sit monstrosum, si duo habeat capita, minime sequitur, Remp. fore monstrosam, in qua duo existunt imperia summa. Absurditas demum probata intelligitur, si demonstratum fuerit, imperio summo diviso finem civitatis obtineri minime posse, sed ex hac divisione sequi, quæ eidem e diametro

Digitized by Google

metro repugnant. Hoc enim in præsenti materia pro moraliter impossibili, consequenter pro absurdo habendum, si velimus uti mediis, quæ finem civitatis evertunt, aut saltem ab eodem abducunt.

§. 66.

Imperium limitatum dicitur, cujus exercitium certis legibus adstrictum, vel consensu alterius indiget. *Absolutum* vero est, quod limitatum non est. *De imperio limitato & absoluto.*

Hobbesius nullam agnoscit differentiam inter imperium summum & absolutum. Qui enim absolutum habet imperium, is in eo exercendo suo stat judicio, cum nullius consensum requirere, nec ad certas leges actus suos componere teneatur. Enimvero inde nondum sequitur, in actus ipsius nullum jus esse populo, ut iidem a voluntate ejus sint prorsus independentes, nec, si eidem ita visum fuerit, irriti effici possint. Absolutum itaque esse potest imperium, non tamen summum, ac per consequens non inani subtilitate imperium absolutum a summo distinguitur. Immo non implicat, imperium limitatum esse summum, quatenus equidem Rectori civitatis certæ præscriptæ sunt leges, juxta quas idem exercere debet; quodsi tamen contrarium fecerit, populo jus non est actus ejus irritos reddendi. Sed de eo uberius dicendum inferius, quando disquiremus, utrum imperium summum sit irresistibile, nec ne.

§. 67.

Quoniam imperium limitatur, si exercitium certis legibus adstringitur, aut ad actus ejus certorum quorundam consensus requiritur (§. 66.); imperium autem minus plenum non omnia jura continet, quæ idem complectitur, (§. 62.) quoad exercitium tamen eorum jurium, quæ continet, certis legibus adstringi, aut ad consensum certorum quorundam restringi potest; *imperium minus plenum limitatum* *An imperium minus plenum limitatum esse possit.*

Digitized by Google

esse potest. Et eodem modo patet, *imperium minus plenum etiam absolutum esse posse.*

§. 68.

An plenum pro parte limitatum, pro alia absolutum.

Immo quoniam imperium in partes potentiales divisibile, hoc est, in jura, quæ sigillatim subsistere possunt (§. 63.), consequenter non implicat, ut, si omnia jura, quae ad illud spectant, hoc est, imperium plenum (§. 62.), transferantur in unum, quoddam exercitium certis regulis adstringatur, vel a consensu certorum quorundam suspendatur, aliorum vero exercitium judicio habentis prorsus liberum relinquatur; imperium vero limitatum est, cujus exercitium certis legibus adstrictum, vel a consensu certorum quorundam suspensum, absolutum vero, quod ita limitatum non est (§. 66.); *si imperium plenum transferatur, pro aliqua parte limitatum, pro reliqua absolutum transferri potest, prouti scilicet populo transferenti visum fuerit* (§. 36.).

Omnis diuersitas imperii oritur a voluntate populi idem in alium, vel alios transferentis. Cumque jus externum ex eadem unice metiendum sit, de jure Rectori civitatis competente ex principiis intrinsecis judicium fieri nequit. A diversitate autem imperii in Rectorem translati pendent diversæ regiminis formæ.

§. 69.

De imperio temporario & precario.

Imperium dicitur *temporarium*, quod ad certum tempus alicui confertur. Ei quodammodo affine est *Precarium*, quod confertur sub hac clausula, quamdiu voluerimus, seu quamdiu placuerit. Unde patet, *elapso tempore, ad quod imperium concessum, idem redire ad populum, precarium vero esse quolibet momento revocabile.*

Regnum

Digitized by Google

Regnum precarium olim fuiſſe *Vandalorum* in Africa & *Gothorum* in Hiſpania, obſervat *Grotius* de I. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 11. n. 3. & idem in Notis de *Herulis*, *Longobardis*, *Burgundis*, *Moldavis*, *Norwegis* aliisque refert. Quamvis vero abſurdum videatur nonnullis, imperium precario habere; minus tamen abſurdum exiſtimari debet, quam Regem ita ſubjicere populo, ut morte, vinculis & exilio puniri poſſit, quemadmodum olim in Scotia moris fuit (*not.* §. 59.). Minus incommodi habet imperium ex pacto revocare, quam Regem in judicium vocare, ut adminiſtrationis imperii rationem reddat, & pœnæ nomine imperio ipſum exuere, immo grauius in eundem animaduertere.

§. 70.

Imperium temporarium abſolutum & ſummum eſſe poteſt. Quale eſſe poſſit imperium temporarium.

Qui enim imperium temporarium habet, is ad certum tempus idem exercendi jus habet (§. 69.). Enimvero propterea quod imperium ſaltem ad certum tempus exerceri poſſit, neceſſe non eſt ut exercitium certis legibus adſtringatur, aut ad ejus actus conſenſus populi, vel aliorum quorundam requiratur, conſequenter ut imperium ſit limitatum (§. 66.). Quamobrem cum imperium abſolutum ſit, quod limitatum non eſt (§. *cit.*); imperium temporarium abſolutum eſſe poteſt. *Quod erat unum.*

Similiter ſi imperium ad certum ſaltem tempus exercendum in aliquem transfertur, opus non eſt, ut populus ſibi reſervet jus in actus ejus, quo eos irritos reddere poſſit, quando diſplicuerint, modo exercendi imperium a tempore minime pendente, quod per ſe patet. Quamobrem cum imperium temporarium ſit, quod nonniſi ad certum tempus collatum (§. 69.), ſummum vero, ſi nemini in actus ejus

Digitized by Google

jus quoddam competit (§. 44.); imperium temporarium ſummum eſſe poteſt. *Quod erat alterum.*

Grotius loc. cit. n. 12. regni temporarii exempla affert poteſtatem Amymonum apud Cnidios & Dictatorum apud Romanos. Horum autem imperium utique erat ſummum & abſolutum. Equidem alii contendunt, dictatorem non fuiſſe monarcham, ſed ſaltem magiſtratum extraordinarium; hanc tamen controverſiam in præſenti noſtram non facimus. Nobis enim ſufficit demonſtraſſe, non implicare, ut imperium temporarium ſit & abſolutum, & ſummum, & exempli ſaltem loco adduximus Dictaturam Romanorum, de qua quid verius ſtatuendum ſit, e re noſtra non eſt. Multo minus autem refert, quo titulo compellare Dictatorem velis.

§. 71.

Idem porro expenditur.

Imperium temporarium limitatum eſſe poteſt & ſtante imperio temporario ſummitas populo reſervari. Quando enim imperium alicui conceditur ad certum tempus, hoc minime obſtat, ut exercitium ejus ad certas leges reſtringatur & ad nonnullos actus populi, vel certorum aliorum conſenſus requiratur, quod per ſe patet. Quamobrem cum imperium limitatum ſit, ubi hoc obtinet (§. 66.), idem vero ſit temporarium, ſi ad certum ſaltem tempus conceſſum (§. 69.); imperium temporarium limitatum eſſe poteſt. *Quod erat primum.*

Similiter quamvis imperium ſaltem ad certum tempus alicui conferatur, hoc tamen non obſtante populus ſibi reſervare poteſt jus in ejus actus, ut, prouti placuerit, eos irritos reddere poſſit. Quamobrem cum in hoc jure conſiſtat ſummitas imperii reſervata (§. 44.); ſtante imperio temporario ſummitas populo reſervari poteſt. *Quod erat alterum.*

§. 72.

Digitized by Google

§. 72.

Imperium precarium tam absolutum, quam limitatum esse potest, summum vero esse nequit. Imperium enim precarium confertur sub hac clausula, quamdiu placuerit, ac ideo quolibet momento, consequenter ob quemlibet actum, qui displicuerit, revocabile est (§. 69.). Quamobrem facile patet, necesse non esse, ut certus agendi modus imperanti praescribatur, nec ei injungatur, ut ad certos quosdam actus aliorum consensus requiratur; fieri tamen utrumque posse, siquidem ita visum fuerit. Quoniam itaque in casu priori imperium absolutum est, in posteriori autem limitatum (§. 66.); imperium precarium tam absolutum, quam limitatum esse potest. *Quod erat unum.* *Quale sit imperium precarium.*

Enimvero quoniam imperio saltem precario concesso populus sibi reservavit jus idem ob actum quemlibet revocandi, qui displicuerit (§. 69.); quando imperium saltem precario alicui conceditur, populus sibi reservat jus in singulos actus ejus, quem Rectorem constituit. Quamobrem cum imperium summum non sit, in cujus actus populo jus quoddam competit (§. 44.); imperium precarium summum esse nequit. *Quod erat alterum.*

Summitati nihil magis adversatur, quam precarium. Etsi autem libertati maxime favere videatur; saluti tamen civitatis parum convenit, quoniam de revocabilitate non semper idem est omnium judicium & factiones facile in diversam abeunt sententiam.

§. 73.

Imperium limitatum per se summum non est. Etenim si imperium limitatum est, exercitium ejus certis legibus adstrictum & quoad actus nonnullos consensus, vel universi populi, *An imperium limitatum summum*

Digitized by Google

mum esse possit. vel certorum quorundam ex populo requiritur (§. 66.), consequenter exercitium ejus non est independens ab alterius cujusdam voluntate. Quamobrem cum imperium summum non sit, nisi ejus exercitium sit prorsus independens ab alterius cujusdam voluntate (§. 44.); imperium limitatum per se summum non est.

Reservavit nimirum populus sibi aliquod jus in actus imperantis, tum quatenus eos certis legibus alligavit, tum quatenus ad eos consensum certorum aliorum necessario requirit, cum non alio fine id fiat, quam quod nolit unice dependere a voluntate imperantis, nisi aliud sufficienter indicaverit (§. 81.)

§. 74.

Quomodo imperium limitetur. *Si imperium limitatur, ejus exercitium certis legibus adstringitur in iis, quæ semper eodem modo fieri possunt, ad ea vero, de quibus nonnisi ex præsenti tempore judicium fieri potest, utrum sint e re civitatis, nec ne, consensus vel universi populi, vel certorum quorundam ex populo requiritur.* Etenim si quædam semper eodem modo fieri possunt, de iis in antecessum constitui potest, quomodo fieri debeant, consequenter certa quædam regula præscribi, juxta quam imperans actus suos determinare tenetur (§. 475. *Ontol.*). Quamobrem cum regula istiusmodi lex sit (§. 131. *part. I. Phil. pract. univ.*); in iis, quæ semper eodem modo fieri possunt, exercitium imperii certis legibus adstringi potest, dum limitatur (§. 66.). *Quod erat unum.*

Enimvero si qua sunt, de quibus nonnisi ex tempore præsenti judicium fieri potest, utrum sint e re civitatis, nec ne; de iis in antecessum constitui nequit, quid fieri debeat, cum circumstantiæ prævideri nequeant, unde pendet judicium istud, consequenter de modo agendi certa lex præscribi

Digitized by Google

præſcribi nequit *per demonſtrata.* Quamobrem ſi in iis populus unice a voluntate imperantis pendere nolit, neceſſe eſt ut ad ea determinanda requiratur vel populi univerſi, vel certorum quorundam ex populo conſenſus. *Quod erat alterum.*

Non alio fine limitatur imperium, dum in alium, vel alios transfertur, quam quod populus nolit in omnibus unice dependere ab imperantis, vel imperantium voluntate, tum quod imperans in dijudicando eo, quod ſaluti publicæ convenit, a vero facile aberrare poſſit, tum quod cupiditatibus haud raro in transverſum abripi queat. Quoniam itaque non aliter caveri poteſt, ne in exercendo imperio, quod in unum, vel plures collatum, a bono publico aberretur, quam eo modo, quem inſinuat propoſitio præſens; ideo hæc ipſa lumen definitioni imperii limitati plenam affundit (§. 66.). Exemplum caſus prioris eſt, ſi lege caveatur, ne imperans propria autoritate circa ſacra quid mutet; caſus vero poſterioris, ſi ſine conſenſu populi, vel certorum aliorum nova onera ſubditis imponere, vel bello alios laceſſere nequeat.

§. 75.

Leges, ad quas obſervandas populus imperantem, ſeu Rectorem civitatis adſtringit, populi conſenſu tolli ac mutari poſſunt, prouti ipſi viſum fuerit, modo jus Rectori quæſitum non diminuatum. Etenim imperium res propria populi eſt (§. 34.), conſequenter de ejus exercitio pro arbitrio ſuo diſponere poteſt (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*). Quemadmodum itaque a voluntate ipſius dependebat, qua lege imperium in alium transferre (§. 36.), conſequenter ad quarum legum obſervantiam Rectorem civitatis adſtringere vellet; ita quoque ab ejusdem voluntate dependet, num leges iſtas tollere, vel mutare velit. Quamobrem conſenſu ipſius tolli, ac mutari poſſunt, prouti viſum fuerit. *Quod erat unum.*

De legum Rectori civitatis præſcriptorum abrogatione & mutatione.

Quo-

Digitized by Google

Quoniam tamen Rectori civitatis jus, quòd consensu populi imperium deferentis semel acquisivit, invito iterum auferri nequit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*), omnino autem jus aliquod quæsitum auferretur, si mutata lege, ad quam exercitium imperii delati adstrictum, jus ipsius diminueretur, quod per se patet; leges, ad quas observandas populus Rectorem civitatis adstrinxit, idem mutare nequit, si facta hac mutatione jus illius diminueretur. *Quod erat alterum.*

§. 76.

De imperio limitato in absolutum mutato.

Quoniam populus leges, ad quas observandas imperantem adstrinxit, tollere potest (§. 75.), istis autem legibus sublatis, imperium limitatum fit absolutum (§. 66.); *si Rectori civitatis imperium limitatum competit, populus idem in absolutum mutare potest.*

Si imperium limitatum in absolutum convertitur, jus Rectoris augetur, non diminuitur (§. 66.). Quamobrem nil prorsus impedit, quo minus id fieri possit.

§. 77

De legibus fundamentalibus civitatis.

Leges istæ, ad quarum observantiam adstringitur Rector civitatis in exercitio imperii, dicuntur *Leges fundamentales civitatis.* Quamobrem patet, *per leges fundamentales limitari imperium Rectoris civitatis, easque tolli ac mutari posse, modo mutatione non diminuatur jus imperantis, seu Rectoris civitatis.*

Rector civitatis leges fundamentales pro lubitu mutare, vel tollere nequit. Repugnat enim, ut quis obligetur ad certarum legum observantiam, quas pro lubitu ipse mutare, vel prorsus tollere valet: id enim perinde foret, ac si alicui liberum relinqueretur, utrum eas observare vellet, nec ne.

§. 78.

Digitized by Google

§. 78.

Lex fundamentalis ciuitatis eſt, ut Rector ejus in certis negotiis requirat conſenſum vel populi univerſi, vel certorum quorundam ex populo. Etenim ſi Rectori ciuitatis præſcribitur, ut in certis negotiis vel populi univerſi, vel certorum quorundam ex populo conſenſum requirat; regula ipſi præſcribitur, juxta quam actus imperii in certis caſibus obvenientibus determinandi (§. 475. *Ontol.*), nimirum quod eundem ſubmittere debeat judicio vel populi univerſi, vel eorum, quos populus nominavit. Quamobrem cum ad requirendum populi, vel certorum quorundam ex populo conſenſum Rector civitatis obligetur, *per hypoth.* & iſtiusmodi regula lex ſit (§. 131. *part. 1. Phil. pract. univ.*), lex vero talis ſit lex fundamentalis civitatis (§. 77.); ad leges fundamentales civitatis utique referendum, ut Rector ejus in certis negotiis requirat conſenſum vel populi univerſi, vel certorum quorundam ex populo. *Lex fundamentalis de conſenſu aliorum in certis negotiis requirendo.*

Non eſt quod excipias, ſi ad leges fundamentales civitatis referendum, ut Rector civitatis in certis negotiis aliorum conſenſum requirat, non opus eſſe, ut in definitione imperii limitati requiſitio conſenſus aliorum diſtinguatur ab adſtrictione imperii ad certas leges (§. 66.); aliud enim eſt actum quendam per legem determinare, qualis ſemper eſſe debet, aliud vero actum quendam in ſingulari ſubmittere judicio alieno, ac determinationem ejus ſuſpendere ab alterius voluntate (§. 74.).

§. 79.

Si Rector civitatis, qui abſolutum imperium habet, ipſe certas leges conſtituit, juxta quas imperium exercere velit, vel etiam certum concilium, ſine cujus approbatione quid facere nolit; illas tamen leges non ſemper neceſſario ſequi tenetur, immo eas De legibus, quas ſibimet ipſe Rector civitatis præſcribit.

Digitized by Google

prorſus tollere poteſt, ſi aliter viſum fuerit, ac ſimiliter etiam improbante concilio facere poterit, quod ſibi viſum fuerit. Etenim ſi Rector civitatis imperium habuerit abſolutum, ejus exercitium ad certas leges adſtrictum non eſt, nec ad quosdam actus requirere tenetur aliorum conſenſum (§. 66.). Quoniam itaque ipſi prorſus liberum eſt, quomodo imperium exercere velit; ſi certas leges conſtituit, juxta quas idem exercere velit, conſequenter de iis, quæ ſemper eodem modo fieri poſſunt, in anteceſſum conſtituit, quod ipſi hoc modo ſaluti civitatis optime proſpici videtur, conſequenter quia hoc modo imperium exercere placet. Enimvero cum exinde non ſequatur, quod ſibi ademerit jus aliter faciendi, ſi aliter ſaluti civitatis proſpici rectius poſſe judicaverit; ab ipſius utique voluntate unice dependet, num in caſu dato legem, quam ſibimet ipſe præſcripſit, ſequi velit, an nolit, immo num eam prorſus tollere velit. Quamobrem eas non ſemper neceſſario ſequi tenetur &, ſi ita viſum fuerit, eas denuo tollere poteſt. *Quod erat unum.*

Quodſi certum concilium conſtituat, ſine cujus approbatione nil facere velit; id denuo ſua ſponte facit, nec propterea ſeſe obligavit huic concilio, quod eorum judicio ſtare debeat. Semper itaque ab ejus voluntate adhuc dependet, utrum negotium ad concilium deferre, & ubi detulerit, utrum ejus judicio ſtare velit, nec ne. Quamobrem concilio etiam improbante facere poterit, quod ſibi viſum fuerit. *Quod erat alterum.*

Nemo ſeipſum obligare poteſt ad aliquid faciendum, vel non faciendum, cum nemo ſe ipſum cogere poſſit, ut faciat, vel coërcere, ſi nolit. Quamobrem quoque leges, quas quis ſibimet ipſe præſcribit, proprie loquendo leges non ſunt, ſed ſaltem regulæ, quas quis ſibi obſervare propoſuit. Immo quando

Digitized by Google

quando quis ſibi proponit certum agendi modum, id omnino fecit ea reſervatione, quod eum ſequi velit, quamdiu commodum viſum fuerit, ab eo autem recedere, ſi aliter magis fini a ſe intento convenerit. Similiter concilium, ad quod libere defert Rector civitatis negotium, de quo ex præſenti tempore ſtatuendum, conſiliariorum munere tantummodo fungitur; non autem eam ipſi contulit autoritatem, ut, quod decreverit, id ipſe facere teneatur. Nemo ſane intelligitur abdicare abſolutum imperium, niſi expreſſe declaraverit, ſe eodem uti nolle.

§. 80.

Imperium abſolutum non fit limitatum, nec deſinit eſſe ſummum, ſi Rector civitatis ſibimet ipſe certas leges conſtituit, quas ſequi velit, vel certum concilium, ſine cujus approbatione quid facere nolit. Etenim ſi abſolutum habet imperium, leges illas neceſſario ſequi non tenetur, ſi aliter ipſi viſum fuerit, immo eas prorſus tollere poteſt, atque improbante concilio facere, quod ſibi videtur (§. 79.). Quamobrem cum imperium limitatum non ſit, niſi Rector civitatis certas leges obſervare & ad certa negotia aliorum conſenſum requirere teneatur (§. 66.); ſi ipſe ſibi certas leges conſtituit, quas ſequi velit, vel certum concilium, ſine cujus approbatione quid facere nolit, per hoc imperium abſolutum, quod habet, non efficitur limitatum. *Quod erat unum.*

An per eas imperium limitatum ac deſinat eſſe ſummum.

Quoniam contra leges, quas ſibi conſtituit Rector civitatis imperium abſolutum habens atque ſummum, facere, immo eas tollere poteſt, & quod concilium a ſe conſtitutum improbat facere (§. 79.); propterea nemini naſcitur jus in actus ipſius, quod leges iſtas, vel concilium iſtiusmodi conſtituerit, cum in agendo hoc non obſtante non dependeat niſi a propria voluntate. Quamobrem cum im-

Digitized by Google

perium ſummum ſit, ſi ejus exercitium ab alterius cujusdam voluntate non dependeat (§. 44.); imperium non deſinit eſſe ſummum, ſi Rector civitatis ſibimet ipſe certas leges conſtituit, quas ſequi velit, vel certum concilium, ſine cujus approbatione quid facere nolit. *Quod erat alterum.*

Leges iſtiusmodi ac concilium Rector civitatis non conſtituit, niſi quatenus abſolutum ac ſummum habet imperium: alias enim neutrum facere poſſet auctoritate propria, ſed populi ad utrumque requireretur conſenſus (§. 44. 66.). Conſtitutio igitur tam legum, quam concilii cum ſit actus imperii abſoluti atque ſummi, ea nec extingui poteſt jus, quod habet Rector civitatis, nec ex eadem præſumi ejus abdicatio. Quid enim abſurdius, quam affirmare, quod jus amittatur exercendo, & ex eo, quod jure tuo utaris, colligere, quod id habere nolis? Si imperium transire deberet in limitatum, quod abſolutum eſt, aut definere eſſe ſummum, quod ſummum erat; non aliter hoc fieri poterat niſi ſingulari quodam pacto, quod Rector civitatis cum populo iniret, & quo ſe ad certas leges ſequendas & ad actus nonnullos aliorum conſenſum adhibere obligaret, cum nemo alteri ſeſe obligare poſſit niſi promittendo (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*), nec Rector civitatis, qui imperium nonniſi in uſufructu habet, imperium, quod ipſi collatum, pro lubitu ſuo absque conſenſu populi immutare queat. Leges itaque Rector civitatis, qui illimitatum, ſeu abſolutum imperium habet ſibi conſtituere non intelligitur niſi cum tacita hac exceptione, niſi aliter agere conſultius ſibi viſum fuerit. Et ſimiliter concilium conſtitutum intelligitur cum tacita hac exceptione, quod ejus judicio ſtare velit, niſi aliud ſibi e re civitatis magis viſum fuerit.

§. 81.

Quando populus Rectori civitatis

Si populus ſaltem exprimit voluntatem ſuam de nonnullis, qua Rector civitatis facere, aut non facere debeat, non vero expreſſe

Digitized by Google

preſſe declarat ſe ejus judicio ſtare nolle, ſi ſecus fecerit, aut con quædam cilium conſtituit, ſine cujus conſenſu nihil eorum decernere valet; præſcribat nullum ſibi jus in actus Rectoris reſervat. Etenim quando po- *per modum* pulus in delatione imperii voluntatem ſuam Rectori civita- *officii.* tis declarat, quomodo certos quosdam actus determinari velit, conſequenter quæ in certis caſibus facere, aut non facere debeat, cum alia ſit obligatio interna, quæ conſcientiam ſaltem Rectoris ſtringit, alia externa, quæ effectum quendam juris inter Regem & populum producit (§. 656. *part. 1. Jur. nat.*); nuda declaratione voluntatis ſuæ de modo adminiſtrandi imperii non videtur populus aliud egiſſe, quam ut interne obligaret Rectorem ad imperium ita exercendum, cum pro vero habendum ſit, quod ſufficienter indicavit (§. 428. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter ultra id, quod dictum eſt, obligatio Rectoris extendi non poſſit. Quodſi ergo non addat populus, ſe judicio Rectoris ſtare nolle, ſi ſecus fecerit, aut nullum concilium conſtituat, ſine cujus conſenſu nihil illorum decernere valet; obligationem externam introducere voluiſſe minime intelligitur, cum nulla adſint ſufficientia ſigna voluntatis hujus, conſequenter nullum ſibi jus in actus Rectoris reſervavit.

Tacite excepta non intelliguntur, niſi quæ negotio ipſi actu inſunt, aut ex iis, quæ expreſſe dicuntur, colligi poſſunt. Summitatis reſervatio facti eſt, adeoque non præſumitur. Quodſi ergo populus eandem ſibi quoad certos actus reſervare velit, neceſſe eſt, ut vel verbis, vel facto quodam ſufficienter declaret voluntatem ſuam. Alias equidem juſtam habebit conquerendi cauſam, quod Rector civitatis fecerit, quæ facere non debebat, ac fidem, quam in ſuſcipiendo imperio dedit, fefellerit, minime autem jus actus, qui displicent, irritos reddendi.

§. 82.

Imperium transferri nequit ea lege, ut populus univer- *An bonitas*

 ſus & malitia

Digitized by Google

actus sit apta ad jus populi & Rectoris distinguendum.

sus recte imperanti parere debeat, male autem imperanti resistere eumque coërcere possit. Quoniam enim recte imperatur, si quæ decernuntur ad bonum publicum promovendum faciunt (§. 60.), constat autem a posteriori de eo, quod ad bonum publicum promovendum facit, non omnium esse idem judicium, ut sæpe optime consulta habeantur pro pessimis & prava pro salubribus; bonitas & malitia actus non est apta ad jus Rectoris & jus populi distinguendum, sed si imperium inter populum & Rectorem dividi debet, necesse omnino est, ut juri utriusque tales assignentur fines, qui ex locorum, personarum, negotiorum discrimine unicuique patent. Quamobrem imperium nequit transferri ea lege, ut populus universus recte imperanti parere debeat, male autem imperanti resistere eumque coërcere possit.

Non confundendus est casus propositionis præsentis cum eo, quo populus sibi reservat jus in omnes actus Rectoris civitatis, consequenter totius imperii summitatem (§. 44.). Tum enim imperium administrare tenetur juxta populi, non suam voluntatem, sicuti magistratus munere suo fungitur juxta voluntatem superioris, a quo constitutus, cujus judicio stare tenetur, & cujus judicio subjiciiuntur omnes actus ipsius. Immo si rem penitius intpicias, tum Rector civitatis imperium nonnisi precario habebit.

§. 83.

An hoc omni translationi imperii insit per modum tacitæ exceptionis.

Quoniam imperium transferri nequit ea lege, ut populus universus recte imperanti parere debeat, male autem imperanti resistere, eumque coërcere possit (§. 82.); *sit-ne omnino est, imperium omne transferri cum tacita hac exceptione, ut populus universus Rectori civitatis recte imperanti parere debeat, ille autem si male imperet, populo subjiciatur*, consequenter *mutuam semper esse populi & Rectoris civitatis subjectionem* (§. 141. *part. I. Jur. nat.*).

Rector

Digitized by Google

Recte monet *Grotius* de I. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 9. n. 2. si hoc admittatur, summam sequi confusionem, cognitionem de eadem re pro jure potestatis obtentu actus boni malive hinc ad se Rege trahente, inde populo, qualem rerum perturbationem introducere nulli populo in mentem venire potuit. Quomodo autem dividendum sit imperium inter populum & Rectorem civitatis, siquidem is plenum in hunc transferre nolit, & quomodo limitandum, si absolutum concedere detrectet, ex anterioribus abunde patet.

§. 84.

Omnis Rector civitatis, quacunque lege imperium in eum fuerit translatum, obligatur ad faciendum ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur, & ad non faciendum ea, quæ eidem adversantur. Etenim Rector civitatis nemo est, nisi quatenus imperium habet (§. 42.). Quamobrem cum imperium non consistat nisi in jure determinandi ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§ 60.), nec ultra eas actiones, quæ huc faciunt, extendi nequeat (§. 35.); Rector civitatis utique obligatur ad faciendum ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur, & ad non faciendum ea, quæ eidem adversantur, cumque non alio fine imperium in ipsum transferatur, nisi ut idem exerceat (§. 42.), non alia intentione in ipsum transfertur, quam ut decernat & exequatur ea, quae bonum publicum exigit, consequenter ad hoc faciendum obligatur, quacunque lege imperium in ipsum fuerit translatum. *De officio cujuslibet Rectoris civitatis.*

Imperium non mutatur quoad determinationes essentiales quæ notionem ejus ingrediuntur, sive dividatur in partes potentiales, sive limitetur quoad exercitium. Imperio essentiale est, ut omnes ejus actus sint media, quibus finis civitatis, commune scilicet, seu publicum bonum obtinetur; ex constitutione

Digitized by Google

tutione enim civitatis aliud jus enasci nequit nisi ad eos actus, quibus finis civitatis obtinetur. Essentialia vero, quæ rei insunt, immutabilia sunt (*§.* 300. *Ontol.*). Non amplius erit imperium civile, si fingatur quocunque modo jus faciendi alia, quam quæ ad finem civitatis consequendum requiruntur, aut talia, quæ eidem repugnant. Populus itaque imperium in alium transferens non aliud transfert jus quam faciendi, quæ ad bonum publicum consequendum faciunt, & hunc finem semper propositum habere debet Rector civitatis, sive pleno, absoluto ac summo utatur imperio, sive minus pleno & limitato. Obligatio hæc promovendi bonum publicum naturalis est, a qua nec Rector civitatis seipsum liberare, nec populus eum dispensare potest.

§. 85.

De recto & malo regimine. Quoniam rector civitatis obligatur facere ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur, & ad non faciendum ea, quæ eidem adversantur (§. 84.), in exercitio autem imperii, quod in ipsum translatum (§. 42.), regimen consistit (§. 218. *part.* 7. *Jur. nat.*); *Rector civitatis recte imperat*, seu civitatem regit, *si ea facit, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur, male autem imperat, si ea facit, quæ bono publico adversantur.*

Regere civitatem non est, nisi determinare media, quibus bonum publicum promovetur, iisdemque uti, ut actu id promoveatur. Actus igitur Rectoris civitatis ad hunc finem tendunt: quodsi vero ab eodem aberrent, non facit is, quod est officii sui. Quousque vero ista aberratio eidem imputanda, suo demum loco disquiremus.

§. 86.

De suprema lege civitatis. *Salus publica in civitate suprema lex est.* Etenim civitas constituitur vitæ sufficientis, tranquillitatis & securitatis gratia

Digitized by Google

gratiâ (§. 14.), & qui in civitatem coëunt ad finem hunc conjunctis viribus conſequendum ſeſe ſibi invicem obligant (§. 1. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quicquid ergo in civitate ordinatur & a membris civitatis qua talibus fit, huc facere debet, ut univerſi vita ſufficiente, tranquillitate & ſecuritate fruantur. Quoniam itaque ſalus civitatis in non impedita fruitione vitæ ſufficientis, tranquillitatis & ſecuritatis conſiſtit (§. 17.); eidem convenienter determinanda ſunt omnia, quæ ad civitatem ſpectant. Salus igitur publica in civitate ſuprema lex eſt (§. 475. *Ontol.* & §. 131. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Legem hanc obſervare tenetur non minus Rector civitatis, quam civis quilibet. Et vnica cura illius eſſe debet, ut ſaluti civitatis proſpiciatur; ipſius etiam eſt curare, ne quis civium faciat eidem adverſa, nec in ea promovenda negligentem ſe præbeat. Legem hanc ipſa natura conſtituit, quatenus civitates legi naturæ, quod rationem ſufficientem in natura hominis atque rerum habet (§. 135. *part. 1. Phil. pract. univ.*), convenienter fuerunt conſtitutæ (§. 26.). Immo quatenus eædem voluntati quoque divinæ convenienter conſtitutæ fuerunt (§. 27.), eadem lex ipſi quoque Deo autori tribui poteſt. Rectoris itaque obligatio ad ſalutem publicam promovendam & ei convenienter omne imperium exercendum non ex ſolo pacto venit, quo imperium a populo in ipſum translatum, ſed a lege naturæ & ejusdem autore Deo, conſequenter naturalis eſt & divina (§. 141. 275. *part. 1. Phil. pract. univ.*) ac ideo abſolute neceſſaria & immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), Rector civitatis, ſi vel maxime abſoluto & ſummo imperio utatur, ab eadem liber non eſt, Deoque rationem adminiſtrationis imperii reddere tenetur.

§. 87.

Quoniam ſalus publica in civitate ſuprema lex eſt (§. 86.) *Quomodo imperium*

Digitized by Google

transferre naturaliter populus obligetur.

(§. 86.), *si imperium defertur in alium, nonnisi eidem conveniente modo transferri debet*, cumque *lege naturæ perfectiva* obligemur ad id, quod melius est altero, eidem præferendum (§. 193. *part. 1. Phil. pr. Cl. univ.*), *populus* lege ista *obligatur imperium transferre eo modo, quo saluti publicæ optime prospicitur.*

Lex naturæ, præsertim perfectiva, obligat populum ad circumspecte agendum, quando imperium in alium transferre decrevit. Observantia ejus spectat ad animum deliberatum (§. 387. *part. 5. Jur. nat.*), sine quo is imperium transferre minime debet (§. 390. *part. 5. Jur. nat.*). Male igitur facit, si non sufficienter perpendit, quomodo saluti Reip. optime prospiciatur, imperio in alium translato, & reprehenditur absque injuria, si non satis eidem prospexit. Non tamen ex hac obligatione metiendum est jus Rectoris civitatis, sed ex voluntate populi transferentis (§. 43.). Dubium, quod suboriri forsan hic poterat, per ea tollitur, quæ mox sequuntur.

§. 88.

Qua lege omne imperium transtum intelligatur.

Quoniam suprema lex in civitate salus publica est (§. 86.); *imperium omne in Rectorem civitatis ea lege translatum intelligitur, sive absolutum fuerit atque summum, sive quodcunque modo limitatum, ut non exerceatur nisi saluti publicæ convenienter.*

Salus enim publica lex naturalis est, atque divina, quæ & Rectorem civitatis, & populum in conscientia tenet, & a qua ne latum quidem unguem recedere debet. Omni ideo translationi imperii eadem per se inest, nec absque ea fieri potest. Imperium enim absolutum non est licentia, ut Rector civitatis pro lubitu facere possit etiam saluti publicæ adversa. Tale enim quid si fecerit, male imperat (§. 85.). Absurdum quoque foret præsumere, quod populus alia intentione transtulerit

Digitized by Google

tulerit imperium in alium, ut is eodem abutatur in detrimentum ſalutis publicæ.

§. 89.

Quoniam imperium omne in Rectorem civitatis ea lege translatum intelligitur, ſive abſolutum & ſummum fuerit, ſive quocunque modo limitatum, ut idem non exerceat niſi ſaluti publicæ convenienter (§. 88.); *ſi populus abſolutum atque ſummum transfert in alium, non eo transfert animo, ut id aliter quam ſaluti publicæ convenienter exerceat, ſed judicio ſalutem ipſius reliquit, quid e re civitatis ſit, & in eo ſeſe acquieſcere velle declarat* (§. 44. 46.), *nec alio fine id limitat, ſi limitatum transfert*, conſequenter actus imperantis ad certas leges adſtringit, vel a conſenſu certorum aliorum ſuſpendit (§. 74.) *quam quod putet hoc modo id ſaluti publicæ convenienter exerceri, ac præcaveri rectius poſſe, ne quid eidem adverſum decernatur.* *Quo modo imperium abſolutum ac ſummum, itemque limitatum transferri intelligatur.*

Imperium itaque abſolutum & ſummum per ſe odioſum nomen non eſt, ſed odium ab abuſu accedit, quem non ultro concedit populus illud transferens, multo minus indirecte intendit, quaſi ipſi perinde videatur, ſive Rector civitatis ſaluti publicæ proſpiciat, ſive eidem noceat. Immo in ſummitate non intendit, niſi ut præcaveantur ſaluti publicæ adverſa, veluti ſeditiones, conjurationes, tumultus, bella inteſtina. Similiter limitatum imperium non eſt invidioſum Rectori civitatis nomen, nec quicquam detrahit autoritati ejusdem, cum limitatione non præcaveatur niſi abuſus imperii, a quo is maxime alienum habere debet animum (§. 84. 85.), & ejusdem intereſt, ut regimen ipſius approbetur a populo, quoniam amari præſtat, quam timeri, prouti ſuo loco clarius eluceſcet, quando de prudentia civili agemus.

§. 90.

Imperium Rectoris civitatis tale eſt, quale populus in eum actu *Quale ſit imperium*

Digitized by Google

Rectoris civitatis.

actu transtulit, non quale transferre debuerat. Etenim imperium civile est res populi propria (§. 34.), consequenter de eo, tanquam re sua, pro arbitrio disponere potest (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*), & quamvis idem naturaliter obligetur transferre in alium nonnisi eo modo, quo saluti publicæ optime prospicitur (§. 87.) ipsi tamen vi libertatis naturalis permittendum est jure externo (§. 156. *part. 1.* & §. 398. *part. 3. Jur. nat.*), ut jure suo, quod in imperio habet, abutatur, consequenter idem transferat eo modo, quo saluti publicæ non satis prospicitur, quantum alio modo prospici potuisset. Et licet populus in transferendo imperio non satis expenderit, quid e re civitatis sit, consequenter defecerit animus deliberatus (§. 387. *part. 3. Jur. nat.*), qui adesse debebat (§. 391. *part. 3. Jur. nat.*); de animo tamen populi deliberato non statuendum est Rectori civitatis (§. 424. *part. 3. Jur. nat.*), sed contra ipsum pro vero habetur, quod sufficienter indicat, quando imperium transfert (§. 428. *part. 3. Jur. nat.*). Imperium itaque Rectori civitatis tale competit, quale populus in eum actu transtulit, non quale transferre debuerat.

Cum imperium spectari debeat tanquam res incorporalis, quæ originarie in dominio populi est (§. 34.); translatio imperii est alienationis quædam species, si nimirum ita transfertur, ut sit in patrimonio Rectoris civitatis (§. 662. *part. 2. Jur. nat.*), aut constitutio quædam ususfructus in re sua, si nimirum ita transfertur, ut Rector civitatis idem saltem exerceat, demta alienandi pro lubitu facultate (§. 1420. *part. 5. Jur. nat.*). Quemadmodum itaque dominus rem suam pro arbitrio suo alienare potest (§. 665. *part. 2. Jur. nat.*) & usumfructum alteri in eadem constituere (§. 1441. *part. 5. Jur. nat.*), & nuda transferentis voluntate acceptans efficitur dominus rei, vel jus istud acquirit, quod in eum ea transferre vult

Digitized by Google

vult (§. 13. *part. 3. Jur. nat.*); ita quoque Rector civitatis nuda populi voluntate jus in imperio acquirit, quod vel dominio, vel usufructui respondet, nec attendendum est, utrum populus recte faciat, nec ne, quod hoc, non alio modo imperium transferat. Distinguendum est jus externum, quod ex jure libertatis naturalis derivatur (§. 398. *part. 3. Jur. nat.*), a jure interno, quod ex obligatione naturali ortum habet (§. 396. *part. 3. Jur. nat.*). Illud tantummodo attenditur in translatione juris sui in alterum, minime autem hoc, cum alias nulla foret translatio juris satis firma, quæ non ex jure interno impugnari posset & lites difficillime, immo nunquam terminandas excitaret. Necesse autem est, ut jura hominum certa sint, ne continuis dissidiis sit locus, & vi libertatis naturalis conscientiæ uniuscujusque relinquendum, quomodo de jure suo disponat (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*), sive recte, sive minus recte, modo tu non sis in causa, ut in gratiam tui minus recte disponat.

§. 91.

De habente imperium, quale est in populo.

Si imperium in Rectorem civitatis transfertur, quale est in populo; imperium habet plenum, absolutum, summum idque jure proprietatis, seu in patrimonio. Cum imperium sit originarie penes populum (§. 33.), & ex eo nascatur, quod societatem multitudo hominum contraxerit (§. 213. *part. 7. Jur. nat.*); omnia omnino jura ad imperium pertinentia populus habet, consequenter plenum (§. 62.). Et quoniam quilibet populus liber est, ac ideo quoad exercitium imperii a nemine dependet, nisi a seipso (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*); nemo quoque ad certum agendi modum, vel ad consensum aliorum requirendum eundem adstringere potest, consequenter imperium, quod habet, absolutum est (§. 66.). Quamobrem cum præterea imperium, quale est in populo, summum sit (§. 57.), & res populi propria (§. 34.); si idem in Rectorem

ctorem civitatis transferatur, quale eſt in populo, imperium utique is habet plenum, abſolutum, ſummum, idque jure proprietatis, ſeu in patrimonio.

Non majus eſſe poteſt jus Rectoris civitatis, quam ſi imperium habeat, quale in populo eſt. Nihil enim tum deſideratur, quod quomodocunque de imperio concipi poteſt.

§. 92.

Imperium quinam plene, quinam minus plene habeat.

Imperium plene, ſeu pleno jure habere dicitur, qui id in patrimonio, ſeu jure proprietatis habet; *minus plene* autem, qui id in uſufructu habet. Quamobrem *Qui proprietarius imperii eſt, imperium plene, ſeu pleno jure habet; Qui uſufructuarius eſt, minus plene* (§. 41.).

Imperium, tanquam res incorporalis (§. 498. *part. 1. Jur. nat.*), perinde ac res incorporales aliæ, in dominio populi eſt (§. 217. *part. 2. Jur. nat.*), prouti jam ſupra annotavimus (*not.* §. 36.). Quodſi ergo populus imperium in alium transfert, vel dominium plenum, quod in eo habet, hoc eſt, tam proprietatem, quam uſumfructum ejus in alium transfert, vel retenta proprietate ſaltem uſumfructum (§. 137. *part. 2. Jur. nat.*). In caſu itaque priori Rector civitatis dominium plenum in imperio habet, in poſteriori autem minus plenum. Inde eſt, ut, ſi reſpiciamus modum habendi imperium, diſtingui omnino debeat, utrum quis id habeat pleno jure, an vero minus pleno. Et quia contingere poteſt, ut quis nullo jure habeat imperium, ſibi tamen arroget vel dominium plenum, vel ſaltem uſumfructum ejus; ideo generaliter præciſo jure ab habendi modo imperium haberi dicitur vel plene, vel minus plene.

§. 93.

Qualis ſit modus habendi imperii.

Quoniam imperium plene, ſeu pleno jure habet, qui id jure proprietatis habet (§. 92.), imperium autem origi-

Digitized by Google

originarie res populi propria est (§. 34.); *populus originarie imperium habet plene*, seu *pleno jure*. *bendi imperium originarius.*

Cum ex pacto, quo civitas constituitur, oriatur imperium civile (*not.* §. 33.); nulla sane ratio est, cur idem non pleno jure habere debeat populus, cum nemo sit, qui sibi in imperio jus aliquod arrogare possit.

§. 94.

Similiter quoniam Rector civitatis imperium jure proprietatis habet, si in eum transfertur, quale est in populo (§. 91.), qui vero imperium jure proprietatis habet, is idem plene, seu pleno jure habet (§. 92.); *si imperium in Rectorem civitatis transfertur, quale est in populo, idem plene, seu pleno jure habetur.* *Modus habendi imperium quale est in populo.*

Nimirum si imperium consideratur, quale est in populo, quamdiu scilicet nemo alius idem sibi acquisivit, non solum consideratur imperium in se, verum etiam jus, quod in eodem habet populus, veluti quod sit jus populi proprium, seu in dominio ejus existens.

§. 95.

Imperium plenum, absolutum ac summum minus plene haberi potest; imperium autem minus plenum & limitatum plene. Etenim cum per se pateat, imperium esse diversum a modo habendi imperium, tanquam rem a jure, quod in ea habetur; quemadmodum jus, quod in re habetur, nihil mutat in re ipsa, ita nec modus habendi imperium nihil mutationis affert imperio, quod habetur. Quamobrem sive imperium habeatur plene, sive minus plene (§. 92.); tale omnino erit, quale est, praecisо habendi modo, consequenter si cui competat imperium plenum, absolutum ac summum, tale erit, *De modo habendi imperium plenum, absolutum, summum & minus plenum ac limitatum.*

Digitized by Google

erit, ſive minus plene, ſive plene habeatur: ac idem intelligitur de imperio minus pleno & limitato. Patet itaque imperium plenum, abſolutum ac ſummum haberi poſſe minus plene; ex adverſo autem minus plenum & limitatum plene.

Quando imperium a populo transfertur in Rectorem civitatis, a voluntate ipſius dependet, qua lege idem transferre velit (§. 36.). Quamobrem non modo definire poteſt, quale eſſe debeat imperium, quod Rectori civitatis competere vult; verum etiam modum habendi imperium (§. 38. *& ſeqq.*). Utrobique regnat libera populi voluntas, & in hac quærenda ratio eſt modi habendi imperium, non vero in imperio ipſo. Quando nimirum ſtatutum fuit, quale eſſe debeat imperium Rectori competens, nova omnino quæſtio eſt, quomodo tale imperium habere debeat. Qualecunque igitur id fuerit, habere idem poterit tam plene, quam minus plene.

§. 96.

Dominii partes potentiales quænam dicantur.

Dominii partes potentiales dicuntur diverſa illa jura, quæ in dominio continentur, veluti proprietas, jus fruendi & jus utendi.

Nimirum dominium, quatenus continet diverſa jura, quorum unum absque altero ſubſiſtere poteſt, quæ vero ſimul ſumta illud conſtituunt, partes habere fingitur, & reſpectu harum partium conſideratur ut totum, eodem modo, quo ſupra imperium tanquam totum in partes potentiales diviſibile ſpectavimus. Partes vero iſtæ ſunt denuo diviſibiles in alias partes, perinde ac totum. Ita e. gr. Proprietatis partes ſunt jus alienandi & jus immutandi rem, quæ eſt in dominio. Iura autem in dominio contenta ſigillatim exiſtere poſſe concipiuntur, quatenus unum exerceri poteſt independenter ab altero, conſequenter ab eo, qui altero caret. Ita re uti frui poteſt, qui

Digitized by Google

qui non habet proprietatem. Fundum immutare potest, qui non habet jus alienandi.

§. 97.

Quot modis dominium dividi & partes ejus potentiales quæcunque limitari possunt; tot etiam modis variari potest modus habendi imperium. Jus, quod originarie in imperio populus habet, dominium est (§. 498. *part. 1.* & §. 217. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter modus habendi imperium a dominio dependet. Quamobrem si is variari debet, aut dominium dividendum in partes potentiales, veluti ut populo competat proprietas, rectori civitatis ususfructus, vel partes potentiales limitandæ sunt, veluti si Rectori civitatis competat jus imperium transferendi in successorem, sed ita ut quorundam ex populo requirere teneatur consensum. Tot igitur modis variari potest modus habendi imperium, quot modis dominium dividi & partes ejus potentiales quæcunque limitari possunt.

Quot modis modus habendi imperium variari possit.

Habemus hic principium generale, ex quo deduci potest, quicquid de diversitate modorum habendi imperium concipitur. Sane hinc fluunt ea omnia, quæ de modo habendi imperium in anterioribus fuerunt demonstrata. Etenim si dominium transferatur indivisum, seu plenum, Rector civitatis imperium habet pleno jure, cum per omnia instar domini de eo disponere possit; quodsi vero ususfructus tantummodo transferatur, demta proprietate, dominium, in quo originarie imperium est, dividitur in partes potentiales, nimirum proprietatem & usumfructum. Si imperium fuerit temporarium, dominium non modo dividitur in partes potentiales, proprietatem scilicet, quæ manet populo, & usumfructum, quæ competit Rectori civitatis; verum etiam ususfructus tanquam

Digitized by Google

res incorporalis limitatur, quatenus certo temporis ſpatio circumſcribitur.

§. 98.

An imperium infeudari poſſit.

Imperium infeudari poteſt. Eſt enim tanquam jus (§. 60.) res incorporalis (§. 498. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum etiam res incorporales infeudari poſſint (§. 259. *part. 6. Jur. nat.*); imperium quoque infeudari poteſt.

Oſtenditur idem etiam hoc modo. Quoniam diviſione qualibet dominii definitur modus quidam habendi imperium (§. 97.); modus quidam habendi imperium etiam determinatur diviſione illius in directum & utile inter duas perſonas ſub conditione mutuæ fidelitatis. Enimvero hac diviſione dominii pleni res infeudatur (§. 156. *part. 6. Jur. nat.*). Ergo eadem etiam infeudatur imperium. Atque adeo patet, imperium infeudari poſſe.

Exempla imperii infeudati abunde proſtant in Germania. Quoniam vero oſtendimus *c. 1. part. 6. Jur. nat.* dari adhuc alias dominii utilis ſpecies; non repugnat, modum habendi imperium iisdem quoque conformari. Ita modus habendi imperium concipi poteſt ad modum emphyteuſeos, ut dominus utilis habens imperium in recognitionem dominii directi præſtet certam penſionem annuam domino directo & proprietatem habeat certa lege reſtrictam. Ceterum quæ de feudo & aliis dominii utilis ſpeciebus demonſtravimus, non ſine cautione applicanda ſunt ad modum habendi imperium, quando ſcilicet Rector civitatis imperium non habet, quale eſt in populo. Ita modus habendi imperium reſpectu populi per modum feudi ſeſe habere poteſt, alias tamen adhuc determinationes admittit in Rectore civitatis, quatenus is non habet imperium infeudatum, quale in populo eſt. Sed de hisce apertius dicere non eſt hujus loci. Ne tamen dixiſſe videamur,

Digitized by Google

mur, quæ intelligi nequeunt, provocare tantummodo libet ad imperia infeudata, in quibus certa lege ſucceditur. Tum enim dominium utile, in quo feudum conſiſtit, diviſum eſt inter Rectorem civitatis & populum, ita ut ille tantummodo habeat uſumfructum, hic vero eam proprietatis partem, quæ dominio utili adhuc adhæret, etſi certa lege reſtrictam, ex qua jus ſuccedendi venit. Non tamen negamus, nec in hoc caſu modum habendi imperium ſemper eundem eſſe, propterea quod dominium utile quoad partes ſuas potentiales varias admittit limitationes.

§. 99.

De modo habendi imperium fideicommiſſo ſimili.

Imperium deferri poteſt per modum fidei commiſſi, hoc eſt, ea lege, ut poſt certum tempus, vel moriens id reſtituat certo cuidam alteri. Quoniam enim a populi voluntate unice dependet, qua lege imperium alii deferre velit (§. 36.) & ex voluntate transferentis metiendum eſt omne jus Rectoris civitatis (§. 43.), per ſe autem patet, fieri poſſe, ut Rector civitatis certo tempore elapſo, vel etiam moriens id certo cuidam alteri reſtituat; quin hac lege transferri poſſit imperium, dubitandum non eſt. Quamobrem cum fideicommiſſum ſit, ſi hæreditas, vel etiam legatum ea lege alicui deferatur, ut illam, vel hoc alii reſtituat (§. 1070. *part.* 7. *Jur. nat.*); ſi imperium defertur ea lege, ut poſt certum tempus Rector civitatis, vel quando moritur certo cuidam alteri idem reſtituat, per modum fideicommiſſi defertur.

Imago fideicommiſſi conſpicitur in ſucceſſione lineali, de qua deinceps ſuo loco agemus.

§. 100.

An imperium infeudatum ſummum eſſe poteſt.

Imperium infeudatum abſolutum, plenum ac ſummum eſſe poteſt, habetur tamen minus plene. Etenim quando imperium

mum, plenum, absolutum esse possit & quinam sit modus habendi.

rium infeudatur, dominium, cui originarie subjectum est imperium, dividitur in utile & directum, ita ut utile sit penes Rectorem civitatis & populum, vel etiam penes istum solum, directum vero penes dominum directum (§. 156. *part. 6. Jur. nat.*), consequenter infeudatio unice respicit modum habendi imperium, non vero imperium ipsum (§. 97.). Quodsi ergo imperium, quod infeudatur, fuerit plenum, absolutum ac summum, tale etiam manebit, ubi infeudatum fuerit, consequenter infeudatum absolutum, plenum ac summum esse potest. *Quod erat primum.*

Quoniam tamen dominium directum, quod habet dominus feudi, seu directus (§. 158. *part. 6. Jur. nat.*), consistit in parte proprietatis per ejus restrictionem populo & Rectori civitatis ademta (§. 3. *part. 6. Jur. nat.*); imperium infeudatum non habetur jure plenæ proprietatis, consequenter minus plene. *Quod erat alterum.*

Nihil in hisce difficultatis est, modo intelligatur, quomodo differat imperium a modo habendi imperium, & quod a modo habendi imperium minime dependeat, quale sit imperium (*not.* §. 95.). Et quamvis vasallus ad certas præstationes domino feudi teneatur, veluti ad mittenda auxilia, si is bello implicetur; id tamen minime obstat, quo minus omnia jura ad imperium spectantia, nullo excepto, habeat & eadem prorsus libere exerceat, nec cuiquam competat jus aliquod in actus ipsius, consequenter ut imperium sit plenum (§. 62.), absolutum (§. 66.) atque summum (§. 44.). Infeudatio itaque per se domino directo nullum tribuit jus in imperio, quo actus idem exercentis dependentes efficerentur a voluntate illius, sed tantummodo in modo habendi imperium, ne de ejus alienatione libere disponere possit Rector civitatis vel populus, & in certo casu jus ad imperium, de quo in infeudatione conventum, veluti ut idem felonia amittatur (§. 452. *part. 6. Jur. nat.*

Digitized by Google

nat.), vel extincta familia Rectoris civitatis sit domini directi (§. 326. *part. 6. Jur. nat.*).

§. 101.

Infeudatio summitati imperii derogare potest, si substantialibus feudi superaddantur quædam determinationes, quibus domino directo tribuitur aliquod jus in actus imperii. Quoniam enim a voluntate feudum constituentis dependet, quas determinationes substantialibus superaddere velit (§. 164. *part. 6. Jur. nat.*); quando imperium infeudatur, conveniri etiam potest, ut domino directo competat aliquod jus in actus imperii. Quamobrem cum imperium summum non sit, si cuidam alteri, quam habenti, competit jus quoddam in actus ejusdem (§. 44.); infeudatio summitati imperii derogare potest, si substantialibus feudi superaddantur quædam determinationes, quibus domino directo tribuitur jus aliquod in actus imperii. *Quando infeudatio deroget summitati imperii.*

Si populo ita videtur, is actus Rectoris civitatis subjicere quoque potest certa quadam lege Rectori civitatis alterius, vel populo cuidam alteri, ita ut huic competat jus aliquod in eosdem. Hoc in casu utique summitati imperii derogatur, quæ nec pleno jure apud imperantem, nec penes populum est. Quidni ergo etiam ita conveniri possit in infeudatione imperii, ut domino directo competat quoddam jus in ejusdem actus, præsertim si imperium in feudum detur.

§. 102.

Imperium per modum fidei commissi delatum summum esse potest, absolutum ac plenum. Facile patet, si imperium per modum fideicommissi deferatur, id saltem respicere modum habendi imperium, non vero ipsum imperium, cum aliud inde sequatur, quam ut imperium alteri cuidam restituatur, *Quale esse possit imperium per modum fideicommissi oblatum.*

Digitized by Google

tuatur, quale fuit delatum (§. 1070. *part. 7. Jur. nat.*), consequenter si imperium fuerit summum, absolutum ac plenum, quod quis accepit, idem quoque qua summum, absolutum ac plenum restituendum sit. Quamobrem patet, imperium per modum fideicommissi delatum summum, absolutum ac plenum esse potest.

Huberus de Jure Civit. lib. 1. sect. 3. c. 2. §. 28. imperium Regum electivorum per modum fideicomissi haberi existimat: quod in præsenti discutere nolumus, sed eo fine tantum addimus, ne quis putet, modum habendi imperium per modum fideicommissi esse adeo absurdum, ut nemini unquam jurium perito in mentem venerit. Quamobrem nec absurdum videri debet, quod ulterius inquiramus, an modus habendi imperium per modum fidei commissi obstet, quo minus id vel summum, vel absolutum, vel plenum esse possit.

§. 103.

An dominium fundorum aut rerum civium pertineat ad imperium.

Imperium non includit dominium fundorum, vel rerum quarumcunque civium. Imperium enim civile, seu publicum consistit in jure determinandi ea, quæ ad bonum publicum requiruntur (§. 60.), & in genere imperium nullum est nisi jus quoddam determinandi actiones liberas alterius (§. 194. *part. 7. Jur. nat.*), consequenter imperium civile non est nisi jus quoddam in actiones civium, quatenus nimirum eædem ad bonum publicum promovendum faciunt (§. 74.). Quamobrem cum dominium sit jus disponendi de rerum singularium substantia, fructu & usu (§. 131. 135. 136. *part. 2. Jur. nat.*); hoc cum imperio nihil commune habet. Imperium igitur non includit dominium fundorum, vel rerum quarumcunque civium.

Ipsa civitatum origo satis aperte loquitur, in civitatem coëuntes

Digitized by Google

coëuntes dominia rerum non abdicare, nec abdicare teneri. Coëunt in civitatem tranquillitatis & securitatis causa (§. 13.), ad quem finem etiam pertinet, ut dominia rerum sint tuta, nec aliorum vi exposita (§. 9. 11. 12.). Inter motiva in civitatem coëundi referendum quoque est, quod res suas singuli adversus vim & machinationes aliorum non satis defendere potuerint, & quod jure suo secure frui voluerint. Absurdum itaque est imperium civile confundi cum dominio fundorum & rerum quarumcunque civium.

§. 104.

Quoniam imperium non includit dominium fundorum, vel rerum quarumcunque civium (§. 103.); *quando perio transimperium in alium transfert populus, non fundorum dominium, multo minus dominium ceterarum rerum, quas singuli habent, in eundem transfert*, consequenter *Rector civitatis*, cum non plus juris habeat, quam populus in eum conferre voluit (§. 43.), *fundorum dominus non est, multo minus dominus rerum ceterarum, quas cives singuli habent, & si contingat, dominium fundorum, vel rerum etiam aliarum cum imperio conjungi, erit tamen hoc jus ab imperio distinctum*, consequenter *id habebit non qua Rector civitatis, sed qua dominus fundorum, vel rerum etiam aliarum.* *An cum imperio transferatur.*

Imperium atque dominium etsi sint duo jura distincta, non tamen ita sibi contrariantur, ut in eodem subjecto simul existere nequeant. Unde nec desunt exempla Regum, qui simul fundorum domini fuerunt. Ita constat Reges Ægypti consilio Josephi effectos fuisse fundorum dominos, Gen. XLVII. Et de Regibus Indorum idem tradunt *Diodorus* lib. 2. & *Strabo* lib. 15.

§. 105.

Quoniam dominium fundorum, vel rerum etiam aliarum *An qui imperium ab-*

Digitized by Google

solutum & summum habet de rebus subditorum in utilitatem suam pro lubitu disponere possit.

aliarum, quas cives habent, ad imperium minime pertinet (§. 103.); *si Rector civitatis imperium habeat plenum, absolutum & summum, non tamen ideo de rebus civium in utilitatem suam disponere potest pro lubitu, & si Rector civitatis fuerit fundorum in utilitatem, vel rerum, quas singuli in civitate habent, dominus, imperium habere potest minus plenum ac limitatum, nec dominium quicquam facit ad modum habendi imperium, ut, sive illud adfuerit, sive abfuerit, hoc haberi possit tam plene, quam minus plene.*

Hinc minime repugnat, ut, qui fundorum dominus est, imperium exercere teneatur prorsus ad populi voluntatem, sequendo nempe in omnibus ac singulis præscriptum agendi modum, & ubi quædam emergunt, de quibus nonnisi ex præsenti statuendum, requirendo populi, vel certorum quorundam, quibus id demandatum est, consensum. Ac ita intelligendum puto, quod *Tesmarus* in Notis ad *Grotium* lib. 1. c. 3. §. 15. n. 2. dicit, fieri posse, ut omnis regni terra in patrimonio sit principis, salvo manente penes populum imperii jure.

§. 106.

An communio mixta consistat cum imperio civili.

Similiter quia dominium fundorum aliarumque rerum ad imperium minime pertinet (§. 103.); *imperium* quoque *non obstat, quo minus* res sint in dominio universitatis, seu populi universi, & singulis competat usus eorundem necessarius indifferenter, consequenter *populus sit in communione mixta* (§. 129. *part.* 2. *Jur. nat.*).

Communionem bonorum in Rep. suasit *Campanella* in Tractatu, quem de Rep. solis conscripsit, ubi eam ad ipsas quoque uxores extendit, cum liberi promiscue omnes communi sumtu sint alendi atque educandi. Imaginem communionis mixtæ bonorum cum imperio conjunctæ conspicimus in ordinibus religiosorum (*not.* §. 129. *part.* 2. *Jur. nat.*), & ea in causa fuit, ut bonorum in Rep. communionem commendaret

Digitized by Google

daret *Campanella*, optimam Reip. formam judicans eam, in qua res omnes, immo etiam uxores, fint cummunes.

§. 107.

Si imperium conjungatur cum communione mixta, seu si populus in eadem fuerit, administratio bonorum communium ad exercitium imperii pertinet. Imperium enim civile consistit in jure determinandi ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 60.). Quamobrem cum ad bonum commune civitatis, consequenter publicum (§. 23.), etiam pertineat, ut civibus prospiciatur de iis, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem faciunt (§. 9.), & quia in communione mixta ad usum rerum singulis æquale jus competit (§. 129. *part. 2. Jur. nat.*), singulis prospiciendum sit eadem stante eodem modo; si populus fuerit in communione mixta, administratio bonorum communium utique ad exercitium imperii pertinet. *Quando bonorum administratio pertineat ad exercitium imperii.*

Hinc de usu rerum communium in monasteriis disponit superior, cui competit imperium in religiosos, qui non minus voto paupertatis adstringuntur ad colendam communionem mixtam, quam voto obedientiæ ad acquiescendum in voluntate superioris. Quodsi singulis consulere velles in Rep. in qua bonorum communio obtinet, ut de usu rerum communium statuerent pro lubitu suo, id naturæ communionis mixtæ repugnaret (§. 129. 118. *part. 2. Jur. nat.*), & meram introduceret confusionem, cum litibus perpetuis, fini civitatis adversis (§. 4.). Quamobrem bonorum administratio ab exercitio imperii separari nequit, etsi dominium in se maneat jus distinctum ab imperio, ita ut imperio saluo communio tolli possit.

§. 108.

Communio primæva cum imperio civili consistere nequit. In communione enim primæva res omnes (§. 24. *part. 2.* *An imperio civili locus sit in com-*

Digitized by Google

munione primæva.

Jur. nat.), etiam induſtriales & artificiales ſunt communes omnium hominum (§. 29. *part. 2. Jur. nat.*), etiam illorum, quorum induſtriæ ac arti minime debentur (§. 32. *part. 2. Jur. nat.*). Enimvero qui in civitatem coëunt, ſeſe invicem ſibi obligant, quod conjunctis viribus ſibi parare velint ad vitæ neceſſitatem, commoditatem ac jucunditatem neceſſaria (§. 4.), conſequenter non eum habent animum, ut res, quæ ipſorum induſtria ac arte parantur, ſint etiam peregrinis quibuscunque communes. Immo cum neceſſe ſit, ut, qui in civitatem coëunt, in eadem regione habitent, quod per ſe patet; nec animum habere poſſunt, ut etiam alii peregrini in eadem domicilium ſibi conſtituant, qui in ſocietatem civilem conſentire nolunt. Quamobrem patet, communionem primævam cum imperio civili conſiſtere non poſſe.

A communione primæva diſcedere potuerunt homines, antequam de imperio cogitarunt: quod ſi vero ſupponas eos de imperio civili cogitaſſe, cum adhuc in primæva communione eſſent, quod utique fieri poterat, animadverſis incommodis, quæ ſecum fert ſtatus naturalis, de rebus dominio ſubjiciendis [illegible]tim quoque cogitaſſe concipiuntur.

§. 109.

Quomodo cum imperio introducatur dominium.

Quoniam communio primæva cum imperio civili conſiſtere nequit (§. 108.), ab eo vero ſi receditur, aut communio poſitiva, aut dominia ſingularia introducenda (§. 117. *& ſeqq. part. 2. Jur. nat.*); *ſi in civitates coëunt homines, aut dominio ſingulari, aut univerſitatis res ſunt ſubjiciendæ.*

Nimirum cum neceſſe ſit, ut una habitent, regionem quandam dominio ſuo ſubjicere, ac deinde fundos vel dividere, vel communes poſſidere debent, & res ceteræ ſimiliter aut ſingulo-

Digitized by Google

gulorum propriæ, aut communes civium esse debent, vi pacti, quo civitas constituitur (§. 4.). Probabile vero est, dominia privata ante imperium civile coepisse, orta nimirum ex jure in rem usus necessarii causa actu apprehensam (§. 35. 36. *part. 2. Jur. nat.*) quorum tuendorum causa deinceps civitates constitutæ ad imitationem societatum minorum. Et ita videmus, quomodo homines natura duce & magistra dominia & imperium civile introduxerint. Nolumus hæc fusius persequi, quæ anteriorum gnarus haud difficulter per se assequi poterit.

§. 110.

Si salus publica exigit, ut Rector civitatis certo modo disponat de rebus civium; jus ita disponendi eidem competit. Et enim Rector civitatis, quacunque lege imperium in eum fuerit translatum, obligatur ad faciendum ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 84.). Quodsi ergo boni publici promovendi causa necesse sit, consequenter salus publica exigat (§. 17. 9. & *seqq.*), ut certo modo de rebus civium disponatur; lex ipsa naturæ eidem dat jus de rebus civium ita disponendi, prouti salus publica exigit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Patet itaque, si salus publica exigat, ut Rector civitatis certo modo disponat de rebus civium, jus ita disponendi eidem competere.

De jure in res civium proprias.

Lex naturæ dat hominibus jus ad ea, sine quibus obligationi naturali satisfacere non possunt (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam civitates legi naturæ convenienter fuerunt constitutæ (§. 26.), obligatio imperii exercendi ita, quemadmodum salus publica exigit, ab ipsa omnino lege naturæ venit, consequenter naturalis est (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem quod ex hac obligatione nascitur jus (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*), lege quoque naturæ datum intelligitur.

Digitized by Google

ligitur. Immo obligationem positivam, quatenus valet, firmat ipsa lex naturæ, prouti jam alias ostendimus.

§. 111.

De dominio eminente. Jus disponendi de rebus propriis civium salutis publicæ causa in casu necessitatis imperanti, seu Rectori civitatis concessum dicitur *dominium eminens.* Et quoniam *Rectori civitatis* jus istud competit (§. 110.); eidem *competit dominium eminens in res civium*, ac per consequens *imperium continet dominium eminens tanquam partem potentialem* (§. 63.).

Differt dominium eminens a dominio communi, quod illo disponatur de rebus utilitatis publicæ, hoc autem utilitatis privatorum causa, & quod illo utatur qui civitatem regit, hoc autem privatus, cujus res sunt.

§. 112.

Num a populo in Rectorem civitatis transferatur. Quoniam imperium continet dominium eminens tanquam partem (§. 111.); *quando populus imperium in alium transfert, dominium quoque eminens in eundem transfert, nisi idem sibi expresse reservet* (§. 38.).

Dominium eminens jus quoddam est, quod a ceteris juribus ad imperium pertinentibus diversum est, ac sine istis subsistere separatim potest. Quamobrem perinde ac alia jura idem sibi populus reservare potest, si ita visum fuerit, ac pro arbitrio suo limitare, si non absolutum concedere velit.

§. 113.

De jure in personam civium. *Si salus publica exigat, ut de ipsis civibus quibusdam, seu personis civium certo quodam modo disponat Rector civitatis; jus ita disponendi eidem competit.* Ostenditur eodem prorsus modo, quo idem de rebus privatis civium demonstravimus (§. 110.).

In

Digitized by Google

In civitate singulorum libertas restringitur quoad eas actiones, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt (§. 47.). Quodsi ergo casus emergat, in quo actiones unius cujusdam, vel quarundam, aut plurium personarum ad promovendum bonum publicum necessariæ sunt; de iis omnino disponere integrum est ei, qui imperium habet atque exercet. Et hactenus eidem competit jus quoddam singulare in personam ejus, quemadmodum in simili casu competebat in res ipsius (§. 110.). Ita in casu necessitatis Rector civitatis cogere potest subditos, ut militiae dent nomen, prouti suo loco dicemus.

§. 114.

Jus disponendi de persona civis salutis publicae causa in casu necessitatis imperanti, seu Rectori civitatis competens dicitur *Potestas eminens.* Et quoniam *Rectori civitatis* jus istud competit (§. 113.); eidem *competit potestas eminens in personam civium*, ac per consequens *imperium continet potestatem eminentem tanquam partem potentialem* (§. 63.). *De potestate eminente.*

Potestas eminens differt ab ordinaria, quæ imperio civili inest (§. 47.), quod ea saltem locum habeat in casu necessitatis, quæ exceptionem facit ab eo, quod ordinarie fit. Unde potestas eminens latius extenditur, quam ordinaria, etsi eadem de causa ultra limites hujus proveharur, quæ huic suos limites assignat. Exemplum, quod modo dedimus (*not.* §. 113.), rem illustrat.

§. 115.

Quoniam potestas eminens est pars imperii (§. 114.); *Quando quando imperium in aliquem transfertur, potestas quoque eminens transfertur nisi populus expresse eandem sibi reservet, aut certa tur in Relege limitet* (§. 38.). *ctorem civitatis.* Limi-

Digitized by Google

Limitatur dominium & poteſtas eminens, ne ſub ejus prætextu multa committantur, quæ ſaluti publicæ adverſa ſunt. Pſeudopolitici nimirum in detrimentum Reip. jus hoc ultra limites ſuos extendunt, & variis modis eodem abutuntur.

§. 116.

Jus eminens imperantis quid ſit.

Dominium eminens & poteſtas eminens conjunctim uno nomine *Jus eminens imperantis* dici ſolent, nimirum Jus eminens in bona & perſonam civium, ſeu ſubditorum. Quoniam vero tam dominio, (§. 111.), quam poteſtati eminenti locus non eſt, niſi quando ſalus publica exigit, ut de bonis vel perſona ſubditorum ita disponatur (§. 114.); *Jus eminens tum demum locum habet, quando ejus uſus eſt medium unicum ſalutis publicæ in caſu emergente promovendæ.*

Jus eminens ſola tuetur neceſſitas, modum autem accipit a ſalute publica.

§. 117.

Quale ſit jus.

Quoniam jus eminens imperantis, conſequenter tam dominium, quam poteſtas eminens (§. 114.), tum demum locum habet, quando ejus uſus eſt medium unicum ſalutis publicæ in caſu emergente promovendæ (§. cit.), ac per conſequens ſola neceſſitas eidem locum facit, propterea quod legi ſupremæ in civitate, quæ ſalus publica eſt (§. 86.), aliter ſatisfieri nequit, jus autem neceſſitatis eſt, cui ſola neceſſitas locum facit ad actus aliquos alias non licitos, propterea quod ſine iis obligationi cuidam indispenſabili ſatisfieri minime poteſt (§. 564. *part. 6. Jur. nat.*); *jus eminens imperantis, hoc eſt, tam dominium, quam poteſtas eminens, jus quoddam neceſſitatis, aut, ſi mavis, ſpecies quædam juris neceſſitatis eſt.*

Patet

Digitized by Google

Patet itaque ad dominium eminens & potestatem eminentem applicanda esse, quæ de jure necessitatis in genere demonstravimus *c. 4. part. 6. Jur. nat.* Monuimus (*not.* §. 564. *part. 6. Jur. nat.*), jus necessitatis oriri ex collisione legum, adeoque per modum exceptionis. Idem omnino valet de dominio & potestate eminente. Imperium non includit dominium fundorum, vel rerum quarumcunque civium (§. 103.), consequenter imperans de iisdem dominis invitis pro lubitu disponere nequit (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*). Obligatur autem ad faciendum ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 84.). Quando itaque casus emergit, in quo imperans bonum publicum promovere nequit, nisi vel invito domino disponat de rebus ipsius, leges naturales, quarum altera jubet fieri, quæ salus publica exigit, altera vero prohibet, ne imperans invito domino de rebus ipsius pro lubitu suo disponat, inter se colliduntur. Quoniam itaque lege prohibitiva non continetur actus, qui medium unicum est satisfaciendi obligationi tuæ indispensabili (§. 572. *part. 6. Jur. nat.*), ac ideo exceptus intelligitur; si imperans salutem publicam promovere nequit, nisi vel invito domino de re ipsius disponat, disponere licet. Videmus itaque quomodo per modum exceptionis oriatur dominium eminens. Similiter in civitate singulorum libertas restringitur quoad eas actiones, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt, quoad ceteras illa illibata manet (§. 47.), consequenter imperanti non competit jus de quibusvis actionibus civis pro lubitu disponendi, quasi omni libertate ademta. Quoniam tamen idem obligatur ad faciendum ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 84.); quando casus emergit, in quo imperans bonum publicum promovere nequit, nisi vel invitum adigat ad faciendum, vel patiendum, ad quod alias cogi minime poterat, libertate, quæ singulis civibus reservata, illæsa, leges utique colliduntur, quarum altera jubet fieri, quæ salus publica exigit, altera vero prohibet, ne

Digitized by Google

ne ad hoc faciendum, vel patiendum civis adigatur. Unde porro quemadmodum ante patet, poteſtatem eminentem per modum exceptionis oriri. Neceſſitas facit dominum non dominum rerum ſuarum & civem ſervum, dominio rerum veluti in imperantem transeunte & libertate naturali, qua civis alias adhuc fruitur, in eundem quaſi migrante. Dominium itaque & poteſtas eminens nihil invidioſum, aut hominibus liberis intolerabile habet, modo rite intelligatur, nec in abuſum trahatur.

§. 118.

Quod jus eminens ex pacto oriatur, quo civitates conſtitutæ.

Qui in civitatem coëunt, in dominium eminens & poteſtatem eminentem tacite conſentiunt. Etenim qui in civitatem coëunt ſeſe invicem ſibi obligant, quod commune bonum promovere velint (§. 28.), & ſinguli in univerſos transferunt jus ſe cogendi, ut ſatisfaciant huic obligationi, ſi ſatisfacere nolint (§. 29.), immo nemo eorum bonum ſuum privatum promovere debet cum neglectu, vel in præjudicium publici (§. 25.). Tacite igitur in hoc conſentiunt, ut, ſi bonum publicum aliter promoveri nequeat, quam ut imperans disponat de rebus ipſorum, vel etiam de perſona, id faciat. Quamobrem cum jus certo modo disponendi de rebus civium, ſi ſalus publica exigat, dominium eminens ſit (§. 111.), jus autem disponendi de perſona ipſorum in ſimili caſu poteſtas eminens (§. 114.); qui in civitatem coëunt, in dominium eminens & poteſtatem eminentem conſentiunt.

Ex eodem itaque pacto, quo imperium civile oritur (§. 33.), derivandum quoque eſt dominium, derivanda poteſtas eminens, immo vi ejusdem pacti jus omne eminens imperio civili ineſt. Abſurdum omnino eſt, concipere jus determinandi ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur, quale

Digitized by Google

le est imperium (§. 60.), excipere tamen ea, quæ medium unicum sunt in casu emergente bonum publicum promovendi. Quatenus vero juri eminenti locum saltem facit necessitas in casu emergente (§. 116.), tanquam peculiare quoddam jus concipitur, quod per modum partis potentialis in imperio continetur (§. 111. 114.).

§. 119.

Si de rebus singulorum vi dominii eminentis disponitur, Qua aequide publico, quantum fieri potest, ipsis satisfaciendum, nec damnum tale dominisi pro rata ferendum. Etenim vi dominii eminentis de re- *nium emi-*
bus civium propriis disponitur salutis publicæ causa in casu *nens exer-*
necessitatis (§. 111.), quatenus scilicet usus hujus juris est *cendum.*
medium unicum salutis publicæ in isto casu promovendæ (§. 116.). Enimuero in civitate conjunctis viribus salus publica promovenda (§. 4.), & per consequens unus solus res suas eidem impendere non tenetur. Quamobrem si de unius rebus propriis vi dominii eminentis disponitur, ad resarciendum damnum ceteri quoque suum pro rata conferre debent, consequenter ei, de cujus rebus disponitur, de publico satis faciendum, nec damnum ipsi nisi pro rata ferendum. *Quod erat unum.*

Denique si is sit rerum status, ut damnum, quod patitur is, de cujus rebus vi dominii eminentis disponitur, de publico satisfieri non possit, quemadmodum æquum erat, *per demonstrata n. 1.* cum nemo bonum privatum promovere debeat cum neglectu publici, vel in hujus præjudicium (§. 25.), tanquam damnum inevitabile ferendum, & per consequens ei, de cujus rebus vi dominii eminentis disponitur, de publico satisfaciendum, quantum fieri potest. *Quod erat alterum.*

Digitized by Google

E. gr. Diruendæ ſunt ædes tuæ munimenti cauſa. Æquum omnino eſt, ut ſolvatur pretium. Quodſi vero ad idem contribuere tenentur concives tui, ab æquitate quoque non abhorret, ut pro rata ipſe contribuas.

§. 130.

Limitationi imperii quanam tacita exceptio inſit.

Si in delatione imperii in ſpecie quædam exprimantur, quæ ad modum illud exercendi pertinent; tacita iis ineſt exceptio, niſi ſalus publica aliter exigat. Etenim ſi in delatione imperii quædam in ſpecie exprimantur, quæ ad modum illud exercendi pertinent, imperium limitatur (§. 66.). Enimvero populus imperium in alium transferens non alio fine id limitat, quam quod putet hoc modo id ſaluti publicae convenienter exerceri, ac rectius præcaveri poſſe, ne quid eidem adverſum decernatur (§. 89.), & quacunque lege imperium fuerit translatum, Rector civitatis obligatur ad faciendum ea, quæ ad bonum publicum promouendum requiruntur, & ad non faciendum ea, quæ eidem adverſantur (§. 84.); ſalute publica ſemper lege ſuprema in civitate exiſtente (§. 86.). Quodſi ergo ſalus publica in caſu emergente exigat aliud, quam quod quoad modum exercendi imperium fuit præſcriptum, a præſcripto modo utique recedendum, conſequenter ſi in delatione imperii in ſpecie quædam exprimantur, quæ ad modum illud exercendi pertinent, tacita iis ineſt exceptio, niſi ſalus publica aliter exigat.

Abſurdum omnino foret, velle, ut Rector civitatis non faciat, quæ ſaluti publicæ adverſantur, & hoc tamen non obſtante ad certum agendi modum eundem ita adſtringere, ut ab eodem recedere non liceat, etiamſi ſalus publica aliter exigat. E. gr. Si Rectori civitatis permiſſum eſſe minime debet noua tributa imponere; ubi caſus emergit, in quo tributa ordinaria minime ſufficiunt, ſed extraordinariis opus eſt, niſi

ſalus

Digitized by Google

salus publica periclitari debeat, casus iste omnino tacite excep[illegible]ntelligitur. Idem intelligitur, si permissum esse non debeat milite externo uti, aut leges novas ferre, & quæ sunt his gemina. Leges fundamentales, quibus certus agendi modus præscribitur, sunt media salutis publicæ promovendæ & in hac tanquam suprema lege (§. 86.) rationem sufficientem habere debent. Vi igitur supremæ legis cessant, quam primum salus publica aliud exigit.

§. 121.

Quoniam, si in delatione imperii in specie quædam exprimuntur ad modum illud exercendi pertinentia, tacite iis inexistit exceptio, nisi salus publica aliter exigat (§. 120.); *si populus jus quoddam sibi reservare velit in actus Rectoris civitatis a legibus fundamentalibus abeuntes, necesse est ut eos a consensu certi cujusdam collegii vel totius populi suspendat, nec sine eo sint validi* (§. 81.),

Quomodo populus sibi jus reservet in actus imperantis exceptos.

Nimirum si nullum collegium fuerit constitutum, quod de eo cognoscat, utrum salus publica exigat, nec ne, ut a lege fundamentali recedatur, judicium hoc omnino Rectori civitatis relictum, & per consequens ejus judicio stare tenetur populus, etsi ipsi aliter videatur. Fieri equidem potest, ut Rector civitatis, qui, cum imperium susciperet, promisit, se hoc facturum, vel non facturum, quod lege fundamentali præscribitur, vel ea prohibetur, fidem datam violet, ubi citra necessitatem a lege recedit; non tamen propterea populo competit jus actus ipsius irritos reddendi, quia acquiescendum est in eo, quod eidem videtur, ipse autem semper salutem publicam obtendere valet. E. gr. Ponamus, noua tributa non esse imponenda. Nisi simul constitutum fuerit, sine certorum quorundam consensu hoc fieri minime debere, siquidem extraordinaria exigit salus publica; Rector civitatis obtentu salutis publicæ nova imponere poterit, nullo quidem jure, ubi

Digitized by Google

ſalutem publicam tantummodo obtendit, valide tamen, quatenus ejus judicio relictus caſus exceptus. Aliter ve[illegible]ſeſe res habet, ſi Rector civitatis negotium ad certos alios, veluti ad collegium quoddam, referre tenetur, ut deliberetur, utrum publica ſalus exigat, ut extraordinaria tributa, vel nova imponantur, nec ne. Tum enim Rector civitatis ſtare tenetur judicio collegii, ac irriti ſunt actus conſenſu hujus deſtituti, nec jubenti parere tenentur cives.

§. 122.

Capitulatio quid ſit.

Pacta, in quibus de modo adminiſtrandi imperii inter Rectorem civitatis & populum convenitur, vel etiam eos, qui jus populi habent, dicuntur *Capitulatio*. Unde patet, *capitulatione tantummodo opus eſſe, ſi imperium limitetur* (§. 66.), *nec adſint leges fundamentales perpetuæ* (§. 77.), *quarum obſeruantiam Rector civitatis in ſuſceptione imperii promittere tenetur.*

Capitulationi tantummodo locum eſſe in prima delatione imperii, & in regnis electitiis facile patet. Erit autem in caſu priori perpetua, cum ad eam adſtringatur ſucceſſores omnes; in his autem temporaria, quippe quæ non ſtringit niſi eum, quem populus Rectorem civitatis elegit. Sed hoc clarius eluceſcet ex iis, quæ de modo acquirendi imperium ex inſtituto demonſtrabuntur.

§. 123.

Num ex ea metiendum jus populo reſeruatum & Rectori civitatis competens.

Quoniam in capitulatione convenitur inter Rectorem civitatis & populum, ſeu eos, qui jus populi habent, de modo adminiſtrandi imperii (§. 122.); *ſi cum capitulatione ſuſceptum imperium, ex ea metiendum eſt jus populo reſeruatum & jus Rectori civitatis competens.*

Cum

Digitized by Google

Cum limitandi imperii causa capitulatio fiat, quæ de limitatione imperii in anterioribus demonstrata fuerunt, capitulationi uberiorem lucem affundunt.

§. 124.

Cum in capitulatione de modo administrandi imperii inter Rectorem civitatis & populum conveniatur (§. 122.), consequenter in eadem exercitium imperii certis legibus adstringatur (§. 131. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 789. *part. 3. Jur. nat.*), leges vero fundamentales sint, ad quarum observantiam Rector civitatis in imperii exercitio adstringitur (§. 77.); *capitulatio lex fundamentalis imperii est.* *An capitulatio sit lex fundamentalis imperii.*

Nil obstat, quod capitulatio tantummodo valeat, quamdiu Rector civitatis vivit, seu civitatem regit, cum quo facta fuit. Etenim populus leges fundamentales tollere ac mutare pro lubitu potest, quando nihil fit contra jus tertii, seu nemini ex ea jus quæsitum, quod invito auferri nequit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 125.

Quamdiu imperium tenet is, cum quo capitulatio facta, absque ipsius consensu nihil in eadem immutari potest. Quoniam enim pacta sunt servanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), ex capitulatione acquiritur jus ei, cum quo facta (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum nemini jus quæsitum auferri possit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); quamdiu imperium tenet is, cum quo capitulatio facta, absque ipsius consensu nihil in eadem immutari potest. *De mutatione capitulationis vi-vente eo, cum quo facta.*

Facile patet sermonem hic esse de mutatione, quæ tendit ad jus Rectoris civitatis imminuendum, cum capitulatio fiat limitandi imperii causa, ut populus saluti suæ rectius consulat.

Digitized by Google

§. 126.

De pactis generalibus officium boni Rectoris exprimentibus.

Pacta generalia, quæ saltem exprimunt officium boni Rectoris, cum Rectore civitatis in susceptione imperii inita, nullum tribuunt jus populo in actus imperantis. Quoniam enim imperium in Rectorem civitatis non aliter transfertur, quam ut exerceatur saluti publicæ convenienter (§. 88.); si in pactis generalibus saltem exprimitur officium boni Rectoris, populus saltem expresse voluntatem suam declarat de eo, quod per se jam intelligebatur, nimirum quod velit, Rectorem civitatis imperium saluti publicæ convenienter administrare debere, non vero declarat, se ejus judicio stare nolle, si secus fecerit, sed judicio ipsius relinquit, quænam fieri debeant, ut officio suo rite fungatur. Quamobrem cum nullum sibi jus reservet in actus Rectoris civitatis, si voluntatem saltem suam exprimit de nonnullis, quæ Rector civitatis facere, aut non facere debet, non vero expresse declarat se ejus judicio stare nolle, si secus fecerit (§. 81.); pacta generalia, quæ saltem exprimunt officium boni Rectoris, cum Rectore civitatis in susceptione imperii inita, nullum tribuunt jus populo in actus imperantis.

Promissiones istiusmodi generales, quæ non absque juramento in susceptione imperii plerumque exiguntur, sunt, quod imperans saluti publicæ invigilare, jus cuique & justitiam administrare, populum oneribus non nimium grauare, eundem aduersus injurias externorum defendere velit, & quæ sunt his gemina. Etsi autem ad talia imperans naturaliter obligetur, nec ex promissione nascatur aliquod jus populo in actus ipsius; non tamen ideo superflua existimari debent istiusmodi promissiones, juramento præsertim firmatæ. Fortior enim efficitur obligatio interna, quæ conscientiam imperantis stringit, quatenus non modo naturaliter absque promissione obligatur imperans ad imperium recte exercendum, verum etiam

etiam promittendo ſeſe obligavit populo ad faciendum id, ad quod naturaliter obligatur, etſi is conſcientiæ ipſius relinquat, ut imperium bene adminiſtret, ac per conſequens ſolam fidem populo adſtringat imperans, & ſic accurate loquendo imperantis actus magis pollicitatio ſit, quam perfecta promiſſio (§. 361. 367. *part. 3. Jur. nat.*), quamvis per inconſtantiam loquendi imperans talia promittere vulgo dicatur.

§. 127.

An ea ſummitati imperii detrahant idemque limitent.

Quoniam pacta generalia, quæ ſaltem exprimunt officium boni Rectoris, populo nullum jus in actus imperantis tribuunt (§. 126.), conſequenter nec exercitium imperii certis legibus adſtringunt, nec vi eorundem ulli actus imperantis a populo irriti effici poſſunt, imperium vero abſolutum eſt, cujus exercitium certis legibus non adſtrictum, nec alterius conſenſu indiget (§. 66.), & ſummum eſt, in cujus actus nemini niſi habenti jus quoddam competit (§. 44.), ſummumque habet imperium, cujus actus a nemine irriti reddi poſſunt (§. 45.); *ob pacta generalia, quæ ſaltem exprimunt officium boni Rectoris, imperium non deſinit eſſe abſolutum, nec ea quicquam detrahunt ſummitati imperii.*

Imperium non ideo abſolutum eſt, quod liceat imperanti facere ſaluti publicæ adverſa, conſequenter ipſius arbitrio relinquatur, utrum bene, an male imperare velit, ſed quod ejusdem judicio relinquatur, quænam ſint media ſalutis publicæ promovendæ. Non igitur implicat, ut promittat ſe imperium bene adminiſtraturum, ipſius tamen judicio relinquatur, quibusnam mediis ſalutem publicam promovere velit. Similiter imperium ſummum eſſe non deſinit, quamdiu imperanti reſiſtere eumque coercere non licet (§. 44.). Quamobrem cum imperium transferri nequeat ea lege, ut populus univerſus recte imperanti parere debeat, male autem imperanti reſiſtere, eumque coërcere poſſit (§. 82.), conſequenter multo minus

Digitized by Google

minus ex eo hoc colligi queat, quod Rector civitatis in susceptione imperii populo polliceatur, se imperium bene administraturum; pacta quoque istiusmodi generalia inter Rectorem civitatis & populum inita summitati imperii nihil derogant.

§. 128.

An sint leges fundamentales.

Quia pacta generalia, quæ saltem exprimunt officium boni Rectoris, imperium absolutum minime tollunt, nec summitati ejus quicquam detrahunt (§. 127.), per ea quoque modus administrandi imperii minime determinatur, consequenter cum leges fundamentales non sint, nisi eæ, ad quarum observantiam Rector civitatis in exercitio imperii tenetur (§. 77.), & per quas ideo modus administrandi imperium determinatur; *pacta generalia, quæ saltem exprimunt officium Rectoris, leges fundamentales non sunt.*

Leges fundamentales de specialibus agunt, quæ ad modum administrandi imperium pertinent; non autem de generalibus, quæ officium continent.

§. 129.

De judice inter Rectorem civitatis & populum constituto.

Si imperium defertur ea lege, ut, si de juribus controversia oriatur inter Rectorem civitatis & populum, tertius quidam sit judex; id ipsum summitati detrahit. Etenim si controversia de juribus inter Rectorem civitatis & populum orta tertio cuidam dirimenda committi debet; tertio huic competit jus in actus Rectoris. Quamobrem cum imperium summum non sit, in cujus actus alii, quam habenti, jus quoddam competit (§. 44.); si imperium defertur ea lege, ut, si de juribus controversia oriatur inter Rectorem civitatis & populum, tertius quidam sit judex, id ipsum utique summitati detrahit.

Unum

Digitized by Google

Unum nimirum idemque est, sive populus jus quoddam in actus imperantis sibi reservet, sive idem transferat in alium. Quatenus enim tertius constituitur judex actuum imperantis, qui in controversiam vocantur a populo, hujus quidem sola voluntate; populus revera jus sibi reservatum in delatione imperii transfert in alium. Istiusmodi lege Frisii *Carolum V.* Cæsarem pro domino receperunt, quemadmodum legitur apud *Winsemium* in Hist. ad A. 1515.

§. 130.

Si Rector civitatis orta inter se ac populum controversia se tertio ut arbitro submittit; id summitati minime detrahit.

Etenim si orta inter se ac populum controversia se tertio ut arbitro submittit, hoc facit sua sponte, quod medium hoc optimum judicet componendæ controversiæ, non vero tertio cuidam jus competit in actus ipsius, sicuti in casu præcedentis (§. 129.). Quamobrem cum summitati imperii demum officiat, si tertio cuidam competat jus in actus ipsius, cujus judicio eos submittere obligatur (§. 44.); si tertio ut arbitro se submittit, id summitati minime detrahit.

De Rectore civitatis arbitrio tertii se submittente.

Officium boni Principis est terminare controversiam inter se ac populum ortam, ut securitati Reip. consulatur. Decernere igitur tenetur medium eam sopiendi. Quamobrem si tale deprehendat compromissionem in arbitrum; nihil utique committitur, quod vel imperio absoluto, vel summo repugnat. Sane si Rector civitatis sponte sua ad actum quendam requirit populi consensum, id summitati non derogat, quia eundem requirere non obligabatur. Nonne vero perinde est actum quendam suum submittere judicio populi atque eodem stare, & eundem submittere judicio tertii cujusdam consensu populi & in eo acquiescere?

Digitized by Google

CAPUT II.

De diverſis Rerumpublicarum formis.

§. 131.

Democratia, ſeu ſtatus popularis quid ſit.

Si imperium eſt penes totum populum, forma Reip. dicitur *Democratia*, ſubinde etiam *Status popularis*. Quamobrem patet, *in Democratia populum ſe regere per ſeipſum* (§. 219. *part.* 7. *Jur. nat.*).

Populus nimirum imperium vel ſibi retinere, vel pro lubitu ſuo in perſonam unam, aut plures conjunctim transferre poteſt (§. 36.). Unde naſcuntur tres Rerumpublicarum formæ ſimplices, quarum prima eſt, ubi populus imperium ſibi retinet, nec alio Rectore utitur.

§. 132.

Quod ea ſit maxime naturalis.

Quoniam imperium civile originarie penes populum eſt (§. 33.), & qui in ſocietatem civilem coëunt, liberi ſunt (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*), homines autem libertatis amantes eſſe abunde conſtat; ideo *genio hominum in civitatem coëuntium maxime convenit, ut imperium ſibi retineant, conſequenter democratiam inſtituant.*

Vix itaque dubitandum eſt democratiam eam eſſe Reip. formam, quæ primum introducta, quemadmodum etiam conſtat eam inter plerasque gentes antiquiſſimam eſſe. Recte nimirum obſervat *Puffendorfius* lib. 7. c. 5. §. 4. quod præſumendum non ſit, patremfamilias liberum, qui animadverſis vitæ ſegregis incommodis ultro ſeſe cum aliis ſui ſimilibus in civitatem congregabat, uno velut momento potuiſſe obliuiſci priſtini ſtatus, in quo omnia circa ſalutem ſuam proprio arbitrio diſponebat, ut confeſtim unius ſeſe arbitrio circa rem communem,

Digitized by Google

rem, cui & ipſius ſalus innectebatur, voluerit ſubdere. Quin potius illud æquiſſimum ab initio creditum, quod omnes ſpectat, ab omnibus curari debere.

§. 133.

Si imperium a populo, quale in ipſo eſt, transfertur in unum, ſeu imperium, quale originarie in populo eſt, penes unum eſt, forma Reip. dicitur *Monarchia*. Quamobrem cum *Monarcha* habeat imperium, quod originarie in populo eſt (§. 33.), *jus populi habet, ac tantundem poteſt, quantum in democratia populus univerſus.* *Monarchia quid ſit.*

Imperium in unum transferri poteſt vel quale in populo eſt, vel limitatum. Quando formæ Rerump. determinantur, primo omnino loco ſumendum eſt, imperium plenum absque ulla limitatione, ſeu quale in populo eſt, transferri. Quamobrem in Monarcha ſupponimus imperium, quale in populo erat, antequam transferretur. Monarchia nimirum diſcernenda eſt ab ea Reip. forma, in qua unus quidem imperat, ſed non abſolute, conſequenter quæ de Monarchia demonſtranda veniunt ad formam hanc, ubi unus non abſolute imperat, applicanda non ſunt promiſcue.

§. 134.

Quoniam Monarcha imperium habet, quale eſt in populo (§. 133.), ſi vero imperium in Rectorem civitatis transfertur, quale eſt in populo, is imperium plenum, abſolutum & ſummum habet, jure proprietatis (§. 91.), niſi idem ſaltem translatum fuerit quoad exercitium (§. 40.); *Monarcha imperium plenum, abſolutum & ſummum habet, idque vel in patrimonio, vel in uſufructu* (§. *cit.*). *De jure Monarcha.*

Modus habendi imperium non variat ipſum imperium, conſequenter in diverſis formis Rerumpublicarum diſtinguendis,

Digitized by Google

ubi tantummodo attendendum, penes quemnam sit imperium civile & cujus judicio ac voluntate exerceatur, perinde est, sive imperium fuerit in patrimonio, sive in usufructu.

§. 135.

Aristocratia quid sit.

Aristocratia est ea Reip. forma, in qua imperium, quale originarie in populo est, penes certas quasdam personas, non penes totum populum est. Numerus imperantium in Aristocratia pro lubitu variari potest, modo eorum numerus sit minor pars populi. Dicuntur imperantes *Optimates.* Quoniam *optimates* imperium habent, quale originarie in populo est; iidem *in Aristocratia tantundem possunt, quantum in democratia populus universus.*

Quæ paulo ante annotavimus de Monarchia (*not.* §. 132.), ea etiam tenenda sunt de Aristocratia, ne, quæ de Aristocratia demonstranda veniunt, perperam applicentur ad aliam Reip. formam, in qua quidem plures imperant, sed non absolute.

§. 136.

De jure Optimatum.

Quoniam optimates imperium habent, quale est in populo (§. 135.), si vero imperium in Rectorem civitatis transfertur, quale est in populo, is imperium plenum, absolutum & summum in patrimonio habet (§. 91.), sed nonnisi in usufructu, si saltem quoad exercitium in ipsum translatum (§. 40.); *Optimates imperium plenum, absolutum & summum habent sive in patrimonio, sive in usufructu.*

Quæ de modo habendi imperium annotavimus (*not.* §. 134.) respectu monarchiæ, ea etiam valent respectu aristocratiæ.

§. 137.

Digitized by Google

§. 137.

Ariſtoteles quartam Reip. formam vocat *Timocratiam*, *Timocratia* ubi imperium non eſt penes integrum populum, ſed penes eos ſaltem, qui cenſi ſunt & cenſum præſtant, aut qui prædia poſſident, vel opibus præſtant. Idiomate patrio dicimus, die eine gewiſſe Summe im Vermögen haben. *quid ſit.*

Vulgo non numerantur niſi tres Rerumpublicarum formæ, quia populus vel imperium ſibi retinet, vel in alium transfert, &, ubi imperium transfert, id transfert vel in perſonam unam, vel in plures. Quoniam in Ariſtocratia non attenditur numerus eorum, penes quos imperium eſt (§. 135.); ideo Timocratia ab Ariſtocratia non diſtinguitur. *Huberus* de Jure civitatis lib. 1. ſect. 8. c. 5. §. 8. Ariſtocratiam a Timocratia ita diſtinguit, ut forma Reip. dicatur Ariſtocratia, ſi eorum, penes quos imperium eſt, numerus non ſit major, quam ut ſenatus inde conſtitui poſſit; Timocratia vero, ſi tantus ſit numerus, ut ad ſenatum conſtituendum ſit inconditus. In verbis ſumus faciles & unicuique liberum relinquimus, quibusnam uti velit. Nobis tamen nulla neceſſitas videtur, ut Timocratiam ab Ariſtocratia diſtinguamus: cum enim, uti diximus, in Ariſtocratia non attendatur numerus eorum, penes quos imperium eſt, & diverſitas numeri ex diverſa qualitate illarum perſonarum emergit, quæ ad imperandum habiles ſunt vi legis fundamentalis, Timocratia potius ſpecies quædam Ariſtocratiæ dicenda erat, quam forma quarta ab Ariſtocratia diverſa.

§. 138.

Respublica mixta eſt, quæ in aliis ad monarchiam, in aliis ad ariſtocratiam, in aliis ad democratiam accedit. Unde facile patet, *mixtam Reip. formam oriri ex imperii diviſione in partes potentiales* (§. 64.) *& ejus limitatione* (§. 74.). *Mixta* *Resp. quid ſit.*

Digitized by Google

Nec minus patet, *mixtas Reip. formas pluribus modis differre posse.*

Vulgo monarchia, aristocratia & democratia vocantur formæ Reip. regulares, vel etiam simplices, ac multum deinde disputatur, an dentur formæ mixtæ Rerump. & num a tribus regularibus, quæ dicuntur, abeuntes pro irregularibus sint habendæ. Quod si vocabulorum significatum ita determinemus, quemadmodum a nobis factum est, & omnem formarum diversitatem derivemus ex iis, quae in capite præcedente demonstrata sunt; non opus erit ulla controversia, nec forma Reip. mixtæ quicquam habebit, quod sit absurdum, vel a praxi etiam alienum. Imperium civile vel est penes totum populum, vel penes certas personas e populo, vel penes unam. Unde enascuntur tres formæ simplices, Democratia, Aristocratia & Monarchia, imperio semper manente eodem, sive subjectum ejus sit populus, sive sint optimates, sive sit monarcha. Atque in hisce formis idem prorsus est jus ejus, vel eorum, qui regunt civitatem, nimirum in quolibet subjecto plenum, absolutum & summum. Enimvero vidimus in anterioribus, quando populus imperium transfert in alium, vel alios, cum a voluntate ipsius unice dependeat, quomodo seu qua lege transferre velit, cum imperium dividere posse in partes potentiales & partem unam vel alteram sibi reservare, aut alii cuidam deferre, posse etiam exercitium imperii limitare, posse denique sibi vel suo loco aliis quibusdam reservare jus quoddam in actus quosdam imperantis. Pro diversitate igitur divisionis imperii quoad partes potentiales, limitationis exercitii ejusdem & juris reservati in actus imperantis diversæ omnino oriuntur formæ Rerump. ubi alia formæ monarchicæ, alia aristocraticæ, alia democraticæ sunt. Cum itaque in istiusmodi Reip. forma misceantur, quæ in simplicibus separata deprehenduntur; ecquis reprehendere poterit, si istiusmodi formas dicamus mixtas? Et quoniam jus omne imperantis metiendum est ex voluntate populi, qui in eo determinando utitur libertate sua,

Digitized by Google

ſua, eccur iſtiusmodi forma irregularis dicenda? Sane quis populo præſcripſit hanc regulam, ut vel ipſe imperium per ſe exerceat, vel tale, quale habet, citra ullam mutationem vel in unum, vel in certas quasdam perſonas transferat? Quodſi vero concedatur, liberum eſſe populo, quomodo imperium transferre velit, ut melius ſaluti ſuæ proſpiciat, quam in formis ſimplicibus proſpectum videtur; is fruſtra contendet, in unam formam eſſe confundendas eam, in qua imperium plenum, abſolutum & ſummum imperantis eſt, & eas, in quibus illud parte una, vel altera deminutum, certo quodam modo limitatum, jus in aliquod actus imperantis vel a populo ſibi reſervatum, vel aliis tributum, quaſi hæc tantummodo accidant imperio, nec ſpeciem varient. Qui autem hic concoquere nequeunt diviſionem in partes potentiales & ſummitatem pro qualibet parte diviſa; iis jam ſatisfactum eſt ſuperius (§. 64. 65.). Et, ſi vel maxime tanquam abſurdam rejicias diviſionem in partes potentiales, admittenda tamen eſt limitatio imperii quoad exercitium & reſervatio juris in quosdam actus imperantis, quæ ad mixtionem formarum ſimplicium adhuc ſufficiunt & per eandem formas a ſimplicibus diverſas producunt. Difficultates hic ortæ ſunt, quod viri docti magis ex *Ariſtotele*, quam ex re ipſa ſapere maluerint. Nobis ex re ſapere viſum eſt, & terminos rebus, non res terminis accommodare. Atque ideo nullam deprehendimus difficultatem, quæ nos morari poſſit.

§. 139.

Regnum dicitur ea Reip. forma, in qua imperium ſive plenum, abſolutum ac ſummum, ſive quomodocunque limitatum, aut deminutum penes unum eſt, modo nulli extraneo competat aliquod jus in actus imperii, ſeu ſummitas civitati ſalva ſit. Et perſona iſta, penes quam in regno imperium eſt, *Rex* dicitur. Unde patet, *omnem monarcham eſſe Regem, ſed non omnem Regem eſſe monarcham* (§. 133.), *& regnum eſſe vel monarchiam, vel mixtam quandam Reip. formam.* *Regnum quid ſit.*

Nimi-

Digitized by Google

Nimirum Rex dici nequit nisi is, qui præest civitati, cujus naturalis libertas prorsus salva est, ita ut nemini extraneo competat aliquod jus in actus imperii. Imperium scilicet summum est in civitate, etsi Rex non facere semper possit, quæ sibi videntur, sed ad certos actus opus habeat vel populi totius, vel quorundam ex populo consensu, immo actus quidam ad exercitium imperii spectantes ejus potestati prorsus subducantur. Equidem vulgo monarchia & regnum pro synonymis habentur; vix tamen synonymia convenit recepto usui loquendo, a quo minus abhorret significatus latior, quam vocabulo regni, & restrictior, quam monarchiæ vocabulo tribuimus.

§. 140.

De condominatu.

Condominatus a nonnullis dicitur, si duo, vel tres habeant imperium indivisum in uno regno commune, veluti si duo, vel tres fratres simul imperent, si Regina suscipit maritum in societatem imperii, ut is una cum ipsa imperet, si Rex alium sibi adsciscit in societatem imperii, qui cum eodem simul imperat, seu imperium indivisum exercet. Duo, vel plures simul in uno regno imperantes dicuntur *Condomini*, vocari etiam poterant *Coreges*. Facile autem patet, *Condominos*, seu *Coreges imperare instar unius, eosque esse dignitate ac potestate pares, quasi in singulis regia potestas tota sola resideat.* Nec minus patet, *condominatui locum esse etiam in aliis formis mixtis Reip. ubi unus quidem imperat, sed quæ regnum non sunt, extraneo cuidam competente aliquo jure in actus imperii.*

Prostant exempla condominatus, seu imperii polyarchici, quod vocat *Puffendorfius*, tam in vetere, quam recentiore historia. Condomini isti cum imperium indivisum commune habeant, sociorum instar sunt. Sicuti autem in communione positiva dominium nonnisi unum existit (§. 131. *part. 3. Jur. nat.*)

Digitized by Google

nat.); ita quoque in condominatu imperium nonniſi unum eſt, quod indiviſum in duobus vel pluribus ſeorſim reſidet tanquam in ſuo ſubjecto. Hinc & condominatus ſocia regna appellantur veteribus, veluti quando *Statius* ait; ſociis comes diſcordia regnis. Ea tamen differentia hic intercedit inter communionem poſitivam & regna ſocia, ſeu condominatum; quod condominus non habeat imperium pro parte, prouti pro parte tantummodo dominus rei indiviſæ ſocius eſt, ſed in ſolidum. Res enim, quæ dominio ſubjacet, in partes ita dividi poteſt, ut in unaqualibet ſubſiſtat dominium eodem prorſus modo; ſed non ita dividi poteſt regnum, in quo ſocii regnant, quippe quod ſupponitur tanquam in ſe indiviſum in partes ſcilicet ſubjectivas, quemadmodum *Grotius* loquitur. Unde diximus, in condominatu imperium indiviſum commune eſſe in uno regno.

§. 141.

Superior in civitate dicitur is, cui competit jus in actiones ſingulorum: *ſubditus* autem appellatur is, in cujus actiones alii, vel aliis conjunctim jus competit. Idem adeo eſt ſubditus, qui alias quoque ſubjectus vocatur (§. 201. *part. 7. Jur. nat.*), & ſuperior, qui imperans dicitur.

Superior & ſubditus quinam ſit.

Diverſa ſunt nomina, quibus eædem perſonæ in civitate indigitantur: quæ etſi dubio procul eandem perſonam pro diverſo reſpectu deſignent, uſu tamen loquendi poſtea introductum eſt, ut promiſcue uſurpentur. Idiomate patrio ſuperior appellatur der Obere, ſubditus der Unterthan.

§. 142.

In Democratia populus univerſus ſuperior eſt; ſinguli autem ſubditi ſunt. Etenim in democratia imperium eſt penes totum populum (§. 131.), conſequenter univerſis competit jus determinandi actus ſingulorum, qui ad bonum publi-

Quinam ſit ſuperior, quinam ſint ſubditi in Democratia.

Digitized by Google

cum promovendum requiruntur (§. 60.). Quamobrem cum in civitate ſuperior ſit is, cui competit jus in actiones ſingulorum (§. 141.); populus univerſus in democratia ſuperior eſt. *Quod erat unum.*

Quoniam in democratia populo univerſo competit jus in actos ſingulorum, *per demonſtrata*, ſubditus vero eſt alteri is, in cujus actiones eidem jus quoddam competit (§. 141.); in democratia ſinguli ſunt ſubditi univerſorum. *Quod erat alterum.*

Imperium civile reſidet in populo tanquam in univerſitate, cumque imperans, ſeu ſuperior ſit perſona moralis, quæ determinatur per imperium, ſeu quæ ſpectatur tanquam ſubjectum imperii civilis, populus univerſus in democratia ſpectari debet tanquam perſona moralis diſtincta ab individuis phyſicis, qui ſunt ſinguli per conſociationem populus conjunctim facti. Quemadmodum itaque ſinguli qua tales non ſunt univerſi; ita nec ſubditi in democratia iidem ſunt, qui ſuperiores. Neque abſurdum eſt, univerſos eſſe ſuperiores, ſeu potius unam ſuperioris perſonam gerere, ſingulos vero eidem ſubjectos, vel ſubditos eſſe.

§. 143.

Quinam in Ariſtocratia ſit ſuperior, quinam ſubditus.

In Ariſtocratia ſuperior eſt univerſitas optimatum, ſinguli autem optimates, perinde ac populus reliquus ſubditi ſunt. Etenim in Ariſtocratia imperium eſt penes optimates, prouti erat durante ſtatu democratio penes populum univerſum (§. 135.). Imperium itaque civile reſidet conjunctim in optimatibus, tanquam in una perſona morali, conſequenter conjunctim ipſis, non ſingulis per ſe jus competit in actus civium. Quamobrem cum ſuperior ſit, cui competit jus in actiones ſingulo-

Digitized by Google

ſingulorum (§. 141.); in Ariſtocratia ſuperior eſt univerſitas optimatum. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam in Ariſtocratia imperium competit optimatibus qua univerſis, ſinguli idem non habent, conſequenter *per demonſtrata* nec ſinguli ſunt reliquo populo ſuperiores. Quoniam vero ipſi perinde ac ceteri membra civitatis ſunt, ideo neceſſe eſt, ut univerſis idem jus competat in ſingulos, quod competit in ceteros cives. Quamobrem cum ſubditus ſit, in cujus actiones aliis jus quoddam competit (§. 141.); optimates in Ariſtocratia perinde ac populus reliquus ſubditi ſunt. *Quod erat alterum.*

Minime abſurdum eſt, ut in Ariſtocratia optimates conjunctim ſint ſuperiores, ſinguli autem ſubditi: ſuperiorem enim facit imperium, hoc autem in optimatibus exiſtit, quatenus univerſitas ſunt, minime autem in ſingulis per ſe. Exiſtit nimirum in optimatibus imperium eodem modo, quo exiſtebat in populo, ac ideo de ipſis idem valet, quod de populo annotavimus (*not.* §. 142.).

§. 144.

In condominatu tot ſunt ſuperiores, quot condomini, nec unus eorum ſubditus eſt alteri, vel ceteris, ſi plures duobus fuerint. Etenim regia poteſtas, ſeu imperium civile in ſingulis ita reſidet, ac ſi unus condominorum ſaltem imperaret, conſequenter ea eſt ſingulorum autoritas, quæ foret unius. Enimvero ſi unus ſaltem imperaret, foret is ſuperior, minime autem ſubditus (§. 141.). Quamobrem in condominatu tot ſunt ſuperiores, quot condomini, nec unus eorum ſubditus eſt alteri, vel ceteris, ſi plures duobus fuerint. *Quinam ſit ſuperior in condominatu.*

Patet itaque differentia, quæ intercedit inter Ariſtocratiam & condominatum. In Ariſtocratia imperium in optimatibus

Digitized by Google

existit tanquam in universitate, ut nonnisi omnes conjunctim dici possint superiores, seu imperantes: ast in condominatu imperium existit in singulis, ut unusquisque eorum sit superior, seu imperans;

§. 145.

Libertas civilis populi in quonam consistat.

Libertas civilis populi est independentia quoad actus ad bonum publicum promovendum requisitos a voluntate alterius.

Distinguenda nimirum est libertas naturalis, quæ singulis competit (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*), a libertate civili. Illa respicit actiones quasvis humanas; hæc autem nonnisi eas, quæ ad finem civitatis consequendum faciunt. Libertas igitur naturalis latior est libertate civili.

§. 146.

De libertate civili in democratia.

Quoniam libertas civilis populi consistit in independentia quoad actus ad bonum publicum promovendum requisitos a voluntate alterius (§. 145.), in democratia autem imperium penes populum est (§. 131.) consequenter ipse determinat pro lubitu actus ad bonum publicum promovendum requisitos (§. 60.), ac ideo non dependet quoad eos ab ullius alterius voluntate; *in democratia populus libertate civili fruitur & populus liber dicitur non tantummodo respectu exterorum, verum etiam respectu sui ipsius.*

De libertate populi respectu extraneorum egimus supra (§. 55.). Hic vero consideramus populum tanquam liberum respectu sui ipsius. Fluit libertas civilis ex libertate naturali, eademque nititur tanquam basi, cum homines naturalis amantes etiam quoad eos actus, qui ad bonum publicum promovendum in civitate requiruntur, non prorsus inviti dependere voluerint a voluntate alterius, vel aliorum (*not.* §. 132.).

§. 147.

Digitized by Google

§. 147.

De eadem sublata in monarchia & aristocratia.

In monarchia & aristocratia populus libertate civili destituitur. Etenim in monarchia imperium plenum, absolutum & summum est penes monarcham (§. 134.), in aristocratia penes optimates (§. 136.). In illa igitur monarcha, in hac optimatum universitas determinat eos actus, qui ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 60. 62.), pro lubitu (§. 66.), nec ab ullius voluntate dependent monarcha & optimates (§. 44.). Quamobrem in monarchia populus unice a voluntate monarchæ, in aristocratia a voluntate optimatum dependet quoad eos actus, qui ad bonum publicum promovendum requiruntur. Quoniam vero libertate civili destituitur populus, si quoad actus ad bonum publicum promovendum requisitos ab alia, quam sua voluntate dependet (§. 145.); in monarchia & aristocratia populus libertate civili destituitur.

Libertas civilis prædicatur de populo universo, non de singulis sigillatim. Quamobrem libertati civili non obstat, quod in civitate singulorum libertas restringatur quoad eas actiones, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 47.). Quando de libertate civili quæstio est, tum quæritur, utrum populus in determinandis actibus ad exercitium imperii civilis spectantibus, seu iis, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt, a sua voluntate dependeat, an ab aliena, quam sequi teneatur. Atque tum omnino apparet, in monarchia & aristocratia quoad ea, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt, determinanda nullam esse populo voluntatem, sed eum alienam sequi & in ea acquiescere debere.

§. 148.

Quando populus eidem renunciet.

Quoniam in monarchia & aristocratia populus libertate civili destituitur (§. 147.); *si populus in monarchiam, vel*

Digitized by Google

ariſtocratiam conſentit, conſequenter imperium, quale habet, in alium vel alios transfert, libertati ſuæ civili renunciat (§. 103. *part. 3. Jur. nat.*).

Renunciatio libertatis civilis tacite ineſt ipſi translationi imperii pleni, abſoluti atque ſummi in alium, vel alios, vt ideo expreſſa minime ſit opus (§. 211. *part. 7. Jur. nat.*).

§. 149.

Quomodo proſpiciatur libertati civili populi & libertati naturali ſingulorum.

In formis Rerump. mixtis libertati civili populi & libertati naturali ſingulorum proſpicitur. In Rep. mixta imperium limitatur, & in partes potentiales dividitur (§. 138.). Quamobrem cum in limitatione imperii ejus exercitium certis legibus adſtringatur, & certi actus a conſenſu vel populi, vel certorum quorundam ex populo ſuſpendantur (§. 66. 74.), in diviſione autem in partes potentiales certa jura ad imperium pertinentia imperanti adimantur (§. 63.); in formis Rerump. mixtis populus quoad actus ad exercitium imperii pertinentes, conſequenter ad bonum publicum promovendum requiſitos (§. 60.), non vult unice dependere a voluntate imperantis, nec vult exercitium imperii extendi ultra eas actiones, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt. Enimvero libertati civili populi proſpicitur, ſi is quoad ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur, unice a voluntate imperantis pendere nolit (§. 145.), & libertas ſingulorum naturalis ſalva manet in civitate, quatenus imperium non extenditur ultra eas actiones, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 47.). In formis itaque Rerump. mixtis libertati civili populi & libertati naturali ſingulorum proſpicitur.

Formæ Rerump. mixtæ diverſæ introducuntur, prouti populus hoc, vel alio modo melius proſpici judicat libertati civili

Digitized by Google

vili suæ, tum etiam libertati naturali singulorum, cui inprimis præjudicatur, si imperans imperium in abusum trahit.

§. 150.

Si imperantes norunt, quænam ad bonum publicum promovendum sint necessaria, & constans ipsis ac perpetua voluntas est nil faciendi, nisi quod ad bonum publicum promovendum necessarium judicaverint, omittendi autem omnia, quæ bono publico adversari deprehenderint; omnis Reip. forma apta est ad finem civitatis consequendum. Etenim si imperantes norunt, quænam ad bonum publicum promovendum sint necessaria; fieri omnino nequit, ut per ignorantiam faciant, quæ eidem adversantur, aut omittant, quæ ad idem promovendum fieri debent. Quodsi ipsis fuerit voluntas constans nil faciendi, nisi quod ad bonum publicum promovendum necessarium judicaverint, ex adverso autem omittendi, quicquid bono publico adversari deprehenderint; a proposito exequendi ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur, nullo sese modo abduci, nec ad faciendum quicquam, quod eidem adversatur, ullo sese modo adduci patietur, & ubi eadem voluntas perpetua est, in omni casu tales sese præstabunt (§. 1062. *part. 1. Theolog. natur.*). Sive igitur unus imperet, sive plures imperent, aut totus populus, & sive penes unum aut plures imperium fuerit absolutum ac summum, sive limitatum quocunque modo, consequenter qualiscunque tandem fuerit regiminis forma (§. 131. & *seqq.*), ea apta erit ad finem civitatis consequendum, si imperantes norint, quænam ad bonum publicum promovendum sint necessaria, & constans ipsis ac perpetua fuerit voluntas nil quicquam faciendi, nisi quod ad bonum publicum promovendum necessarium judicaverint, omittendi autem omnia, quæ bono publico adversari deprehenderint.

Quando-nam Reip. apta sit ad finem civitatis consequendum.

Ut

Digitized by Google

Ut finis obtineatur, neceſſe eſt ut agens norit media ad finem duceutia & ut velit mediis iſtis uti, nec ab hac voluntate ullo modo ſe abduci patiatur. Duo igitur hæc requiſita ſi habuerit imperans, ſive is unus ſit, ſive plures ſint, qui imperant, ſive populus univerſus imperium ſibi retinere maluerit, finem civitatis conſequi datur. Pendet nimirum a virtute intellectuali & morali imperantis promotio boni publici, minime autem per ſe a forma Reip. Hinc etiam experientia docet, ſalvas fuiſſe Resp. tum in ſtatu populari, ſeu democratico, tum in ariſtocratico, tum in monarchico, nec ullam harum formarum per ſe eſſe ineptam ad finem civitatis obtinendum, quemadmodum etiam exempla in contrarium proſtant in qualibet Reip. forma. Immo in mixtis quoque Reip. formis ſalus populi pendet a virtute intellectuali & morali eorum, qui ad exercitium imperii quomodocunque concurrunt.

§. 151.

Quandonam nulla apta ſit.

Si imperantes ignorent, quænam ad finem civitatis conſequendum neceſſaria ſunt, aut ipis deſit voluntas mediis ad eum ducentibus utendi, ſeu bonum publicum promovendi; in nulla ip. forma finis civitatis obtinetur. Etenim ex demonſtratione propoſitionis præcedentis patet, ut finis civitatis obtineatur requiri in imperante & notitiam mediorum ad eum ducentium, & voluntatem conſtantem atque perpetuam bonum publicum promovendi. Quodſi ergo vel notitia deficiat, vel voluntas; qualiscunque tandem fuerit forma Reip. finem civitatis minime obtineri dabitur.

Difficile idcirco eſt determinare formam Reip. in qua ejus ſalus nihil patiatur detrimenti. Promotio boni publici ſemper pendet a judicio & voluntate eorum, qui Remp. regunt. Niſi igitur hi iis virtutibus fuerint iuſtructi, quæ ad rectum & bonum regimen requiruntur, ſola Reip. forma rem minime confeceris. Sed de eligenda Reip. forma agere Politici eſt.

Hic

Digitized by Google

Hic enim tantummodo de jure agitur, consequenter sufficit demonstrasse, omnem Rerump. formam simplicem & ex simplicibus quomodocunque mixtam moraliter possibilem esse, hoc est, talem, in qua finis civitatis obtineri potest, modo sint imperantes, quales esse debent.

§. 152.

An forma Reip. variet speciem imperii.

Forma Reip. non variat speciem imperii, seu nihil in eadem immutat. Etenim formæ Rerump. in eo differunt, quod imperium exerceatur vel ab vno, vel a pluribus, vel a toto populo (§. 151. *& sqq.*), & quando imperium in mixta Rep. limitatur (§. 138.), limitatione exercitium ejus saltem certis legibus adstringitur, aut in nonnullis a consensu vel populi totius, vel certorum quorundam suspenditur (§. 74.). Quoniam itaque formæ Rerump. tantummodo consistunt in modo exercendi seu administrandi imperium; per eas in ipso imperio nihil mutatur, consequenter forma Reip. speciem imperii minime variat.

Imperium civile unum idemque est in qualibet civitate, consistit enim in jure determinandi ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 60.). Quoniam vero non uno modo exerceri potest, ideo inde nascuntur diversæ Rerump. formæ, quæ determinant modum exercendi imperii civilis. Qualiscunque tandem fuerit forma Reip. tantundem juris competit iis, ad quos imperii administratio spectat simul sumtis, quantum in statu civitatis originario populo universo in singulos.

§. 153.

Quantum juris superiori in subditos competit.

Quoniam forma Reip. non variat speciem imperii, seu nihil in eadem immutat (§. 152.), imperium autem civile, quale scilicet originarie est, extendi nequit ultra eas actio-

Digitized by Google

tat in qua-vis Reip. forma.

actiones, quæ ad commune civitatis bonum publicum consequendum pertinent (§. 35.), & quoad actiones ceteras de libertate singulorum naturali delibat (§. 47.); *in qualibet Reip. forma non plus juris imperantibus competit in singulos, seu superiori in subditos, quam ad bonum publicum promovendum sufficit, nec in una Reip. forma imperium civile latius patet, quam in altera.*

Falluntur itaque, qui sibi persuadent, in democratia minorem esse potestatem, quam in Monarchia, vel Aristocratia, & minorem in Aristocratia, quam in Monarchia. Etenim jus imperii in qualibet forma reliqua mensuram suam capit ex democratia, in qua conspicitur in populo, quale originarie sit. Finis civitatis semper idem manet, quæcunque forma Reip. eligatur, quod per se patet (§. 4). Ex fine autem metiendum est jus, quod tale ac tantum esse debet, quale ac quantum requiritur, ut fine intento potiri detur. Quodsi fingas aliquod jus imperanti competens, quod in fine civitatis rationem sufficientem minime habet; unde id oriatur, ostendi minime poterit, nec dari poterit ulla ratio, cur illi competere debeat.

§. 154.

Ad quanam facienda in qualibet forma imperans obligetur.

Cum in una Reip. forma imperium civile non latius pateat, quam in altera (§. 153.); *in qualibet Reip. forma imperans ea facere tenetur, ad quæ facienda populus obligatus fuisset, siquidem imperium sibi retinuisset, seu in statu popolari permansisset.*

In nulla Reip. forma populus aliter pendere vult a voluntate ejus, vel eorum, qui imperium administrant, quam quatenus acquiescere vult in ipsorum judicio de eo, quod ad commune civitatis bonum promovendum requiritur. Ad recte imperandum requiritur judicium verum. Quodsi vero supponas

Digitized by Google

ponas, imperantis judicium de eo, quod ad bonum publicum promovendum requiritur, eſſe verum; idem omnino erit in qualibet Reip. forma, & in qualibet faciet imperans, quæ faceret populus, ſi ex vero de ſalute publica ſtatueret, quemadmodum debebat.

§. 155.

Regnum patrimoniale dicitur, ſi imperium fuerit in patrimonio Regis; vocatur autem *uſufructuarium*, ſi imperium ſaltem fuerit in uſufructu Regis. Quoniam imperium in Regem transferri poteſt vel quoad exercitium, vel quoad ſubſtantiam (§. 39.), & ſi quoad ſubſtantiam transfertur, illud in patrimonio habet, ſi vero quoad exercitium, id non habet niſi in uſufructu (§. 40.); *regnum tam patrimoniale, quam uſufructuarium poſſibile eſt.* *De regno patrimoniali & uſufructuario.*

De Monarchia jam oſtendimus, quod imperium vel in patrimonio, vel in uſufructu habere poſſit (§. 134.), conſequenter patet quoque ex ſuperioribus monarchiam eſſe vel patrimonialem, vel uſufructuariam.

§. 156.

Ariſtocratia patrimonialis dicitur, ſi imperium fuerit in patrimonio optimatum: *uſufructuaria* vero vocatur, ſi imperium ſaltem fuerit in uſufructu optimatum. Quoniam optimates imperium habere poſſunt vel in patrimonio, vel in uſufructu (§. 136.); *Ariſtocratia tam patrimonialis, quam uſufructuaria eſſe poteſt.* *De Ariſtocratia patrimoniali.*

Ariſtocratia patrimonialis etſi referenda non ſit inter ea, quæ impoſſibilia ſunt, rarior tamen eſt, ut ejus nomen inauditum pronunciet apud omnes Hiſtoricos & juris publici priſcatique ſcriptores *Huberus* de I. C. lib. 1. ſect. 8. c. 3. ipſe tamen

Digitized by Google

men ibidem oſtendit, regimen Friſiæ occidentalis & quarundam vicinarum gentium eſſe patrimoniale ariſtocraticum.

§. 157.

Quomodo negotia definienda in ſtatu populari.

Qui in civitatem coëunt, tacite conveniunt, quod parti majori viſum fuerit, id habendum eſſe pro totius populi voluntate, niſi expreſſe de nonnullis aliter fuerit conventum ſcilicet, ut nonniſi unanimia concludant, vel certus votorum numerus vincat. Qui enim in civitatem coëunt, ſocietatem contrahunt (§. 4.) Enimvero qui ſocietatem contrahunt, tacite conveniunt, quod majori parti viſum fuerit, id habendum eſſe pro communi omnium ſententia (§. 80. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem qui in civitatem coëunt, tacite conveniunt, quod parti majori viſum fuerit, id habendum eſſe pro populi totius voluntate. *Quod erat unum.*

Quodſi vero expreſſe de nonnullis aliter conveniunt, ſcilicet ut nonnulli unanimia concludant, vel certus votorum numerus vincat, cum in caſu priori nihil concludi poſſit, niſi unanimia adſint, in poſteriori autem nihil concludatur, quamdiu pro una ſententia vel unum votum deficit (§. 107. *part. 7. Jur. nat.*); de negotiis iſtis exceptis pro voluntate totius populi haberi nequit, quod majori parti viſum fuerit. *Quod erat alterum.*

Pertinent huc ea omnia, quæ prolixe ſatis de jure votorum ſeu ſuffragiorum demonſtravimus (*§. 62. & ſeqq. part. 7. Jur. nat.*), ut ideo non opus ſit inutili prolixitate ibidem demonſtrata ad ſtatum popularem applicare.

§. 158.

Voluntatem monarchæ

Quoniam in ſtatu populari, qui reſultat, dum in civitatem coitur (§. 4, 131.), pro totius populi voluntate habetur,

Digitized by Google

habetur, quod parti majori visum fuerit, nisi expresse de nonnullis aliter fuerit conventum (§. 157.); in Monarchia autem populus omne jus suum transfert in monarcham (§. 133.), in Aristocratia in optimates (§. 135.); *Quod monarchæ videtur in monarchia; quod optimatibus, in aristocratia habetur pro populi totius voluntate.* *& optimatum pro voluntate populi habendam.*

Quando nimirum populus jus suum transfert in monarcham, ipso facto sese obligat, quod ipsius voluntatem habere velit pro voluntate sua. Ac idem intelligitur in Aristocratia quoad optimates. In monarchia itaque & aristocratia populo nulla est voluntas propria circa ea, quæ ad exercitium imperii spectant.

§. 159.

Quoniam in monarchia, quod monarchæ; in aristocratia, quod optimatibus videtur habendum pro totius populi voluntate (§. 158.), voluntas autem dependet a judicio intellectus (§. 892. *Psy h. empir.*); *quod in monarchia monarcha, in aristocratia optimates judicant de iis, quæ salus publica exigit, id pro judicio totius populi habendum*, consequenter *totus populus eodem stare tenetur.* *Judicium monarchæ & optimatum esse judicium populi.*

Quando nimirum populus jus suum transfert in monarcham, ipso facto sese obligat, quod judicio ipsius stare velit in iis, quæ salus publica exigit. Atque idem valet de optimatibus in aristocratia. In monarchia itaque & aristocratia populi nullum est judicium de iis, quæ ad salutem publicam promovendum requiruntur.

§. 160.

Monarcha in monarchia, optimates conjunctim in aristocratia populum repræsentant. Etenim monarcha in monarchia, optimates conjunctim in aristocratia jus populi habent, ac tantundem possunt, quantum populus in statu democratico *Quinam populum repræsentet in monarchia*

Digitized by Google

& *ariſtocra-tia.* (§. 133. 135.). Quoniam itaque monarcha & optimates per hoc ipſum jus, quod originarie populi eſt, in eſſe ſuo determinantur, tanquam perſonæ morales (§. 70. *part. I. Jur. nat.*); monarcha utique in monarchia, optimates conjunctim in ariſtocratia populum repræſentant.

Nimirum populus, quatenus imperium habet, perſona quædam moralis eſt, & eidem tribuitur intellectus, quatenus judicium de iis requiritur, quæ ſalus publica exigit in adminiſtrando imperio, voluntas vero, quatenus vult ea fieri debere, quæ ad ſalutem publicam promovendam facere judicat. Ultra hæc intellectus & voluntas perſonæ iſtius moralis non extenditur. Quando imperium transfertur ſive in monarcham, ſive in optimates, perſonam hanc moralem induit monarcha in monarchia, collegium, ſeu univerſitas optimatum in ariſtocratia. Et ita populum repræſentat monarcha in monarchia, collegium ſive univerſitas optimatum in ariſtocratia, & qui antea populi erat intellectus, quæ erat populi voluntas, is intellectus, ea voluntas nunc monarchæ eſt in monarchia, nunc optimatum univerſim ſpectatorum in ariſtocratia. Abſit vero, ut tibi perſuadeas, quaſi infra dignitatem monarchæ ſit repræſentare populum, propterea quod abſurdum exiſtimas, ut ſuperior repræſentet ſubditos (§. 133. 141.). Etenim populum repræſentat, quatenus habet jus, quod originarie populo inhæret, conſequenter quatenus populus, quamdiu jus iſtud ſibi retinet, ſuperior eſt ſingulis (§. 142.), non quatenus ſinguli ſunt ſubditi populo univerſo. Ut idem clarius appareat, duas pone Resp. quarum una eſt democratia, altera monarchia. Nonne in illa populus, in hac monarcha ſunt una eademque perſona moralis? Nonne in democratia populi univerſi eadem eſt autoritas, quæ monarchæ in monarchia? Nonne ideo monarcha in monarchia ſuperior fit, quia in locum populi ſuccedit, eumque repræſentat, quatenus ſuperior erat, quamdiu ſtatus manebat popularis.

§. 161.

Digitized by Google

§. 161.

In Rep. mixta id pro voluntate totius populi habetur, quod legibus fundamentalibus convenit, aut consensu totius populi, vel certorum quorundam e populo confirmatum fuit. In Rep. enim mixta imperium limitatum competit imperanti (§. 138.), consequenter ejus exercitium in iis, quæ semper eodem modo fieri possunt, certis legibus adstrictum, de quibus autem ex præsenti nonnisi tempore judicium fieri potest, utrum ea sint e re civitatis, nec ne, ea a consensu vel totius populi, vel certorum quorundam e populo suspenduntur (§. 74.). Populus itaque vult, vt illa per leges fundamentales definiantur, ad hæc autem consensus vel totius populi, vel certorum quorundam e populo requiratur. Quamobrem id voluntati populi convenit, quod legibus fundamentalibus convenit, aut ad quod vel populi totius, vel certorum quorundam e populo requisitus fuit consensus. In Rep. mixta igitur id pro voluntate totius populi habendum, quod legibus fundamentalibus convenit, aut consensu totius populi, vel certorum quorundam e populo confirmatum fuit. *Quidnam in Rep. mixta habeatur pro populi voluntate.*

Populus voluntatem suam declarat vel per se, ut in democratia (§. 131.), vel per alios, quorum voluntatem pro sua se habere velle se obligavit vel absolute, ut in monarchia (§. 133.), & aristocratia (§. 135.), vel quatenus certis legibus conformis, aut consensu certo munita, ut in Rep. mixta (§. 138.). Tot nimirum modis possibile est, ut quis voluntatem suam declaret. Ceterum ex iis, quæ hactenus demonstravimus, patet, quo sensu admitti possit, quod a nonnullis dicitur, in monarchia & aristocratia populum carere ratione, & eam in monarchia non esse nisi monarchæ, in aristocratia vero optimatibus, rationem monarchæ & optimatum esse loco rationis populo: id quod in Rep. mixta minime obtinet.

§. 162.

Digitized by Google

§. 162.

Magistratus quinam sit.

Magistratus dicitur, cui partes quædam imperii exercendæ committuntur a superiore in civitate. Unde patet, *magistratum partes sibi demandatas imperii non exercere proprio nomine, sed nomine superioris*, consequenter *eum rationem reddere teneri actuum suorum superiori, ac ab eo coërceri posse.*

Aliud omnino est imperare proprio nomine, aliud nomine alterius. Qui enim nomine alterius imperat, is non jus suum exercet, sed jus, quod est alterius, etsi habeat jus exercendi jus alterius. Aliud igitur est transferre in alterum imperium, aliud vero tantummodo jus exercendi imperium, ut scilicet id exerceat dependenter a sua voluntate.

§. 163.

De ministerio magistratus.

Quoniam superior in civitate in magistratum tantummodo confert jus certas imperii partes suo nomine exercendi (§. 162.); *in administrando imperio magistratus ministerio utitur imperans, seu superior.*

Per magistratum nimirum facit imperans, quod vi imperii per se facere debebat, sed commode facere non poterat, aut prorsus non poterat. Perinde nimirum est, ac si quis opera aliena utitur in re sua.

§. 164.

An status popularis mutetur exercitio imperii aliis commisso.

Si populus exercitium imperii saltem committit uni, vel pluribus personis conjunctim, sibi autem reservat jus in omnes actus imperantis; status popularis non mutatur. Etenim si populus exercitium imperii saltem committit uni, vel pluribus personis conjunctim, sibi autem reservat jus in omnes actus imperantis, seu imperium exercentis, eorum ministerio in exercendo imperio saltem utitur populus, & quibus facultas

Digitized by Google

tas exercendi imperii data, ii tantummodo magiſtratus ſunt, nequaquam vero ſuperiores (§. 162. 141.), immo ſunt ſubditi populi (§. 141.). Quamobrem cum imperium maneat penes populum, etſi is idem per alios exerceat, ſtatus autem popularis ſit, in quo imperium penes populum eſt (§. 131.); ſi populus exercitium imperii ſaltem committit uni, vel pluribus perſonis conjunctim, ſibi autem reſervat jus in omnes actus imperantis, ſtatus popularis non mutatur.

Falluntur ſane, qui ſibi perſuadent Reges & Optimates non eſſe niſi magiſtratus a populo ad gubernandam Remp. conſtituros, ſiquidem vocabulum magiſtratus ſumatur in ſignificatu determinato, quem eidem tribuimus (§. 162.). Quando autem ſuperior in civitate, veluti Rex in regno, collegium Optimatum in Ariſtocratia, dicitur Magiſtratus ſummus, die höchſte Obrigkeit, id fit intuitu officii, quod idem eſt in caſu propoſitionis præſentis Magiſtratus a populo conſtituti & Monarchæ, ſive Regis in regno, univerſitatis ſeu collegii Optimatum in Ariſtocratia. Ex identitate autem officii non ſequitur identitas juris ad eos actus, in quibus officium conſiſtit. Sed ſententia iſta jam cadit per ea, quæ ſuperius demonſtrata & annotata fuerunt (§. 82.).

§. 165.

De Ariſtocratia temporaria.

Si populo ſaltem competat jus conſtituendi quotannis certas perſonas, qui imperium civile exercent, electa autem imperium ſummum habeant; forma Reip. non eſt democratia, ſed ariſtocratia temporaria. Etenim ſi penes eos, in quos imperium transfertur quoad exercitium ad certum tempus a populo, idem fuerit ſummum; imperium ſummum non eſt penes populum, quod per ſe patet. Enimvero ſi imperium ſummum non fuerit penes totum populum, forma Reip. democratia non eſt (§. 131.). Ergo ſi populo ſaltem com-

Digitized by Google

petat jus constituendi quotannis certas personas, quæ imperium civile exercent, electæ autem imperium summum habeant; forma Reip. democratia non est. *Quod erat unum.*

Quoniam itaque in casu propositionis præsentis imperium summum ad certum tempus est penes eos, quos populus elegit, ut isto tempore imperium exerceant, aristocratia vero est ea Reip. forma, in qua imperium summum est penes certas quasdam personas, non vero penes totum populum (§. 135.), eaque temporaria, si potestas summa iisdem saltem competit ad certum tempus; in casu propositionis præsentis forma Reip. aristocratia temporaria est. *Quod erat erat alterum.*

Jus eligendi certas personas, quibus demandatur exercitium imperii, pertinet ad modum disponendi de ipsa substantia imperii, consequenter ad proprietatem imperii (§. 131. *part. 2. Jur. nat.*). Hæc proprietas semper manet apud populum, si imperium penes eum, vel eos, qui idem exercent, saltem fuerit quoad exercitium. Dispositio autem illa non afficit modum exercendi imperium, a quo summitas imperii dependet, quippe quæ populo imperium transferenti nullum relinquit jus in actus ad exercitium imperii pertinentes (§. 44). Modus itaque transferendi imperium probe distinguendus est a modo exercendi imperium.

§. 166.

Territorium quid sit.

Territorium dicitur locus, in quo alicui imperium civile competit.

Ita territorium civitatis est regio, quam populus inhabitat & in qua originarie ipsi competit imperium civile. Quando nimirum populus terræ quandam partem occupans in societatem civilem coit, non modo fundos dominio suo subjicit, verum

verum etiam imperium in istis occupat, ut, qui in eo commorantur, vel consensu ipsius bona quædam possident, juri populi subjecti sint. Possunt vero a populo vel eo, aut iis, qui jus populi habent, etiam constitui territoria magistratuum, quatenus definiuntur certa loca, in quibus imperii exercitium ipsis demandatum.

§. 167.

De iis, qui in territorio alieno commorantur, vel bona possident.

Quoniam populo, aut ei, vel iis, qui jus habent populi, in territorio imperium civile competit (§. 166.), *qui consensu populi in territorio commorantur, aut bona quædam possident, etiamsi membra alterius civitatis sint, in casu priori quoad personam suam, in posteriori quoad bona juri populi, aut ejus, vel eorum, qui jus populi habent, subjecti sunt, ipsi autem peregrini sunt* (§. 7.).

Pendet a voluntate populi, utrum peregrinis permittere velit, nec ne, ut in territorio suo commorentur, vel bona possideant. Ita olim Sinenses non permittebant, ut quis peregrinus in territorium ipsorum accederet, poena capitali in eum constituta, qui in id ingredi auderet. Multo minus itaque permittendum est, ut in territorio nostro bona possideant. Pendet quoque a voluntate populi, utrum iis, qui bona possident, consensu suo jus civitatis dare velit, nec ne. Prostant hodie exempla, ubi jus civitatis denegatur peregrinis, etiamsi ipsis permittatur, ut bona possideant in alieno territorio.

§. 168.

Quænam persona in democratia sint exercitii.

A voluntate populi unice dependet, utrum imperium exerceri saltem debeat per patresfamilias, an ad exercitium ejus etiam admitti debeant fœminæ, impuberes aliique, qui rebus suis præesse non possunt, & peregrini, qui bona intra territorium civitatis possident.

Digitized by Google

iii imperii capaces.

fident. Etenim imperium civile eſt originarie res populi propria (§. 34.), & in democratia propria manet (§. 131.). Quamobrem de ejusdem exercitio disponere poteſt, prouti ſibi commodum & ſaluti publicæ convenire videtur (§. 86.). Quamobrem a voluntate ipſius dependet, utrum imperium exerceri ſaltem debeat a patribusfamilias, an ad ejus exercitium quoque admitti debeant foeminæ, impuberes aliæque perſonæ, quæ rebus ſuis præeſſe non poſſunt, vel etiam peregrini, qui bona intra territorium civitatis poſſident.

Populus univerſus omnino complectitur perſonas omnes, quæ imperio eidem civili ſubſunt (§. 5.), conſequenter non ſolum patresfamilias, verum etiam foeminas, minores, infantes & perſonas quascunque alias. Immo quoniam etiam peregrini, qui intra territorium civitatis bona poſſident, quoad bona iſta imperio civili ſubjecti ſunt (§. 167.); abſurdum non eſt, ut qua poſſeſſores horum bonorum ad populum referantur, licet poſſeſſio iſta non obſtet, quo minus maneant membra civitatis alterius, conſequenter peregrini ſint (§. 7.). Abſurdum igitur non eſt, ut imperium exerceatur conſenſu omnium eorum, qui ad populum pertinent, vel certo quodam reſpectu ad eundem referri poſſunt. Quodſi enim qui fuerint, qui per ſe conſenſum ſuum declarare nequeunt, eundem ſicuti in privatis negotiis per alios declarare poſſunt. Et ſane ubi fæx infimæ plebis, ubi foeminæ, & perſonæ aliæ ab exercitio imperii excluduntur; conſenſum ſuum per ceteros declarare intelliguntur. Ita ubi ſaltem patresfamilias imperium exercent, eorum conſenſus habetur pro conſenſu omnium, qui in familia eorum, ſeu domo ſunt. Mariti conſenſum ſuum declarant ſuo & uxorum nomine, patres ſuo & liberorum nomine, heri ſuo & famulorum ſuorum nomine. Quando nimirum convenitur, ut imperium ſaltem exerceri debeat a patribusfamilias; vi hujus pacti jus ſingulorum, qui ſunt in eadem domo, coaleſcit in unum, quod in patrefamilias reſi-

det

Digitized by Google

det tanquam in ſubjecto, ita ut hujus voluntas habeatur pro communi omnium voluntate, & perſonæ ceteræ renunciaſſe intelliguntur juri ſuo conſenſum ſuum per ſe declarandi, ita ut deficiente patrefamilias ab exercitio imperii non minus excludantur, quam eo vivente. Ceterum cum ſaluti publicæ convenienter omnia ordinanda ſint in Rep. (§. 86.); ſi ad eam promovendam conducat certarum perſonarum excluſio, quin ea recte fiat dubitandum non eſt, ut ideo eædem in excluſionem conſentire debeant (§. 28.), & non rogatæ conſentire præſumantur.

§. 169.

Negotium publicum dicitur negotium, quod ad res totius civitatis ſpectat. *Negotii publici definitio.*

Opponitur *negotio privato*, quod ſpectat ad res ſingulorum. Denominatio fit convenienter diſtinctioni inter publicum & privatum (§. 23.).

§. 170.

Quoniam negotia publica ad res totius civitatis ſpectant (§. 170.), negotia autem ſint complexus omnium actionum ad aliquid obtinendum, vel efficiendum requiſitarum (§. 68. *part.* 7. *Jur. nat.*), & ad civitatem non referuntur niſi actiones, quæ ad bonum publicum, ſeu commune totius civitatis requiruntur (§. 35.); *negotia publica ea ſunt, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt.* *Negotia publica de quonam agant.*

Ita e. gr. deliberatio, utrum bellum ſit ſuſcipiendum, an ab eo abſtinendum, negotium publicum eſt, quia ratio decidendi deſumenda ab eo, quod civitati expedit, præſuppoſita nempe quæſtione, an bellum, ſi ſuſciperetur, foret juſtum, nec ne.

Digitized by Google

§. 171.

Eorum cura ad quosnam pertineat in democratia.

Quia negotia publica ad bonum publicum promovendum faciunt (§. 171.), in democratia autem imperium eſt penes populum (§. 131.), conſequenter populus determinare tenetur ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 60.); *in democratia cura negotiorum publicorum pertinet ad populum univerſum*, conſequenter *negotia publica agi nequeunt niſi a populo univerſo, ſive per ſe, ſive per alios, quibus eadem agenda committit.*

Exercitium imperii abſolvitur negotiis publicis. Unde ad ea pertinent, quæcunque finis civitatis fieri jubet. Quamobrem cum in democratia imperium pertineat ad populum univerſum, quod partim per ſe, partim per alios exercet, quibus exercitium ſuo nomine committit; omnia quoque negotia publica ad populum univerſum pertinent, agenda ſive per ſe, ſive per alios, quibus id committere viſum fuerit. Quæ enim populus per alios facit, id per ſe feciſſe putatur.

§. 172.

Idem ulterius expenditur.

Quia negotiorum publicorum cura ad populum univerſum ſpectat (§. 171.), a populi autem voluntate unice pendet, num exercitium imperii omnibus commune eſſe debeat, an vero quibusdam excluſis ad certam tantummodo populi partem pertinere (§. 168.); *cura negotiorum publicorum in democratia illorum eſt, ad quosnam exercitium imperii communi populi conſenſu reſtrictum.*

Status popularis non deſinit eſſe talis, etiamſi non omnes promiſcue ad exercitium imperii admittantur. Ac ideo quoque in democratia neceſſe non eſt, ut cura negotiorum publicorum pertineat ad omnes. Sane cum civitates primitus enatæ fuerint ſocietate inter plures domus contracta (§. 4.), patres-

Digitized by Google

tresfamilias autem imperium domeſticum habuerint, prout etiam nunc apud plerasque gentes habent, aut earum moribus ſaltem habere debent, ſit ita, quod naturaliter patrifamilias & matrifamilias conjunctim competat (§. 1155. *part.* 7. *Jur. nat.*); dubitari minime poteſt, quod ab initio in democratia imperium civile ſaltem fuerit penes patresfamilias, ac per conſequens ceteræ perſonæ omnes ab ejusdem exercitio fuerint excluſæ. Quoniam vero hoc unice venit a pacto, quo civitates conſtitutæ; nulla neceſſitas exigit, ut ne populus, ſi ita viſum fuerit, aliter conveniat, nec quomodo convenerit, id juris ſit.

§. 173.

Quænam requirantur ſi populus negotia publica per ſe agere debeat.

Si populus negotia publica per ſe agere debet, neceſſe eſt, ut in certo loco conveniat & ſinguli ſuam de eo, quod fieri debet, voluntatem declarent. Etenim cum in democratia pro voluntate populi habendum ſit, quod parti majori viſum fuerit, immo nonnulla negotia exitum habere nequeant, niſi vota unanimia adſint, aut certus adſit votorum numerus, de quo ut vincat conventum fuerit (§. 157.); ſi quod negotium publicum populus per ſe agere debet, neceſſe eſt ut ſinguli ſuam de eo ſententiam declarent, conſequenter ut eam declarare poſſint, in certo loco conveniant.

§. 174.

De comitiis.

Conventus negotiorum publicorum agendorum cauſa celebrati dicuntur *Comitia*. Quamobrem cum populus, ſi negotia publica per ſe agere velit, in certo loco illorum agendorum cauſa convenire debeat (§. 173.); *populus univerſus negotia publica per ſe nonniſi in comitiis agere poteſt.*

Patet hinc neceſſitas comitiorum in democratia. In democratia nihil fieri debet niſi populi univerſi conſenſu, quem obtineri

Digitized by Google

obtineri non posse per se patet, nisi populus aliquo in loco conveniat, consequenter nisi comitia celebrentur.

§. 175.

Cur populus omnia negotia per se agere non possit.

Quoniam populus negotia publica per se agere nequit nisi in comitiis (§. 174.), & per consequens necesse est ut certo in loco illorum causa conveniat (§. *cit.*), impossibile vero est, ut quotidie conveniat; *in democratia populus omnia negotia publica per se agere nequit*, consequenter *necesse est, ut ea, quæ quotidiana sunt, aut sæpius occurrunt, vel etiam moram non patiuntur*, ut scilicet populus convocari & de iis statuere possit, *aliis agenda committat, ac* ideo *certos magistratus constituat* (§. 162.).

Comitia forent perpetua, si negotia publica omnia per se agere vellet populus. Quam vero sit absurdum populum universum semper in comitiis commorari debere, nemo non statim videt.

§. 176.

Quænam in comitiis definienda.

De quibus nonnisi ex præsenti tempore in casu emergente statuendum, ea populus in comitiis definienda sibi reservare debet, modo patiantur moram. Etenim in democratia imperium est penes populum universum (§. 131.), consequenter ab eo determinandum, quænam boni publici promovendi causa fieri debeant (§. 60.). Quodsi ergo quædam occurrunt, de quibus nonnisi ex præsenti tempore statuendum, cum de iis in antecessum nihil constitui possit, necesse utique est, ut populus conveniat & facta deliberatione concludat, quid sit faciendum. Quamobrem cum hac de causa comitia sint celebranda (§. 174.); populus in comitiis definienda sibi reservare debet ea, de quibus nonnisi ex præsenti tempore in casu emergente statuendum. *Quod erat unum.*

Quo-

Digitized by Google

Quoniam vero populus convocandus, si comitia celebranda, ac ideo multi ex locis remotioribus in eum locum accedere tenentur, ubi celebrantur; multum omnino temporis spatium requiritur, si quid in comitiis decidendum, seu negotium quoddam in iisdem agendum. Quamobrem si negotium aliquod moram non ferat, quamvis tale sit, ut de eo statui non possit nisi ex præsenti tempore, id tamen a populo in comitiis decidi nequit, consequenter nec talium decisionem populus sibi reservare potest, sed eam magistratui committere tenetur. *Quod erat alterum.*

Ita de bello suscipiendo in casu aliquo emergente statui nequit, nisi ex præsenti tempore. Quamobrem hæc deliberatio & decisio fieri debet in comitiis, siquidem status perfecte popularis esse debeat.

§. 177.

A voluntate populi unice dependet, utrum comitia statuto tempore semper sint habenda, an vero saltem in casu emergente, quo de re quadam ex præsenti tempore statuendum. Pertinet enim hoc ad exercitium imperii, seu regimen (§. 218. *part. 7. Jur. nat.* & §. 60. *h.*). Quamobrem cum in democratia populus se regat ipsum (§. 131.) & de exercitio imperii, tanquam rei sibi propriæ (§. 54.), pro arbitrio disponere possit; a voluntate utique populi unice dependet, utrum comitia statuto tempore semper sint habenda, an vero saltem in casu emergente, quo de re quadam ex præsenti tempore statuendum.

De tempore comitiorum.

§. 178.

Si comitia saltem habenda, quando casus quidam emergit, in quo de re quadam ex præsenti tempore statuendum; necesse est, ut jus convocandi populum alicui conferatur & casus determinentur, quan-

De jure convocandi populum.

Digitized by Google

quantum fieri poteſt, in quibus comitia habenda. Etenim ſi comitia non habeantur ſtatuto tempore, populus ignorat, quandonam convenire debeat. Quamobrem ſi in caſu quodam emergente convenire debet, neceſſe eſt ut ſit, qui eum convocet. Quoniam vero in democratia omnina fieri debent populi voluntate; nemo quoque ſibi arrogare poteſt jus convocandi populum, niſi populus id eidem contulerit. Quare ſi comitia ſaltem habenda, quando caſus quidam emergit, in quo de re quadam ex præſenti tempore ſtatuendum; neceſſe omnino eſt, ut alicui jus convocandi populum conferatur. *Quod erat unum.*

Enimvero cum in democratia ſummitas imperii ſemper maneat penes populum, (§. 131.), populo quoque competit jus in actus ejus, cui jus convocandi populum collatum (§. 44.), & per conſequens is jus ſibi collotum exercere debet non pro lubitu ſuo, ſed ad nutum populi. Quamobrem neceſſe eſt, ut populus ſpecialius determinet caſus, quantum quidem fieri poteſt, quorum cauſa comitia habenda. *Quod erat alterum.*

In Rep. omnia ordine fieri debent, & per conſequens nec in democratia per turbam omnia agi a populo. Quamobrem nec unicuilibet liberum eſſe poteſt populum convocare, quando ſibi viſum fuerit; ſed neceſſe omnino eſt, ut cura hæc cuidam committatur. Ne vero hic in convocando populo ſit negligens, quando e re civitatis fuerit comitia haberi; utique neceſſe eſt, ut caſus ſpecialius definiantur, in quibus populum convocare debet, veluti ſi circumſtantiæ præſentes ſuadeant, legem quandam ferri, aut olim latam abrogari, vel in nonnullis mutari, ſi de foederibus pangendis, aut pace ineunda deliberandum. Haec caſuum ſpecialis determinatio hunc quoque habet uſum, ne populus præter neceſſitatem convocetur, cum

Digitized by Google

cum comitia univerſi populi pluribus difficultatibus obnoxia ſint, ut ea præter neceſſitatem non ſint multiplicanda. Uberior autem iſtiusmodi rerum diſcuſſio ad Politicam pertinet.

§. 179.

Si quis e populo neceſſarium judicet, ut comitia habeantur; ei, in quem jus convocandi populum collatum, cauſas exponere debet, cur populum convocari neceſſarium judicet. Etenim ſi jus convocandi populum in aliquem fuit collatum a populo; nemo quoque alius idem ſibi arrogare, conſequenter populum pro ſuo lubitu convocare poteſt. Quoniam tamen quilibet bonum publicum promovere debet pro virili (§. 24.); ſi quis e re civitatis exiſtimet, ut de re quadam ſtatuatur a populo, ipſi omnino integrum eſt ſua deſideria palam facere, conſequenter ei, cui jus convocandi populum competit, cauſas exponere, cur populum convocari neceſſarium judicet, & quoniam *per demonſtrata* ipſe eundem convocare nequit, illi cauſas exponere debet. *De jure ſuorum quoad convocationem populi.*

Hoc modo minime turbatur ordo, qui voluntate populi introductus, & quem ſequi quivis e populo tenetur (§. 142.). Cumque judicium de neceſſitate comitiorum ſit ejus, penes quem jus eſt convocandi populum; eo ipſo quoque præcavetur, ne populus præter neceſſitatem convocetur. Quamvis enim expediat populum ſtatuere de eo, cujus cauſa eundem convocandum eſſe judicat monitor; non tamen propterea neceſſe eſt, ut hac ſola de cauſa comitia habeantur, cum ea eſſe poſſit, quæ fert moram, tuto differenda, donec aliæ cauſæ plures & magis prægnantes comitia urgeant.

§. 180.

Siquis in convocando populo fuerit negligentior, vel prorſus nolit convocare, etiamſi ſint cauſa manifeſta, quæ comitia exigunt; compellendi De jure

Digitized by Google

eum, qui jus convocandi populum habet, ad eum convocandum.

ad populum convocandum compelli, immo cogi poteſt. Etenim cum in democratia ſummitas imperii ſit penes populum (§. 131.); eidem quoque competit jus in actus ejus, qui jus convocandi populum habet (§. 44.). Quodſi ergo idem in convocando populo fuerit negligentior, immo monitus eundem convocare nolit; populo utique competit jus ipſum compellendi, immo cogendi, ut convocet.

Jus a populo in democratia conceſſum exerceri nequit pro lubitu, ſed juxta voluntatem populi exercendum, ſive is eandem conſtante quadam lege declaraverit, ſive in caſu quodam emergente eandem exercenti indicaverit. Jus hoc nullum foret, niſi conjunctum eſſet cum jure compellendi, ſeu cogendi eum, qui jus quoddam ſibi conceſſum habet, ad idem, quando opus eſt, exercendum.

§. 181.

Quomodo compellatur.

Quoniam in convocando populo negligens, vel monitus eum convocare detrectans ad illum convocandum compelli, immo cogi poteſt (§. 180.), ad evitandum vero turbas requiritur, ut omnia in democratia certo ordine fiant; *populus jui monendi eos, quibus jus illum convocandi, conceſſum eſt, ut convocent, ſi negligentes fuerint, & ubi noluerint convocare, etiamſi adſint cauſæ manifeſtæ comitiorum, jus convocandi populum alicui conferre debet, qui vero negligentes aut refractarios ſeſe præbuerunt, in comitiis populo rationem negligentiæ & repugnantiæ reddere tenentur, & ab eo coërceri poſſunt* (§. 131. 44.).

Sunt qui putant, in caſu præſenti populum extra ordinem convenire debere. Equidem dubium non eſt, quin id facere poſſit, non tamen e re civitatis videtur. Cum convenire nequeat, niſi convocetur, neceſſe eſt ut quis jus convocandi ſibi arroget, cui num omnes parere velint minime certum eſt. Unde

Digitized by Google

Unde facile oriuntur factiones & seditiones, quas esse noxias Reip. nemo diffitetur. Quoniam itaque in Rep. salus publica, quo etiam pertinet tranquillitas, suprema lex est (§. 86.), & per consequens eidem convenienter omnia ordinanda sunt; conventus istiusmodi extraordinarii, qui dicuntur, non facile sunt permittendi.

§. 182.

De jure comitiorum.

Jus comitiorum habere dicitur, qui votum in comitiis habet, consequenter ad comitia accedere potest. Quamobrem cum populus convenire possit, ut certæ personæ ab exercitio imperii excludantur, & per consequens idem nonnisi ad certas pertineat, veluti ad solos patresfamilias (§. 168.); *illi jus comitiorum habent, per quos exercitium imperii a populo in democratia restrictum*, consequenter *ceteri, si in comitiis comparere velint, non admittendi.* Unde porro consequitur, *iis, quibus jus convocandi populum competit, etiam committendum esse judicium de jure comitiorum, quibusnam competat, vel, si ita visum fuerit, etiam aliis.*

E. gr. Si fœminæ excluſæ sint a comitiis, ad ea admittendæ non sunt, ubi venerint. Quodsi autem habuerint, quod ipsarum causa proponendum sit in comitiis, id deferre possunt ad eos, quibus jus proponendi in iisdem competit. Nulla vero hæc ratio foret, cur comitiis interesse vellent, & ad deliberationes adhiberi. Similiter si fæx infima plebis ab exercitio imperii excluſa, nec qui sunt ex ea, iis patet ad comitia accessus. Et eadem de his notanda sunt, quæ de fœminis modo monuimus.

§. 183.

De eo, qui ad comitia non vocatur.

Si qui jus comitiorum habet, ad ea non vocatur; injuria eidem fit. Qui enim jus comitiorum habet, ei votum in comitiis competit (§. 182.), consequenter ejus votum in deli-

Digitized by Google

berationibus, ut concludi possit (§. 74. *part. 7. Jur. nat.*), requirendum: quod ubi non fit, consequenter si is, qui jus comitiorum habet, ad ea non vocatur, jus ejus perfectum violatur (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum violatio juris perfecti alterius injuria sit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); si qui jus comitiorum habet, ad ea non vocatur, injuria eidem fit.

Justam igitur conquerendi causam habet, qui non vocatur, & de injuria ipsi facta tenetur is, qui jus convocandi habet. Naturaliter nec culpa excusat, licet absit dolus. In præsenti autem casu standum est jure naturali, quamdiu populus in leges positivas non consentit, quæ inter culpam atque dolum in hoc casu distinguunt.

§. 184.

Quo effectu quidam non vocentur.

Si in comitiis, ad quæ quis convocatus non fuit, qui jus comitiorum habet, quidpiam fuerit conclusum, ad quod unanimia requiruntur; is conclusum dissensu suo irritum reddere potest. Idem intelligitur, si plures non vocati dissensu suo majora efficiant. Qui enim jus comitiorum habet, ei votum in comitiis competit (§. 182.), consequenter si ad concludendum unanimia requiruntur, sine eo nihil concludi potest (§. 107. *part. 7. Jur. nat.*). Quodsi ergo is, qui ad comitia vocatus non fuit, dissentit; conclusum erit nullum, consequenter ad comitia non vocatus conclusum in iisdem irritum facere potest. *Quod erat unum.*

Quoniam qui jus comitiorum habent, iis votum in comitiis competit (§. 182.), nemini autem jus suum invito auferri potest (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); in numerandis votis, ut majora concludant (§. 79. *part. 7. Jur. nat.*), attendenda quoque sunt vota illorum, qui ad comitia non vocati, cum vocari

Digitized by Google

vocari debuiſſent. Quodſi ergo contingat, eos diſſenſu ſuo efficere majora; quod in comitiis concluſum irritum erit, & ipſorum ſententia prævalebit. *Quod erat alterum.*

Qui itaque ad comitia vocati non ſunt, recte contradicunt ei, quod concluſum fuit, & contendunt, ut votorum ſuorum quoque habeatur ratio. Unde patet, qua circumſpectione uti debeat, qui jus convocandi habet, ne qui prætereantur, qui jus comitiorum habent.

§. 185.

A conventione populi dependet, utrum qui vocatus non comparet, vel comparere nequit, votum ſuum alii committere, aut per literas edere poſſit, an vero jus ſuffragii ad ſolos præſentes pertinere debeat. Jus ſuffragii pertinet ad exercitium imperii, utpote comprehenſum ſub jure comitiorum (§. 182.). Quamobrem cum imperium, quod in democratia penes populum eſt (§. 131.), ſit res populi propria (§. 34.), conſequenter de iis omnibus, quæ ad exercitium imperii ſpectant, populus pro lubitu disponere poſſit (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*); de modo quoque ſuffragandi ſtatuere poteſt, quod ſibi viſum fuerit. Quodſi ergo velit, ut in comitiis nemo niſi præſens per ſe votum ferre poſſit, abſentis votum erit nullum: ſi vero velit, ut abſens quoque votum ſuum alteri præſenti mandare, aut per literas populo congregato ſignificare poſſit, votum quoque abſentis in numerando attendi debet. Patet itaque a conventione populi dependere, utrum qui vocatus non comparet, vel comparere nequit, votum ſuum alii committere, aut per literas edere poſſit, an vero jus ſuffragii ad ſolos præſentes pertinere debeat.

De voto abſentium.

Sunt equidem qui in comitiis democraticis nonniſi præſentium vota admittenda eſſe contendunt; non tamen eæ ſunt, quas

Digitized by Google

quas afferunt, rationes, ut ſententiæ ipſorum neceſſario ſubſcribere teneamur. Ajunt enim jus ſuffragii non eſſe in patrimonio ſuffragantium, conſequenter neminem jus ſibi competens poſſe dare alii. Enimvero ſi abſens committit præſenti, ut votum ſuum ſignificet populo congregato; is jus ſuffragandi, ſeu votandi, quod habet, non transfert in alterum, multo minus id facit, ſi votum ſuum per literas indicat. Et quando additur, publicam utilitatem poſtulare, ut quilibet ipſe per ſe negotio interſit; id quidem in omni caſu verum non eſt, nec quod utilius, ſtatim jus facit, a quo minime recedendum. Sane in democratia juris eſt, quicquid de exercitio imperii & modo idem exercendi viſum fuerit populo, conſequenter ſemper ſtandum eſt iis, de quibus populus convenit.

§. 186.

Quando populus per deputatos conveniat in comitiis.

Si numerus populi maior fuerit, quam ut ſinguli in comitiis convenire poſſint; diſtribuendus is eſt in certos ordines & hi in coetus quosdam minores, qui certas perſonas eligant ipſorum nomine ad comitia mittendas. Etenim ſi populi tanta fuerit multitudo, ut ſinguli ſimul in eodem loco convenire non poſſint; impoſſibile omnino eſt, ut ſinguli per ſe votum edant, etſi jus comitiorum, conſequenter votum in comitiis edendi (§. 182.), vi democratici ſtatus conveniat ſingulis (§. 191.). Neceſſe igitur eſt, ut votum ſuum edant per alios. Quamobrem ut hoc ordine ac citra ullam confuſionem fieri poſſit; populus utique diſtribuendus eſt in certos ordines & hi quaſi ſubdividendi in coetus minores, ut ſinguli eligant certas perſonas, per quas votum ſuum in comitiis edere velint. Hæ cum repræſentent coetus ſuos, a quibus electæ ſunt, & qui ſinguli jus ſuum in eas quoad caſum præſentem transtulerunt, aut, ſi mavis, exercitium juris ſui iis commiſerunt; ſi ad comitia mittuntur, perinde eſt ac ſi populus univerſus conveni-

Digitized by Google

conveniret. Patet itaque, ſi numerus populi major fuerit, quam ut ſinguli in comitiis convenire poſſint, populum dividendum eſſe in certos ordines & hos ſubdividendos in coetus minores, qui certas perſonas eligant ipſorum nomine ad comitia mittendas.

Status popularis non deſinit eſſe talis, etiam integra populi multitudo non interſit comitiis. Sufficit, ut, quod concluditur, pro voluntate populi univerſi haberi poſſit, quatenus ſingulorum adeſt conſenſus, qualem in caſu propoſitionis præſentis adeſſe, nemo non videt. Ponamus enim coetum certum, vel plurium hominum convenire, quod idem ipſis ſit placiturum, quod ei, quem eligunt, videbitur; votum ejus omnino habendum eſt pro votis unanimibus omnium eorum, qui ſunt in coetu eligente. In quod igitur is conſentit, aut vi legis fundamentalis, quæ votorum pluralitatem tuetur, conſentire debet; in idem quoque conſentire intelliguntur, quotquot in coetu eligente ſunt. Hoc modo facile apparet, quomodo conſenſu univerſi populi fiant concluſa in comitiis, etiamſi in iisdem non præſens ſit niſi certus deputatorum numerus. Parum refert, quibus nominibus appellentur illi coetus, in quos populus diſtinguitur, ac ſubdiſtinguitur, & quibus nominibus compellandi veniant illi, quos eligunt tanquam voluntatis ſuæ interpretes in comitiis. Nomina enim non ubivis eadem ſunt, ubi res ipſa uſu recepta eſt. Hic autem de re, non de nomine ſolliciti ſumus.

§. 187.

De directore comitiorum.

In comitiis jus proponendi, vota colligendi & numerandi, atque per ea concludendi certæ cuidam perſonæ a populo conferri debet vel concluſo quodam generali, vel electione a præſentibus facta quoad comitia præſentia. Per ſe patet, neceſſe eſſe ut quidam ſit, qui in comitiis ea proponit, de quibus deliberandum, vota colligit, numerat ac juxta ea concludit. Enimvero in

Digitized by Google

democratia omnia determinari debent a populo, quæ quomodocunque ad exercitium imperii pertinent (§. 131.). Quamobrem etiam a voluntate ejusdem dependet, quinam in comitiis proponere debeat deliberanda, vota colligere & numerare, concluſumque facere. Quoniam vero populus voluntatem ſuam declarare poteſt concluſo quodam generali, quod eſt inſtar legis fundamentalis & in omnibus comitiis attendendum, vel in præſentibus comitiis eligendo certam quandam perſonam; ideo jus proponendi, vota colligendi & numerandi, atque ex iis concludendi certæ cuidam perſonæ conferre debet, aut concluſo quodam generali, aut electione a præſentibus quoad comitia præſentia facienda.

Directore utique opus eſt in comitiis, ut citra confuſionem juſto ordine fiant, quæ agenda ſunt. Quoniam vero director conſtitui poteſt perpetuus, ſive quatenus hoc munus alteri cuidam proprium efficitur, vel in comitiis eligi aut ad dies vitæ, aut ad præſentia ſaltem comitia, libertati populi convenit, ut faciat, quod pro datis circumſtantiis ſibi melius videtur, & in eo ſequatur ſuum judicium: id quod in omni caſu obtinet, ubi aliquid non uno modo fieri poteſt.

§. 188.

Senatus definitio.

Senatus dicitur coetus certarum perſonarum, cui regimen publicum quoad ea, quæ quotidianæ adminiſtrationis ſunt, vel quæ moram non ferunt, & executio illorum, quæ a ſuperiore decreta ſunt, committitur, & qui ad conſilium de rebus publicis ſuperiori ſubminiſtrandum adſciſcitur. Perſonæ ſingulæ, ſeu membra ſenatus *ſenatores* vocantur. Patet itaque *ſenatum eſſe ſuperiorem quendam magiſtratum* (§. 162.), etſi magiſtratus ſenatui vulgo contradiſtinguantur, ita ut id nominis tribuatur perſonis in ſenſu reſtrictiori, quibus functiones inferiores ad regimen civitatis neceſſariæ atque ad certum

Digitized by Google

tum nonniſi civium numerum, ſeu loca certa reſtrictæ committuntur.

Quamvis nomen ſenatus pervulgatum ſit, definitio tamen non adeo facilis eſt. Senatus inſtar perſonarum moralium eſt ſubjectum certorum jurium ad exercitium imperii civilis pertinentium, conſequenter per ea in eſſe ſuo determinatur. Hæc autem jura a ſuperiore in civitate in eum conferuntur pro lubitu, cujus voluntas cum libera ſit, non eadem prorſus omni ſenatui conveniunt: neque enim ſenatus plus juris habere poteſt, quam ſuperior in eum conferre voluit. Accedit, quod apud nos vocabulum ſenatus uſurpetur de collegiis, quæ ex uſu loquendi apud Romanos recepto minime eodem inſigniri poſſunt. Equidem *Huberus* de I. C. lib. 3. ſect. 1. c. 4. §. 2. conſilii ſaltem de publicis rebus ſuperiori ſubminiſtrandi cauſa ſenatum adſcitum in definitione ſumit; ipſe tamen §. 5. mox fatetur, fieri & poſſe, & ſolere plerumque, ut auctoritas & poteſtas quarundam rerum minoris momenti & quæ moram ferre nequeunt, illi tribuatur, cujus rei pro forma cujusque Reip. variet uſus. Enimvero cum conſiliarii a ſenatoribus diſtingui ſoleant; neceſſe omnino eſt, ut præter conſilium aliud adhuc jus ipſis tribuatur, quod cum his commune non habent. Exiſtimamus vero, ſi ad ſenatum Romanum reſpiciamus, qualis fuit in ſtatu populari, noſtram definitionem eidem ſatis convenire, nec eandem abhorrere a ſignificatu hodienum in ſtatibus popularibus receptum. Quicquid ſit, in Jure Naturæ definitio ſenatus arbitraria eſt, cum in eodem de formis Rerump. agatur, quatenus poſſibiles ſunt, & quid huic, vel iſti conveniat vi notionis ſuæ; non vero quæſtio ſit de eo, quomodo Rerump. formæ a diverſis gentibus fuerint conſtitutæ, quarum facta juxta naturæ legem examinanda. Neque enim ex factis hominum jus illud immutabile derivandum, ſed hæc juxta iſtud dijudicanda. Quamobrem in determinando ſignificatu vocabulorum, quibus uſi ſunt homines, vel hodienum utuntur, tanto major regnat libertas,

Digitized by Google

quando longius a determinato quodam & fixo significatu absunt.

§. 189.

De auctoritate & potestate senatui conferenda in democratia.

Quoniam in democratia populus negotia publica per se agere non potest nisi in comitiis (§. 174.), senatui autem committere debet, quæ per se agere nequit (§. 188.); *tanto plus auctoritatis & potestatis in democratia conferri debet in senatum, quando rarius populus convenire*, consequenter *quando rariora comitia esse debent* (§. 174.).

Comitia plurimum difficultatis habent, ut ideo studere consultum sit, ne præter necessitatem sint frequentiora. Atque ea ratio est, cur in democratia pleraque regiminis publici comitiorum raritas ad senatum deducat, cui ea de causa jus perfectum in negotiis publicis admodum late patens concessum, ita ut status popularis Aristocratiæ quodammodo assimiletur, aut is ad mixtum ex democratia & aristocratia propius accedere videatur. Interest tamen id discriminis, ut in democratia semper salvum maneat jus populi in actus senatus, ac is rationem eorum populo reddere teneatur, siquidem huic in comitiis visum fuerit.

§. 190.

De necessitate senatus in democratia.

In democratia senatus necessario constituendus est. Etenim in democratia populus universus negotia publica per se nonnisi in comitiis agere potest (§. 174.) ac ideo impossibile est, ut omnia per se agat, sed quæ quotidiana sunt, vel etiam moram non ferunt, aliis expedienda committi debent (§. 175.). Quamobrem si qua sunt, quæ nonnisi populi consensu decerni poterant, cum tamen quotidie occurrant, vel moram minime ferant, ac per consequens a populo ipso per se decidi nequeant; ideo necesse est, ut ea expedienda virorum

Digitized by Google

virorum prudentum coetui committantur. Cumque his status Reip. maxime perspectus sit, ut quid e re civitatis sit rectius judicare queant aliis; iis simul committendum, ut consilium de iis populo in comitiis subministrent. Quoniam itaque coetus istiusmodi personarum, quibus ea committuntur, senatus est (§. 188.); in democratia senatus necessario constituendus.

Nullibi major est necessitas senatus constituendi, quam in democratia. In hac enim populus universus superior est (§. 142.), ac ideo quæ in aliis Rerump. formis superior ipse per se facit, nec magistratibus committit (§. 162.), ea populus per se facere deberet in democratia. Quoniam vero populus negotia publica agere nequit nisi in comitiis, quæ quotidiana esse nequeunt, sed rariora sunt & esse debent; necesse omnino est, ut, quæ populus per se expedire nequit, ea per senatum expediat. Quamobrem non sola executio eorum, quæ populus decrevit, ei committenda, sed potestas quoque sufficiens concedenda, ut, quod populus per se extra comitia facere nequit, faciat. Et ad officium ejus pertinet vigilantia, ut ad populum tempestive deferatur & ejus decisioni committatur, si salus publica quædam decerni exigit. Senatus Romanus, qualis fuit in statu populari, quæ hic dicuntur, ea abunde illustrat. Nec desunt exempla alia hodienum in civitatibus liberis. Cavendum tamen est, ne quæ ad abusum pertinent huc trahantur. Ceterum per ea, quæ modo diximus, abunde quoque perspicitur differentia inter senatum & alios magistratus, etsi ea major sit in democratia, quam in aliis Rerump. formis, & in ipsa democratia major, ubi rariora sunt comitia, quam ubi frequentius celebrantur (§. 189.).

§. 191.

In democratia jus convocandi populum, seu comitia indicandi committendum est senatui & jus proponendi ea, de quibus in comitiis *De jure senatui quoad*

comitia conferendo.

comitiis decernendum, aut saltem suppeditandi eadem illi, cui directio comitiorum commissa. Etenim cum senatui regimen publicum commissum quoad ea, quæ quotidianæ administrationis sunt, vel moram minime ferunt, & alias a superiore peraguntur (§. 188.); status Reip. omnium optime eidem perspectus est, ut rectius aliis judicare possit de iis, quæ salus publica pro præsenti tempore exigit. Et quoniam præterea senatus de rebus publicis consilium superiori subministrare debet (§. *cit.*), in democratia vero populus universus superior est (§. 142.); si de quibusdam rebus publicis populus statuere debet, senatus rem ad populum deferre & sententiam ejus rogare debet. Quare cum in democratia necesse sit, ut jus convocandi populum alicui conferatur (§. 178.); in ea hoc jus senatui committendum. *Quod erat unum.*

Quoniam vero senatus vel ipse ea, de quibus populus sententiam suam dicere debet in comitiis, proponere potest, vel ea suppeditare illi, cui directio in comitiis commissa (§. 187.), a populi autem voluntate in democratia unice dependet, quomodo de iis, quæ ad exercitium imperii quomodocunque spectant, statuere velit (§. 131.); ideo senatui vel conferendum jus proponendi ea, de quibus in comitiis decernendum, vel saltem suppeditandi eadem illi, cui directio comitiorum commissa. *Quod erat alterum.*

Equidem videri poterat, quod senatus populum convocans indicare possit ea, de quibus in comitiis deliberandum, immo hoc non modo utile, verum prorsus necessarium judicari poterat, si populus in comitiis non comparet nisi per deputatos (§. 186.); non tamen hoc semper fieri consultum est, immo ne fiat necesse est. Contingere nimirum potest, ut de arcanis nonnullis deliberandum sit, quæ ne in publicum emanent, salus publica, suprema in omni Rep. lex (§. 86.), prohibet.

Digitized by Google

bet. In iis autem, quæ non uno modo fieri poſſunt, regnat populi libertas & voluntas ejus facit jus, quemadmodum jam antea obſervavimus (*not.* §. 187.).

§. 192.

In democratia populus ſollicite præcavere debet, ne ſenatus, aut quis alius, cui pars quædam imperii exercenda commiſſa, ſummam poteſtatem injuſſu ejus uſurpet, ſeu eam ſibi vindicet.

De præcautione ſummæ potestatis in democratia.

Etenim in democratia populus ſummitatem imperii ſibi retinere & ſe per ſeipſum regere (§. 131.), conſequenter ab aliorum voluntate dependere non vult. Quoniam tamen neceſſe eſt, ut ſenatum conſtituat (§. 190.), conſequenter aliis regimen publicum quoad ea, quæ quotidianæ adminiſtrationis ſunt, vel moram non ferunt, (§. 188.), immo etiam aliis partem quandam imperii exercendam committat (§. 175.), facile autem fieri poteſt, ut ſenatus paulatim ſummitatem imperii in ſe derivet; vel etiam alius, cui pars quædam imperii exercenda commiſſa, id faciat; ideo vigilandum populo eſt, ne quid horum fiat, & ſenatus vel alius jus ſibi a populo conceſſum latius extendat. Sollicite igitur is præcavere debet, ne ſenatus, aut quis alius, cui pars quædam imperii exercenda commiſſa, ſummam poteſtatem injuſſu ſuo uſurpet, ſeu eam ſibi vindicet.

Conſervatio ſtatus mere popularis difficillima eſt: neque adeo facile præcavetur, ne in ariſtocratiam, aut monarchiam, minimum in mixtam quandam Reip. formam ſucceſſive degeneret. Qui ad diverſas Rerump. formas, quæ vel olim fuerunt, vel hodienum ſunt, eorundemque, quas ſubierunt, mutationes animum advertere voluerit, fidem oculatam habebit. Quodſi ergo ſtatus popularis conſervari debet, & magna circumſpectione opus eſt in ordinanda Rep. & non minore vigilantia, ne quis jus majus uſurpet, quam ipſi conceſſum.

§. 193.

Digitized by Google

§. 193.

De magistratibus legum fundamentalium & libertatis custodibus.

Quoniam *in democratia* populus sollicite præcavere debet, ne senatus, aut quis alius, cui pars quædam imperii exercenda commissa, summam potestatem injussu ejus usurpet, seu eam sibi vindicet (§. 192.); ideo *constituendi sunt magistratus, quibus ea sollicitudo committitur,* consequenter *qui leges fundamentales* & independentiam populi ab aliorum voluntate, adeoque *libertatem* (§. 45.) *custodiunt.*

Exemplum istiusmodi magistratuum habemus in Tribunis plebis Romanorum, quamvis nec hi impedire potuerint, quo minus senatus partem imperii summi potiorem sibi vindicaret, manifesto indicio, conservationem status popularis rem esse longe difficillimam, quemadmodum modo annotavimus (*not.* §. 192.).

§. 194.

Norma eorum, quæ in democratia constituenda.

Similiter quia *in democratia* populus sollicite præcavere debet, ne senatus, aut quis alius, cui pars quædam imperii exercenda commissa, summam potestatem injussu ejus sibi vindicet (§. 192.) consequenter ne quoad actus ad bonum publicum promovendum requisitos fiat dependens a voluntate alterius, vel aliorum, neque ideo libertati ejus officiatur (§. 145.); *omnia ita ordinanda sunt, ne facile libertati populi offici possit,* ac ideo *si qua non uno modo fieri possunt, id eligendum, quod liberati populi conservandæ magis conducit.*

Libertatis amor ratio est, cur populus aliquis democratiam aliis Reip. formis præfert. Quoniam itaque hæc forma Reip. eligitur tanquam medium libertate fruendi; in eligendis iis, quæ in democratia constituenda, ratio alia esse non debet, quam quod hoc pacto libertati melius consulatur, quam alio.

Quem-

Digitized by Google

Quemadmodum ſalus publica ſuprema lex eſt, ſicuti in omni Rep. (§. 86.), ita etiam in democratia, ſi finem ſpectes; ita libertas ſuprema lex dici poteſt in democratia, quatenus media reſpicis, quibus finis iſte obtinendus. Salutem enim ſuam, quæ a ſalute publica in civitate pendet, populus committere non vult alieno arbitrio, ſed ſuo circa eam ſtare judicio.

§. 195.

Quatenus libertati naturali renuncietur in democratia.

In democratia ſinguli renunciant libertati ſuæ circa ea, in quæ pars major conſentit. Etenim in democratia tacite convenitur, quod parti maiori viſum fuerit, id habendum eſſe pro totius populi voluntate, niſi expreſſe de nonnullis aliter conveniatur, ut ſcilicet nonniſi unanimia concludant, (§. 157.). Quamobrem perinde eſt, ac ſi unusquisque declaret, ſe circa ea, quæ majori parti videbuntur, non ſtare velle judicio ſuo, ſed dependere ab illorum voluntate, qui in parte majore ſunt. Enimvero libertati ſuæ renunciat, qui hoc facit, (§. 153. *part. 1.* & §. 103. *part. 3. Jur. nat.*). In democratia igitur ſinguli renunciant libertati ſuæ circa ea, in quæ pars major conſentit.

Sine hac renunciatione democratia ſubſiſtere nequit: impoſſibile enim eſt, ut de rebus publicis idem ſemper videatur ſingulis, conſequenter plerumque de iisdem nihil decerni poſſet. Atque hinc patet, jus partis maioris in democratia in minorem manaſſe ex renunciatione ſingulorum. Neque hoc durum videri poteſt, quaſi conditio ſingulorum non eſſet eadem, quæ tamen eſſe debebat: quem enim quoad præſens negotium contingit eſſe in parte minori, is quoad aliud erit in majore.

§. 196.

De non renitendo parti majori.

Quoniam in democratia ſinguli renunciant libertati ſuæ

Digitized by Google

ſuæ circa ea, in quæ pars major conſentit (§. 195.), qui vero juri ſuo renunciat, ei, cui renunciat, ſe obligat, quod jure ſuo adverſus ipſum uti nolit (§. 104. *part. 3. Jur. nat.*). *in democratia pars minor contradicere nequit ei, quod per majora fuit concluſum, ſed ſe ſubmittere debet ſententiæ partis majoris.*

Hinc olim apud Romanos in Campo Martio, referente *Dionyſio Halicarnaſſenſi*, obſervatum, ut, cum pars major centuriarum, in quas populus erat diviſus, conſentiret, centuriæ reliquæ ne quidem rogarentur: etſi hoc minus naturale fuerit (§. 118. *part. 7. Jur. nat.*). Conferenda hic ſunt, quæ alibi [illegible] demonſtravimus (§. 114. *part. 7. Jur. nat.*).

§. 197.

De renitente parte minore.

Si pars minor renitatur ei, quod per majora fuit concluſum; parti majori injuriam facit eamque lædit. Etenim pars minor contradicere nequit ei, quod per majora fuit concluſum, ſed ſe ſubmittere debet ſententiæ partis majoris (§. 196.). Quoniam itaque jus, quod huic obligationi reſpondet, perfectum eſt (§. 908. *part. 1. Jur. nat.*); ſi pars minor renitatur ei, quod per majora fuit concluſum, id fit contra jus perfectum partis majoris. Quamobrem cum alteri injuriam faciat (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), eumque lædat, qui quid facit contra jus perfectum ipſius (§. 920. *part. 1. Jur. nat.*); pars major renitens ei, quod per majora fuit concluſum, parti majori injuriam facit, eamque lædit.

Pars minor excipere nequit, ſententiam ſuam eſſe meliorem: quando enim vota inter ſe contendunt, meliora concludere nequeunt (§. 76. *part. 7. Jur. nat.*). Neque etiam qui in parte minore eſt excipere poteſt, quod per vota partis majoris concluſum ſibi noxium fore: nemo enim civium bonum privatum promovere debet cum neglectu publici, vel in præjudicium publici (§. 25.). Quid vero publice expediat, de eo valet

valet judicium partis majoris, nisi statuendum sit de eo, ad quod vi pacti unanimia requiruntur (§. 157.), quo in casu voto unius irritum efficitur, quod ceteris omnibus placet.

§. 198.

In democratia votum decisivum conferri alicui potest, vel in perpetuum, vel in præsentibus comitiis. Etenim in societate conveniri potest, ut socius unus habeat votum decisivum, vel in perpetuum, vel ad certum tempus (§. 105. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem cum omnis civitas sit societas (§. 4.), & in democratia, in qua populus seipsum regit (§. 131.), consequenter per vota seu suffragia determinanda sunt ea, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt (§. 40. 60.); populus in democratia votum decisivum alicui conferre potest vel in perpetuum, vel in præsentibus comitiis.

De voto decisivo in comitiis.

Voto decisivo negotium ad exitum perducitur (§. 102. *part. 7 Jur. nat.*), quod ob votorum paritatem exitum habere non poterat (§. 81. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem ne nihil in comitiis agatur; in democratia voti decisivi maxima elucet utilitas. Quoniam vero a voluntate populi dependent omnia, quæ constituenda sunt, & in iis, quæ non uno modo fieri possunt, merum regnat populi arbitrium, cum se superiorem non habeat (§. 142.); ideo votum decisivuum vel uni, aut pluribus in perpetuum, vel saltem in præsentibus comitiis conferri potest, prouti nimirum populo placuerit, ut libertati suæ magis sit prospectum (§. 194.).

§. 199.

Cuinam votum decisivum compedere debeat.

Quoniam in democratia votum decisivum conferri alicui potest vel in perpetuum, vel in præsentibus comitiis (§. 198.), in comitiis autem jus proponendi, vota colligendi & numerandi atque per ea concludendi certæ cuidam per-

perſonæ a populo conferri debet, vel concluſo quodam generali, vel electione a præſentibus in comitiis facta quoad comitia præſentia (§. 187.); *conveniens* omnino *eſt, ut votum deciſivum conferatur ei, quibus jus vota colligendi, numerandi atque per ea concludendi competit, quamvis nil obſtet, quo minus etiam alii conferatur, ſi ita viſum fuerit populo*, conſequenter *votum deciſivum conferri poteſt ſenatui* (§. 191.), *vel ei, cui directio comitiorum committitur.*

Rationes, quæ in medium afferri poſſunt, ut votum deciſivum vel ſenatui, vel alii cuicunque committatur in comitiis, ſuadentes ſunt, conſequenter magis ad prudentiam civilem, ſeu Politicam ſpectant, quam ad Jus naturæ, præſertim in iſtiusmodi negotiis, in quibus jus externum tantummodo attenditur. Perfecta enim Resp. in qua omnia ordinantur juxta jus naturæ perfectivum, inter ea referenda, quæ optanda forent, non tamen in tanta hominum imperfectione ſperari poſſunt. Quamvis in democratia omnia ita ordinanda ſint, ne facile libertati populi officiatur, ac ideo, ſi qua non uno modo fieri poſſint, id eligendum, quod libertati populi conſervandæ magis conducit (§. 194.), ac in omni Rep. ſalus publica ſuprema lex eſſe debeat (§. 86.); vi tamen ipſius libertatis, qua populus fruitur in democratia (§. 146.), eidem permittendum eſt, ut de eo, quod libertati ſuæ tuendæ ac ſaluti publicæ promovendæ convenit, ſuo ſtet judicio (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi per imprudentiam, aut alia quavis culpa vel libertati ſuæ minus conſulat, vel ſaluti publicæ obicem ponat, ſibi imputet, quod non rectius de iis ſtatuerit, quæ ad exercitium imperii in ſtatu populari ſpectant. Omnia confundentur, ſi a jure externo, quod a voluntate populi ortum trahit, ad normam juris perfectivi ſingula reducere volueris. Valet etiam hic illud pervulgatum, in rebus humanis nil dari, quod omnimode perfectum ſit.

§. 200.

Digitized by Google

§. 200.

Magiſtratibus, qui leges fundamentales & libertatem populi cuſtodire debent, competit jus examinandi acta ſenatus & aliorum magiſtratuum, & ea deferendi ad populum, quæ correctione, vel animadverſione indigent. Etenim magiſtratus, qui leges fundamentales & libertatem populi cuſtodire debent, ſolli-cite præcavere debent, ne ſenatus, aut quis alius, cui pars quædam imperii exercenda commiſſa, ſummam poteſtatem, injuſſu populi uſurpet (§. 194.), conſequenter ne plus juris ſibi arroget, quam a populo ſibi fuit conceſſum, ne id aliter exerceat, quam ſecundum populi voluntatem. Quóniam igitur officio huic ſuo ſatisfacere nequeunt, niſi in acta ſenatus & magiſtratuum aliorum inquirant, eaque examinent; ipſis omnino competit jus acta ſenatus & aliorum magiſtratuum examinandi. *Quod erat unum.* *De jure magiſtratus, qui cuſtodes legum & libertatis populi ſunt, in acta ſenatorum & magiſtratuum ceterorum.*

Enimvero quoniam ſummitas imperii penes populum eſt in democratia (§. 131.), conſequenter ipſi competit jus in actus Senatus & magiſtratuum quorumcunque aliorum (§. 44.), hique rationem actuum ſuorum populo reddere tenentur & ab eo coërceri poſſunt (§. 162.), idemque valet de ſenatu, tanquam magiſtratu ſuperiore (§. 188.); magiſtratus legum fundamentalium & libertatis cuſtodes, ea ad populum deferre tenentur, quæ correctione, vel animadverſione indigent. Ipſis itaque competit jus ea ad populum deferendi, quæ a Senatoribus atque aliis magiſtratibus acta ſunt & correctione, vel animadverſione indigent. *Quod erat alterum.*

Non eſt quod exiſtimes, magiſtratibus legum ac libertatis cuſtodibus conferendum eſſe jus infirmandi acta ſenatus & magiſtratuum ceterorum, eosque coërcendi. Tanta enim auctoritas

Digitized by Google

ritas repugnaret principio generali de omnibus in democratia ita ordinandis, ne facile libertati populi offici possit (§. 194.). Immo repugnat statui populari, ut præter ullam necessitatem summitatis imperii participes fiant alii, quæ, quantum fieri potest, tota penes populum manere debet in democratia. Et revera qui libertatis custodes esse debebant, eidem adversari poterant, si tanta auctoritate instruerentur. Sufficit itaque esse monitores in iis, quæ senatus atque magistratus per se emendare potest, ne malum longius serpat, antequam in comitiis populus de iisdem statuere possit. Quæ populus per se agere potest in comitiis, ea aliis committere non debet, cum in democratia seipsum regere velit (§. 131.).

§. 201.

De pluralitate votorum cum nonnullorum injuria conjuncta.

In democratia standum est sententia partis majoris, etiamsi in hac malitia adversus aliquos appareat. Ponamus enim non standum esse sententia partis majoris, si in ea malitia quædam adversus aliquos appareat. Necesse igitur erit, ut vota non numerentur, sed ponderentur (§. 71. 72. *part.* 7. *Jur. nat.*). Sed quando concludendum, vota ponderari nequeunt (§. 77. *part.* 7. *Jur. nat.*), consequenter qui consensit, ut majora concludant, is tacite quoque consentit, standum esse sententia partis majoris, etiamsi in parte majore malitia adversus aliquos appareat. In democratia igitur, ubi per pluralitatem votorum concludendum (§. 157.), standum erit sententia partis majoris, etiamsi in hac malitia adversus aliquos appareat.

Dudum observatum est, sine magnis injuriarum exemplis Remp. non posse haberi. Ferendæ autem eædem sunt, quod utilitate publica rependantur. Quodsi enim eædem ferri minime deberent, cum pars major recedere nollet a sententia sua obtentu juris sibi competentis, quod violari nefas sit (§. 197.), atque

atque malitia non sit aptus modus ad distinguendum partes inter se dissidentes, quæ superiorem non agnoscunt; sententiæ majoris partis nec in hoc casu reniti posset sine turbatione quietis publicæ. Quamobrem cum nemo civium bonum privatum promovere debeat in præjudicium publici (§. 25.), ad quod etiam spectat tranquillitas Reip. ac quies publica; injuriæ istiusmodi singulorum quorundam ferendæ sunt, ne Resp. in discrimen adducatur. Quomodo vero eædem rependantur publica utilitate contra singulos; alibi distinctius explicabitur. Non est quod excipias, non competere parti majori jus faciendi injurias iis, qui in parte minore sunt. Ultro enim hoc conceditur, non tamen inde recte infertur, propter injurias privatas vi agendum esse adversus partem majorem, cum in contrarium tacite consenserint, qui in civitatem coivere, prouti ex modo dictis intelligitur. Istiusmodi injuriæ referendæ sunt inter ea, quæ fortunæ adversæ tribuenda, ac ideo ferenda, quia mutari non possunt, & quæ multo frequentiores forent eædemque graviores, siquidem in statu naturali viveremus. Quicquid agas, nunquam id obtinebis, ut omnes injurias e Rep. elimines. Abunde itaque sufficit, si his non obstantibus status civilis adhuc præferendus sit naturali.

§. 202.

Si pars major in id conspiret, ut vel omnes qui in parte minore sunt, vel magnam eorum partem pro lubitu vita & bonis exuat; id parti minori ferendum non est. Etenim quando in civitatem coitur, singuli se obligant universis, quod commune bonum promovere velint, & universi sese obligant singulis, quod sufficientiæ vitæ ipsorum, tranquillitati & securitati prospicere velint (§. 28.). Quodsi ergo pars major in id conspiret, ut vel omnes, qui in parte minore sunt, vel magnam eorum partem pro lubitu vita & bonis exuat; pars major non satisfacit obligationi suæ. Quamobrem cum pars altera paciscentium ad id præstandum non teneatur,

Casus excipiis, quo sententia partis majoris non standum minori.

quod,

quod debet, si altera præstare nolit, quod debet (§. 827. *part. 3. Jur. nat.*); si pars major in id conspiret, ut vel omnes, qui in parte minore sunt, vel magnam eorum partem pro lubitu vita & bonis exuat, nec pars minor amplius stare tenetur sententia partis majoris, quemadmodum vi pacti, quo civitas constituta, obligabatur (§. 196.), consequenter id parti minori ferendum non est.

Casus propositionis præsentis vix dabilis: quod tamen tacite fit exceptus, quando in jus partis majoris consentitur, nulla dubitandi ratio est. Quodsi enim ponamus, quando in civitatem coire volebant homines, singulos fuisse interrogatos, num etiam sententiæ partis majoris sese submittere velint, si ea id studio agat, ut vel omnes, qui in parte minore sunt, vel magnam eorundem partem vita & bonis exuat; nemo profecto in hoc consensurus fuisset, cum id e diametro repugnet fini, cujus causa in societatem coitur (§. 4.). Qui alteri se subjicit, libertati naturali renunciat quoad eas actiones, in quas imperanti jus concedit (§. 211. *part. 7. Jur. nat.*). Jus itaque partis majoris, quod idem est cum jure rectoris civitatis in democratia (§. 131. 157.), metiendum est ex pacto originario, quo parti majori jus quoddam in minorem concessum: quale autem sit hoc jus ex fine societatis æstimandum, cujus quippe consequendi causa parti majori in minorem jus aliquod concessum.

§. 203.

De jure partis majoris in minorem in executione conclusi.

Parti majori in democratia competit jus cogendi eos, qui in parte minori sunt, ut se submittant sententiæ suæ, & refractarios puniendi. Etenim pars minor obligatur se submittere sententiæ partis majoris, in iis scilicet, ad quæ non unanimia requiruntur (§. 196. 157.). Quamobrem cum hæc obligatio foret nulla, nisi eidem in parte majore responderet

Digitized by Google

ret jus cogendi eos, qui in parte minori sunt, ut se submittant sententiæ suæ, quod per se patet; parti majori in democratia utique competit jus cogendi eos, qui in parte minore sunt, ut se sententiæ suæ submittant. *Quod erat unum.*

Enimvero si pars minor renitatur ei, quod per majora fuit conclusum, partem majorem lædit (§. 197.). Quamobrem cum cuilibet natura competat jus puniendi eum, qui ipsum læsit (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*); parti quoque majori competit jus puniendi refractarios, qui in parte minore sunt, propterea quod concluso partis majoris renituntur. *Quod erat alterum.*

Rationes quæ de jure puniendi in genere adduximus (*§. 1057. & seqq. part. 1. Jur. nat.*), locum quoque habent in jure puniendi refractarios, qui in parte minore sunt, parti majori in democratia competente. Et operæ pretium est, ut illas in hoc casu particulari expendas, ne durum videatur, quod tale non est. Sine jure cogendi eos, qui in parte minori sunt, ut concluso partis majoris sese submittant, & jure puniendi eos, qui refractarios sese præbent, democratia subsistere nequit. Per se autem patet, hoc jus extendendum non esse ad casum exceptum, de quo modo diximus (§. 202.), sed vix dabilem.

§. 204.

Si ex conventione populi ad concludendum requirantur vota unanimia & pars major per pluralitatem votorum concluſum faciat; partem minorem ladit & huic competit jus executioni concluſi renitendi. Etenim si ex conventione populi ad concludendum requirantur unanimia; nihil concludi potest, quamdiu unanimia non adsunt (§. 107. *part. 7. Jur. nat.*). Quodsi ergo pars major per pluralitatem votorum conclu-

De jure partis minoris contra majorem in casu deficientis unanimis consensus.

Digitized by Google

dat; perinde est ac si votis reliquorum nullum tribuat valorem, consequenter cum ea ejusdem sint valoris cum votis illorum, qui in parte majore sunt (§. 78. *part.* 7. *Jur. nat.*), contra jus partis minoris perfectum, quod scilicet ex pacto acquisivit, concluſum fit (§. 908. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum alterum lædat, qui quid facit quod est contra jus ipsius (§. 920. *part. 1. Jur. nat.*); si ex conventione populi ad concludendum requirantur vota unanimia & pars major per majora concludat, partem minorem lædit. *Quod erat unum.*

Enimvero unicuilibet competit jus perfectum non patiendi, ut alius ipsum lædat (§. 913. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum pars major lædat minorem, si per majora concludat, quando ad concludendum unanimia requiruntur, per *demonstrata;* parti minori competit jus perfectum non patiendi, ut concluſum executioni mandetur, consequenter jus executioni renitendi.

Parti minori non minus competit jus jus ſuum tuendi, quam parti majori. Prudentiæ vero est, num & quomodo jus ſuum illa tueri debeat ac velit (§. 257. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum ad prudenter agendum naturaliter obligemur (§. 258. *part. 1. Jur. nat.*); haud raro præstat de jure ſuo cedere idemque proteſtando conſervare, quam parti majori se opponendo majori periculo se exponere & aleam sequi.

§. 205.

Dignitas civilis quid sit.

Dignitas civilis est præcellentia cujusdam supra alios in Republica. Quoniam personæ omnes, quatenus sunt membra Reip. personæ morales sunt, quod per se patet, consequenter a se invicem differre nequeunt, nisi per certa jura ipsis competentia (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter

Digitized by Google

ter in Rep. nemo præcellere poteſt, niſi juribus, quibus promiſcue omnes non utuntur; *dignitas civilis naſcitur ex certis juribus, quæ uni præ aliis concedantur.*

De dignitatibus civilibus agemus ſuo loco, quando ſcilicet de Rep. conſtituenda agetur.

§. 206.

Dignitas ejus, penes quem ſummum iperium eſt indiviſum, *Majeſtas* vocatur. *Majeſtas quid ſit.*

In hoc ſignificatu ſumitur vocabulum majeſtatis apud veteres, quamvis ſubinde ſignificatu vago translatum fuerit etiam ad alios, qui partem imperii civilis exercebant participes quodammodo ſummitatis ejus. Ita *Livius* lib. 22. c. 3. majeſtatem Senatus, *Paulus* l. 9. ff. de Jurisd. majeſtatem prætoris dicit. Malumus vero ſignificatum retinere ſtrictiorem, qui apud *Ciceronem* occurrit populo majeſtatem, ſenatui auctoritatem tribuentem, ne a ſignificatu recentiori, quo hodie utuntur Theologi, Jcti & Polici, nimium recedat: iſtis enim majeſtas ſynonymon eſt imperii ſummi, ſeu ſummæ poteſtatis Reip. Patebit autem in ſequentibus, ex definitione majeſtatis, quam hic damus, melius omnia demonſtrari poſſe, quam ſi pro ſummo imperio accipiatur, ac per conſequens pro jure, non vero pro dignitate, quæ a jure dependet. Accedit, quod noſtris quoque moribus majeſtas titulus honoris ſit, quo utique dignitas ejus ſignificatur, cui is tribuitur.

§. 207.

Jura majeſtatica appellantur jura, quæ ad ſummum imperium pertinent, ejusque exercitium. *Jura majeſtatica quænam ſint.*

Quænam illa ſint, rectius patebit, ubi de Rep. conſtituenda & gubernanda egerimus. Quamobrem & nunc miſſam facimus diviſionem jurium majeſtaticorum in majora & minora.

Digitized by Google

Facile autem patet jura majestatica inde appellari, quod conveniant ei, qui majestate in Rep. effulget.

§. 208.

Cujusnam sit majestas in democratia.

In democratia majestas populi qua talis est. Etenim in democratia imperium summum indivisum penes populum est, quatenus populus est, hoc est, populus universus personam quandam moralem repræsentat, in qua tanquam in uno subjecto summum imperium indivisum residet (§. 131. *h.* & §. 70. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum majestas sit dignitas, quæ ob summum imperium, quod indivisum possidetur, habenti competit (§. 206.); majestas in democratia populi qua talis est.

Probe considerandus est modus, quo summum imperium inest populo, ut pateat, quo respectu eidem competat majestas, seu ea dignitas, qua effulget, propterea quod summitatem imperii prorsus indivisam habet. Singuli, qui consociatione efficiuntur populus (§. 5.), non habent imperium summum indivisum pro parte commune, sed omnes simul sumti idem possident atque exercent instar unius personæ. Quamobrem nec singuli eam dignitatem, quæ majestatis nomine venit, inter se communicant, ita ut singuli ejus aliquid participent. Quin potius sicuti universus populus superior est, singuli autem subditi sunt (§. 142.); ita quoque populus nonnisi universus majestatem habet, singuli autem nihil majestatis habent. Quemadmodum nimirum repugnat habere imperium summum & esse subjectum habenti; ita quoque repugnat habere majestatem & esse subditum. Atque ideo in democratia nemo est, cui majestatis aliquid in singulari tribui possit.

§. 209.

De numero optimatum

Numerus optimatum in aristocratia a voluntate populi dependet.

Digitized by Google

pendet. Etenim aristocratia constituitur, si populus imperium, quod sibi retinere poterat, in plures transfert, quale originarie in ipso est (§. 135. 37.). Quamobrem cum de eodem tanquam re sibi propria (§. 34.), prouti sibi commodum & saluti publicæ convenire videtur (§. 86.), pro arbitrio suo disponere possit; a voluntate quoque ipsius dependet, in quot imperium, quale in se est, transferre velit, consequenter numerus optimatum in aristocratia a voluntate populi dependet. *in aristocratia.*

Quando in civitatem coitur, populi est eligere eam, quam vult, Reip. formam & in ea pro lubitu definire, quæ certo quodam modo determinanda sunt. Quicquid adeo populo placuerit, id juris erit.

§. 210.

A voluntate populi unice dependet, num in introducenda aristocratia ex omnibus populi ordinibus, etiam ex infimæ plebe, tur diversa an saltem ex eminentiore ejus parte optimates constituere; num species aricorum regimen annuum, vel temporarium, an perpetuum esse; stocratia. ium successuros eligere, an certam successionis legem statuere; num jus optimatum ad certas familias, num ad possessionem prædiorum, vel aliam personarum conditionem restringere velit. Ostenditur eodem prorsus modo, quo propositionem præcedentem demonstravimus. Unde orian-

Non uno modo imperium summum a populo in plures transferri potest. Quamobrem cum in iis, quæ non uno modo fieri possunt, voluntas populi faciat jus (*not.* §. 191.); id valebit, quod populo circa translationem imperii in plures visum fuerit. Cum plures aristocratiæ species sint possibiles, ex iis populus pro lubitu eam eligere potest, in qua salutem suam minus periclitari existimaverit.

Digitized by Google

§. 211.

Quid ſit ariſtocratia annua & temporaria & num poſſibilis.

Ariſtocratia annua, vel temporaria dicitur, quando regimen optimatum annuum eſt, vel ad certum quodcunque tempus reſtrictum. Quoniam imperium temporarium, quod ad certum tempus alicui confertur (§. 69.), abſolutum & ſummum eſſe poteſt (§. 70.), in ariſtocratia autem imperium ſummum & abſolutum eſt penes optimates (§. 136.); *ariſtocratia temporaria*, & per conſequens *annua poſſibilis eſt.*

In Jure naturæ ſpecies ariſtocratiæ determinandæ ſunt ex diverſitate modi, quo imperium ſummum penes plures eſſe poteſt (§. 135. *b.* & §. 712. *Log.*). Tot igitur ſunt ſpecies ariſtocratiæ, quot modis imperium ſummum penes plures eſſe poteſt. Parum vero refert, utrum proſtent ſpeciei alicujus exempla, nec ne.

§. 212.

An ariſtocratia precaria ſit poſſibilis.

Ariſtocratia precaria eſſe nequit. Quodſi enim ariſtocratia precaria eſſe deberet, cum in illa imperium ſit penes plures (§. 135.), in plures conferendum eſſet imperium a populo ſub hac clauſula, quamdiu voluerimus (§. 1125. *part. 5. Jur. nat.*), conſequenter precarium (§. 69.). Enimvero imperium precarium abſolutum quidem eſſe poteſt, aſt ſummum eſſe nequit (§. 72.). Quamobrem cum optimates in Ariſtocratia imperium non modo abſolutum, verum etiam ſummum habeant (§. 136.) conſequenter forma Reip. ariſtocratia non eſt, ubi ſummitas imperii remanet apud populum; ariſtocratia precaria eſſe nequit.

Forma Reip. quæ ſpeciem ariſtocratiæ precariæ mentiri poterat, nonniſi ſpecies quædam democratiæ eſt, & qui optimates videntur, nonniſi ſenatus ſunt a populo precario conſtitutus (§. 188.). Quamdiu nimirum populo competit jus Rectoris civitatis acta infir-

Digitized by Google

infirmandi, quale omnino in quævis acta competit, si imperium precarium fuerit translatum (§. 69.), democratia minime mutatur (§. 131.).

§. 213.

Aristocratia perpetua est, si optimatibus competit imperium summum ad dies vitæ singulorum, aliis in locum decedentium quacunque lege succedentium. *Quid sit aristocratia perpetua.*

Coetus nimirum optimatum semper subsistit, si in locum decedentium certa quadam lege continuo succedant alii. Cumque coetus iste persona moralis sit, quæ per imperium absolutum ac summum determinatur (§. 70. *part. 1. Jur. nat. & §.* 136. *b.*); nunquam interit, sed civitas semper regitur ab optimatibus.

§. 214.

Aristocratia electiva est, quando populus eligit in locum decedentium successuros, vel jus eligendi in alios transtulit, veluti in ipsos optimates, aut, si mavis, quando quis jus optimatis consequitur electione. *Quando* itaque *populus eligit optimates, loca deficientia suppleturos, comitia celebranda sunt* (§. 174.); *his vero opus non est, si ipsi optimates habeant jus loca deficientia supplendi, vel hoc jus aliis quibusdam a populo fuerit concessum.* *Quid sit aristocratia electiva.*

Hinc facile patet ratio, cur jus eligendi optimates vel ipsis optimatibus, vel aliis quibusdam committatur.

§. 215.

Electio optimatum vel arbitrio optimatum relicta esse potest, vel certa lege fundamentali restringi, prouti visum fuerit populo statum aristocraticum eligenti. Ostenditur eodem modo, quo *De modo eligendi optimates.*

Digitized by Google

quo ſupra oſtendimus, a voluntate populi dependere determinationem numeri optimatum (§. 209.).

Modus electionis pertinet ad translationem imperii, quæ a populi voluntate unice dependet & de qua pro lubitu ideo disponere poteſt (§. 36.). Cumque univerſus populus ſit ſuperior, ſinguli vero ſint ſubditi (§. 142.); nec abſurdum eſt, ut populus ſibimet ipſi certam legem præſcribat, quam in eligendis optimatibus ſequatur.

§. 216.

De electione juxta legem fundamentalem a populo facta.

Si electio optimatum ad certam legem fundamentalem fuerit reſtricta, jus vero eligendi fuerit apud populum; unanimi populi conſenſu lex iſta tolli, vel etiam in caſu præſenti ſuſpendi poteſt, niſi fiat contra jus ex lege iſta quibusdam quæſito. Etenim cum populus univerſus non habeat ſe ſuperiorem (§. 142.); leges, quas conſtituit, pro lubitu etiam tollere poteſt, conſequenter multo magis eandem tollere poteſt in caſu præſenti, ſeu ſuſpendere. Quoniam tamen nemini jus ſuum quæſitum auferri poteſt (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); nec populus jus quæſitum ex lege fundamentali electionis alicui auferre poteſt, conſequenter lex iſta tolli, aut ſuſpendi nequit, niſi quando id non fit contra jus ex lege iſta quibusdam quæſito.

Non eſt, quod excipias, ſi adſit populi unanimis conſenſus, conſentire etiam eos, qui juxta legem fundamentalem erant eligibiles, ſublata autem lege prætereuntur. Horum enim conſenſus non ſupponitur, quando contra jus ipſis ex lege fundamentali quæſitum ea tolli, vel ſuſpendi debet. Neceſſe enim eſt, ut de jure ſuo cedant, vel ei in gratiam eligendi renuncient, antequam ceterorum conſenſu unanimi lex tolli, vel ſuſpendi poſſit. Vix autem eſt, ut in ſublationem, vel ſuſpenſionem legis conſentiant, qui jus ex ea quæſitum habent. Neque etiam hic valet jus majoris partis, etiamſi

alias

Digitized by Google

alias ſtabilitum, quia hoc conjunctum eſſe nequit cum injuria alterius.

§. 217.

Si optimatum jus ſupplendi loca deficientia ſubeſt legi fundamentali; electio contra eam facta nulla eſt. Etenim optimates jus eligendi a populo habent (§. 215.), conſequenter non plus juris ſibi arrogare poſſunt, quam a populo ipſis conceſſum. Quodſi ergo jus ſupplendi loca deficientia optimatibus competens certa lege fundamentali reſtrictum, electio contra eam facta nullo jure facta eſt, conſequenter nulla eſt. *Quando electio ab optimatibus facta nulla ſit.*

Non eſt, quod exiſtimes, hoc obſtare, quo minus imperium abſolutum atque ſummum ſit penes optimates, quemadmodum in ariſtocratia requiritur (§. 136.). Electio enim optimatum pertinet ad modum acquirendi jus exercendi imperium, aut, ſi mavis, ad translationem imperii, quæ reſtringi poteſt, etiamſi acta optimatum ad exercitium imperii, ſeu regimen ſpectantia a populo infirmari nequeant, conſequenter imperii ſummitas ſit penes optimates (§. 44.).

§. 218.

Ariſtocratia ſucceſſoria eſt, quando in loca deficientium ſuccedunt certa lege alii, veluti ſi nulli quam e certis familiis nato concilia optimatum ingredi licet ſuo ordine, vel etiam promiſcue quidam recipi debent juxta certam legem, numero optimatum non definito, veluti ſi omnes ex certis familiis nati admittantur, quamprimum majorennes facti. Patet autem, ut ſupra (§. 209.), *legem fundamentalem, quæ modum ſucceſſionis præſcribit, pendere a voluntate populi.* *Quid ſit ariſtocratia ſucceſſoria.*

Legem ſucceſſionis non repugnare ariſtocratiæ patet per ea, quæ modo annotavimus (*not.* §. 217.). In translatione

Digitized by Google

imperii populi regnat arbitrium (*not.* §. 191.), & quomodocunque imperium transferre voluerit, hoc nihil facit ad qualitatem imperii. Modus habendi imperium semper distinguendus est ab ipso imperio.

§. 219.

Quot modis succedi possit; si numerus optimatum constans Quoniam lex fundamentalis, quæ modum successionis in aristocratia successoria præscribit, a voluntate populi dependet (§. 218.); *si numerus optimatum constans esse debet, in locum decedentis tot modis succedi potest, quot succeditur in regnis successoriis.*

Cum de successione in regnis successoriis deinceps ex instituto acturi simus; quæ hic dici poterant, ex infra dicendis petenda sunt. Optimatum coetus perinde Rector civitatis est, quam Rex, & unam repræsentat personam. Quamobrem si populo placuerit successio, de eadem eodem modo statuere potest in aristocratia, quo eandem definit in regno.

§. 220.

Quinam in aristocratia successoria & elective electiva sint juris optimatum capaces. *In numerum optimatum ex omnibus populi ordinibus adsciscí possunt aliqui, sive aristocratia successoria fuerit, sive elective.* Etenim tam electio (§. 215.), quam successio ad certam legem fundamentalem restringi potest (§. 218.). Quamobrem cum ea etiam determinari possit, quænam personæ successionis & electionis debeant esse capaces, quod per se patet; in numerum optimatum ex omnibus populi ordinibus adsciscí possunt aliqui, sive aristocratia successoria fuerit, sive electiva.

Cum in administrando imperio occurrant, quæ ad omnes populi ordines spectant, & qui ex aliquo sunt ordine rectius intelligant ceteris, quæ ejusdem sunt ordinis, ac præterea quoque interest ordinis cujuslibet, ne ab aliis supprimatur, vel in detri-

Digitized by Google

detrimentum ejus quædam decernantur; ideo abſurdum non eſt, ſi ex omnibus populi ordinibus quidam in numerum optimatum recipiantur, neque id ullo modo derogat dignitati ordinum ſuperiorum. Quodſi ergo ariſtocratia fuerit ſucceſſoria, lege quoque definiri poteſt ſucceſſio ex ſingulis populi ordinibus: ſi vero fuerit electiva, idem quoque de electione intelligitur.

§. 221.

Ariſtocratia ſucceſſoria patrimonialis eſſe nequit, ſed uſufructuaria eſt. Etenim ſi ariſtocratia fuerit ſucceſſoria, ex lege fundamentali jus quoddam ſuccedendi certis quibusdam perſonis quæſitum (§. 218.), conſequenter optimates nec univerſi, nec ſinguli jus ſuum pro lubitu transferre poſſunt in alium (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), neque ideo de ipſa ſubſtantia imperii disponere (§. 662. 663. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque in optimates imperium translatum non eſt quoad ſubſtantiam, ſed ſaltem quoad exercitium, imperium vero in patrimonio non habet, ſed ſaltem in uſufructu, in quem non quoad ſubſtantiam, ſed ſaltem quoad exercitium translatum (§. 40.); ſi ariſtocratia fuerit ſucceſſoria, tam optimates univerſi, quam ſinguli jus ariſtocraticum non in patrimonio, ſed in uſufructu habent. Enimvero ariſtocratia uſufructuaria eſt, non patrimonialis, ſi imperium fuerit in uſufructu, minime autem in patrimonio optimatum (§. 156.). Quamobrem ariſtocratia ſucceſſoria patrimonialis eſſe nequit, ſed uſufructuaria eſt. *Qualis ſit ariſtocratia ſucceſſoria.*

Definitiones ariſtocratiæ patrimonialis & uſufructuariæ jam ſupra dedimus (§. 156.). Quamobrem has ſpecies hic definire non denuo licuit, ubi ceteræ ſpecies definiuntur.

Digitized by Google

§. 222.

Quando aristocratia electiva non sit patrimonialis, sed usufructuaria.

Si in aristocratia electiva jus eligendi fuerit penes populum, vel penes optimates quidem, vel personas alias, certa tamen legi fundamentali adstrictum; aristocratia electiva non patrimonialis, sed usufructuaria est. Etenim si jus eligendi optimates fuerit penes populum, optimates imperium pro lubitu transferre nequeunt in alium, consequenter de ipsa imperii substantia disponere nequeunt (§. 662. 663. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum in optimates imperium non translatum sit quoad substantiam, sed saltem quoad exercitium, consequenter idem ipsi in usufructu habeant, non in patrimonio (§. 40.); si in aristocratia electiva jus eligendi fuerit penes populum, ea patrimonialis non est, sed usufructuaria (§. 156.). *Quod erat primum.*

Quodsi jus eligendi fuerit penes optimates, sed certæ cuidam legi fundamentali adstrictum, cum lex fundamentalis pendeat a voluntate populi, quod per se patet; optimates jus eligendi exercent juxta populi voluntatem, consequenter pro lubitu de ipsa substantia imperii disponere nequeunt (§. 662. 663. *part. 2. Jur. nat.*). Patet igitur porro, ut ante, aristocratiam electivam non esse in hoc casu patrimonialem, sed usufructuariam. *Quod erat secundum.*

Denique si jus eligendi optimates fuerit penes alios, quam optimates; populus de substantia imperii per eos disponit, non vero illi de eadem disponere possunt (§. 662. 663. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem denuo patet, ut ante, aristocratiam non esse patrimonialem, sed usufructuariam. *Quod erat tertium.*

§. 223.

Digitized by Google

§. 223.

Aristocratia perfecte patrimonialis est, si omnis proprietas imperii fuerit penes optimates: *imperfecte patrimonialis* est, si saltem jus exercendi imperium in alium pro lubitu transferre possunt optimates sive universi simul, sive singuli. *Quid sit aristocratia patrimonialis perfecte & imperfecte talis.*

Differentia hæc probe notanda est, cum plus juris insit aristocratiæ patrimoniali perfecte, quam imperfecte tali. Aliud nimirum est rem pleno jure habere in patrimonio, aliud vero minus pleno, ita ut quædam jura ad exercitium dominii, in quo etiam res incorporales sunt, quale est imperium (§. 498. *part. 1. Jur. nat.*), pertinentia sint excepta,

§. 224.

Si aristocratia fuerit perfecte patrimonialis, optimates etiam in extraneum jus optimatum transferre, de translatione hujus juris leges condere, formam Reip. immutare & in partes imperium dividere possunt. Etenim si aristocratia fuerit perfecte patrimonialis, omnis proprietas imperii penes optimates est (§. 223.), consequenter de omnibus iis, quæ afficiunt ipsam imperii substantiam, pro lubitu disponere possunt optimates (§. 131. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum translatio imperii in alios sit alienatio (§. 662. *part. 2 Jur. nat.*), & mutatio formæ Reip. respondeat mutationi fundi (§. 657. *part. 2. Jur. nat.*), qui vero rem alienat (§. 663. *part. 2. Jur. nat.*), aut fundum mutat, de ipsa substantia rei disponat (§. 658. *part. 2. Jur. nat.*), & idem faciat, qui rem, quam in dominio habet, in partes dividit, ac de iis pro lubitu disponit, quod per se patet; si aristocratia fuerit perfecte patrimonialis, optimates etiam in extraneum jus optimatum transferre, de translatione juris, quod habent, leges condere, *De jure in aristocratia patrimoniali perfecte tali.*

Digitized by Google

formam Reip. immutare & imperium, prouti viſum fuerit, in partes dividere poſſunt.

Etſi ariſtocratia perfecte patrimonialis in ſe non ſit impoſſibilis; merito tamen dubitatur, an ejus ullum extet exemplum, cum vix credibile ſit, tantam poteſtatem in optimates conferre voluiſſe populum. An véro ſubinde aliquid hujus juris uſurpaverint optimates, de eo diſpiciant alii: facta enim non ſunt hujus fori. Abſit vero ut exiſtimes, quæ hic demonſtrantur, nulli uſui eſſe. Plurimum enim refert, diverſitatem formarum Rerump. intimius perſpicere, ut de jure populi & imperantium accurate judicare poſſis.

§. 225.

De jure in ariſtocratia patrimoniali imperfecte tali.

Si ariſtocratia fuerit patrimonialis imperfecte talis, de translatione imperii leges condere poſſunt optimates, quas inter ſe obſervent; ſed formam Reip. immutare nequeunt, neque imperium pro lubitu in partes dividere. Etenim ſi ariſtocratia fuerit patrimonialis imperfecte talis, optimatibus competit jus imperium pro lubitu in alium transferendi, ſive univerſi hoc faciant, ſive ſinguli ſaltem jus ſuum transferant (§. 223.). Quamobrem cum ab ipſorum voluntate dependeat, in quem & qua lege idem in eundem transferre velint; leges quoque de translatione imperii, quas inter ſe obſervent, condere poſſunt. *Quod erat unum.*

Quoniam vero præter hoc jus, alienandi ſcilicet jus ſuum, nullum aliud competit optimatibus (§. 223.); ideo quoque nec formam Reip. immutare, neque pro lubitu imperium in partes dividere poſſunt. *Quod erat alterum.*

Dubium videri poterat, annon jus dividendi imperium in partes potentiales pro lubitu optimatibus competat in ariſtocratia patrimoniali imperfecte tali. Quoniam enim imperium, quod

Digitized by Google

quod habent, integrum seu plenum in alios pro lubitu transferre possunt (§. 223.), videntur etiam ejus partem transferre posse pro lubitu in alios, consequenter imperium in partes potentiales dividere. Atat minime valet hæc consequentia. Etenim in aristocratia optimatibus singulis non competit jus nisi conjunctim cum aliis exercendi imperium. Quoniam itaque nemo in alterum transferre potest jus, nisi quod habet; singuli, consequenter etiam omnes conjunctim non transferre possunt nisi jus a pluribus conjunctim imperium exercendi. Universis ideo non competit nisi imperium, quod in se indivisum manere debet, ac per consequens neque ab universis imperium pro lubitu in partes potentiales dividi potest. Similiter cum mutata Reip. forma optimates non amplius conjunctim, sicuti ante, imperium administrent, ipsis autem jus aliud non competat nisi imperium conjunctim administrandi; mutatio formæ Reip. ab ipsis fieret nullo jure, consequenter ipso jure nulla foret. Quodsi ergo jus optimatibus competens penitus inspicias, circa propositionem præsentem nihil difficultatis remanet.

§. 226.

Si jus optimatum inhæret prædiis, aristocratia patrimonialis imperfecte talis est. Dominus enim prædium suum pro lubitu alienare potest (§. 665. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quodsi ergo jus optimatis prædio inhæret, idem una cum ipso alienatur. Quamobrem cum de substantia rei disponat, qui rem alienat (§. 663. *part.* 2. *Jur. nat.*), jus aristocraticum, hoc est jus imperium conjunctim cum aliis exercendi, in possessores prædiorum collatum est quoad substantiam, consequenter prædiorum possessores jus imperium conjunctim cum aliis exercendi, ac ideo coetus optimatum imperium in patrimonio habet (§. 40.). Aristocratia igitur patrimonialis est (§. 156.). *Quod erat unum.* *Qualis sit aristocratia, quodsi jus optimatum prædiis inhæret.*

Enim-

Digitized by Google

Enimvero quoniam præter jus alienandi, quippe quod ideo optimatibus competit, quia prædiis, quæ possident, inhæret *per hypothesin*, aliud jus disponendi de ipsa substantia imperii minime competit, aristocratiâ autem imperfecte patrimonialis est, si saltem jus exercendi imperium in alium pro lubitu ab optimatibus transferri, consequenter alienari potest (§. 662. *part. 2. Jur. nat.*); si jus optimatum prædiis inhæret, aristocratia patrimonialis imperfecte talis est. *Quod erat alterum.*

Quoniam vix allegari potest exemplum aristocratiæ patrimonialis aliud, quam ubi jus optimatum prædiis inhæret, hæc autem aristocratiæ patrimonialis species imperfecte talis est; ideo contigit, ut aristocratia patrimonialis ab usufructuaria minime distincta fuerit. Accedit, quod totus coetus optimatum jus suum non simul alienare soleat, sed id successive fiat a singulis, & plerumque id jure hæreditario acquiratur, ut aristocratia successoria videatur. Enimvero non absurdum esse, ut in patrimonio esse dicatur, quod non plene in eodem habemus; abunde testantur alia jura, quæ non omnem proprietatem continent, prouti vidimus, cum de feudis aliisque juribus agnatis ageremus. Unde etiam liquet, aristocratiam non definere esse patrimonialem, etsi jus alienandi prædia, quibus jus optimatum inhæret, certis legibus sit adstricta, ut alienatio non prorsus pendeat a voluntate alienantis, veluti si prohibitum sit, ne istiusmodi prædium veniat ad extraneum. Id enim civile est, & a lege positiva venit, quam vel populus tulit aristocratiam introducendo, vel optimates ipsi condiderunt (§. 225.).

§. 227.

De inseparabilitate juris optimatis

Si jus optimatis prædio inhæret; ab eodem separari & seorsim alienari nequit: usus tamen hujus juris ad certum tempus, vel quamdiu vivit prædii dominus alteri concedi potest. Etenim si

Digitized by Google

ſi jus optimatis prædio inhæret, id dominus prædii non ſimpliciter, ſed mediante prædio habet, ita ut nonniſi per prædium in perſonam derivari poſſit, & ut ita cohæreat prædio, a voluntate populi venit (§. 210.), conſequenter nullo modo a voluntate domini prædii dependet. Quamobrem nec dominus prædii id pro lubitu ſeparare & ſeorſim in alium transferre, conſequenter alienare (§. 662. *part. 2. Jur. nat.*), ſeu ex adverſo prædium ſine jure iſto alienare & jus iſtud ſibi retinere poteſt. *Quod erat unum.* *prædio inhærentis.*

Enimvero quoniam unicuique liberum eſt jus ſuum exercere vel per ſe, vel per alium, niſi alterum expreſſe fuerit prohibitum, quod hic minime ſupponitur; uſum hujus juris, quamdiu vivit, adeoque etiam ad certum tempus, dum vivit, alii concedere poteſt prædii dominus. *Quod erat alterum.*

Quando populus jus optimatis in prædia confert, ut per ea in dominos derivetur; revera nonniſi exercitium juris hujus dominis competit, ita ut jus iſtud ſit in fructu prædium poſſidentis, ejus vero proprietas prædio inhæreat. Perinde igitur eſt ac ſi prædium inſtar domini concederet, aut concedere deberet, domino ſeu poſſeſſori prædii uſumfructum rei ſuæ. Quemadmodum itaque uſufructuarius de ipſa ſubſtantia rei diſponere nequit, nec proprietas eidem competit (§. 1421. *part. 5. Jur. nat.*); ita quoque dominus prædii de ipſa ſubſtantia juris optimatis pro lubitu disponere nequit, nec proprietatem hujus juris ſibi arrogare poteſt. Similiter quemadmodum uſufructuarius uſumfructum, quem in re habet, alteri locare vel gratis concedere poteſt, quamdiu habet, & ad tempus quodcunque, quo habet (§. 1457. *part. 5. Jur. nat.*); ita quoque dominus prædii jus optimatis eidem cohærens, quamdiu exercitium hujus juris eidem competit, conſequenter quamdiu prædium habet, alteri concedere poteſt vel ad

Digitized by Google

certum tempus, vel quamdiu vivit. Denique cum usufructus constitui possit etiam sub hac conditione, ut usufructuarius re utatur per se, non per alium (§. 1459. *part. 5. Jur. nat.*); ita populus jus optimatis in prædia conferens & possessoribus eorundem quasi usumfructum in eodem constituens, hanc quoque addere potest legem, ut jus istud possessores prædiorum exerceant per se, non per alium, consequenter usum hujus juris alteri concedere nequeant. Patet itaque fictione hac, in moralibus rebus omnino admittenda, si jus optimatis possessori competens reducatur ad usumfructum, inexpectatam lucem affundi huic juri.

§. 228.

De jure optimatis prædio inhærente, si ususfructus in prædio constituatur.

Si cui ususfructus constituitur in prædio, cui jus optimatis inhæret; usus hujus juris non ad dominum, sed ad fructuarium pertinet. Etenim usufructuario competit jus utendi fruendi prædio (§. 1421. *part. 5. Jur. nat.*), consequenter etiam usus juris eidem inhærentis. Quamobrem cum prædio jus optimatis inhæreat, *per hypoth sin;* si cui ususfructus constituitur in prædio, cui jus optimatis inhæret, usus hujus juris non ad dominum, sed ad fructuarium pertinet.

Facile patet sermonem hic esse de usufructu pleno, quando scilicet jus utendi fruendi omne in usufructuarium transfertur, absque ulla restrictione (§. 1449. *part. 5. Jur. nat.*). Veritas propositionis præsentis magis eluceſcit per ea, quæ modo ad præcedentem annotavimus (*not.* §. 227.). Ususfructus autem plenus semper constitutus intelligitur, nisi expresse contrarium dicatur.

§. 229.

De eodem, si ususfructus minus plenus.

Si dominus prædii usumfructum in prædio, cui jus optimatis inhæret, constituit; usum juris optimatis sibi reservare potest. Quoniam nemo nisi dominus usumfructum in re aliqua

Digitized by Google

qua constituere potest (§. 1441. *part. 5. Jur. nat.*); a voluntate quoque ejus dependet, utrum usumfructum plenum, an minus plenum alteri in re sua constituere (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter utrum juris cujusdam usum, qui ad usumfructum pertinet, sibi reservare velit, nec ne (§. 1449. *part. 5. Jur. nat.*). Quamvis itaque ad usumfructum etiam pertineat usus juris optimatis (§. 228.); eum tamen dominus usumfructum alteri constituens in prædio suo, cui jus optimatis inhæret, sibi reservare potest. *nus constituatur.*

Non est quod excipias, jus optimatis a prædio, cui inhæret, inseparabile esse, nec a domino prædii ab eo separari posse. Etenim dominus, dum prædii proprietatem retinet, quando usumfructum alteri in eodem constituit, jus optimatis a prædio non separat, etsi usum hujus juris separet ab usufructu, ad quem alias pertinet (§. 228). Cum per usumfructum prædium non alienetur, nec dici potest id alienatum sine jure, quod eidem inhæret, ita ut non amplius per prædium derivetur in eum, qui hoc habet.

§. 230.

Partes subjectivæ imperii dicuntur imperium in personas, quæ incolunt certam territorii Reip. partem. *Partes subjectivæ imperii quænam sint.*

Opponuntur partes subjectivæ partibus potentialibus, de quibus supra diximus (§. 63.). Nimirum sicuti complexus omnium jurium ad imperium civile quomodocunque pertinentium consideratur tanquam totum, cujus partes sunt singula ista jura; ita quoque imperium, quatenus exercetur in personas diversas territorii partes inhabitantes, spectatur tanquam totum, cujus partes sunt imperium, quatenus exercetur in partes populi hanc vel istam territorii civitatis partem inhabitantes. Quemadmodum itaque imperium dividitur in partes potentiales, si jura ad imperium pertinentia a se invicem separantur,

rantur, ita ut in diverſis ſubjectis ſubſiſtant (§. 64.); ita idem dividitur in partes ſubjectivas, ſi in diverſas populi partes hanc, vel iſtam territorii partem incolentes imperium in diverſas perſonas transfertur.

§. 231.

Quid ſit diviſio imperii in partes ſubjectivas.

Quoniam pars imperii ſubjectiva eſt imperium in partem populi, quæ una cum reliquo populo eidem imperio civili ſubeſt (§. 230.); *imperium dividere in partes ſubjectivas idem eſt ac diverſis imperiis diverſas populi partes ſubjicere.*

E. gr. ponamus mortuo Auguſto populum dividi in tres partes, ſeu, quod perinde eſt, totam regionem, quam inhabitat populus, & tribus ejus filiis ſingulis tribui imperium in una parte regionis, ſeu in unam populi partem; imperium dicitur diviſum in partes ſubjectivas.

§. 232.

Ea porro exponditur.

Quoniam imperium dividitur in partes ſubjectivas, ſi diverſæ populi partes diverſis imperiis ſubjiciantur (§. 231.); *diviſione imperii in partes ſubjectivas vel imperium in certam populi partem* transfertur in alium, adeoque *alienatur* (§. 662. *part. 2. Jur. nat.*), *vel tot diverſa oriuntur ſumma imperia, in quot partes ſubjectivas id fuit diviſum.*

Ita in exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 231.), loco unius tria diverſa oriuntur ſumma imperia, & qui fuerant populus unus, nunc ſunt tres populi. Quodſi vero contingat imperium in certam populi partem transferri in alium, populo reliquo manente ſub eodem imperio, ſub quo ante fuerat; imperium in hanc populi partem alienatur.

§. 233.

De originaria conventione.

Qui in civitatem coëunt, tacite inter ſe conveniunt, ne in partes ſubjectivas imperium dividatur. Quando enim civitas

Digitized by Google

tas conſtituitur, ſinguli ſe obligant univerſis, quod communi bonum promovere velint, & ſingulis univerſi ſeſe obligant, quod ſufficientiæ vitæ ipſorum, tranquillati & ſecuritati proſpicere velint (§. 28.). Quamobrem cum imperium civile conſiſtat in jure determinandi ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 60.); qui in civitatem coëunt, utique ſeſe ſibi invicem obligant, quod eidem imperio civili ſubeſſe velint, conſequenter nec pars populi ſe invitis ceteris, nec hi illam invitam eidem ſubducere poſſunt (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum diviſione imperii in partes ſubjectivas populus univerſus non maneat ſub eodem ſummo imperio (§. 231.); qui in civitatem coëunt, tacite inter ſe conveniunt, ne in partes ſubjectivas imperium dividatur.

tione quoad diviſionem populi in partes ſubjectivas.

Ex pacto originario, quo civitas conſtituitur, parti cuivis populi competit jus non patiendi, ut ex ſocietate invita excludatur, niſi adſit juſta excluſionis cauſa. Naſcitur enim hoc jus ex obligatione (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*), qua ſibi invicem tenentur qui in civitatem coivere ad commune bonum conjunctis viribus promovendum (§. 4.). Si vero imperium in partem populi invitam pro lubitu nimirum populi reliqui alienatur, conſequenter imperium in partes ſubjectivas dividitur (§. 231.); pars iſta populi a ſocietate invita excluditur, contra conventionem, conſequenter contra jus ex ea ſibi quæſitum, ac ideo ipſi injuria fit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), minime ferenda (§. 913. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 234.

In democratia populus univerſus unanimi conſenſu imperium in partes ſubjectivas dividere poſſunt. Quoniam enim qui in civitatem coëunt, tacite inter ſe conveniunt, ne in partes ſubjectivas imperium dividatur (§. 233.); diviſio imperii

An in democratia imperium dividi poſſit in partes

tes ſubjectivas.

perii in partes ſubjectivas repugnat pacto originario, quo civitas conſtituta. Enimvero pacta contrahentibus diſſolvere licet mutuo diſſenſu (§. 840. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem ſi populus univerſus unanimiter conſentiat, ut imperium in partes ſubjectivas dividatur; nil obſtat, quo minus pactum originarium diſſolvi, ac diviſio imperii in partes ſubjectivas fieri poſſit.

Nihil hic fit, quod ſit contra jus partis alicujus ex pacto quæſitum. Quando enim pactum diſſolvitur, pars quælibet de jure ſuo cedit, quod ex eodem ipſi fuerat quæſitum. Unde valet pervulgatum iſtud, volenti non fieri injuriam.

§. 235.

An imperium a populo translatum ſit diviſibile in partes ſubjectivas.

Quando imperium transfertur in alium, vel alios, id fieri præſumitur ſub tacita hac clauſula, ne in partes ſubjectivas dividatur, niſi expreſſe aliud dicatur. Quando enim civitas conſtituitur tacite convenitur, ne imperium in partes ſubjectivas dividatur (§. 233.), conſequenter imperium originarie in partes ſubjectivas indiviſibile eſt. Quando itaque populus imperium in unum, vel plures transfert, tale transfert, quale eſt, niſi aliud dicatur, conſequenter in partes ſubjectivas indiviſibile transfert. Quamobrem non præſumitur transtuliſſe idem, niſi ſub tacita hac clauſula, ne in partes ſubjectivas dividatur, ſi aliud non dicatur. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen populus in democratia, conſequenter quamdiu imperium penes ipſum eſt (§. 131.), unanimi conſenſu idem in partes ſubjectivas dividere poteſt (§. 234.); nil obſtat quominus hoc jus dividendi ſcilicet imperium in partes ſubjectivas, etiam transferat in eum, vel eos, in quem vel quos imperium transfert (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*). Quodſi ergo ipſi

ipſi hoc viſum fuerit, is vel illi, in quem vel quos imperium translatum eſt, etiam imperium in partes ſubjectivas dividere poſſunt, ſi ipſis viſum fuerit. Quamobrem licet imperium in partes ſubjectivas dividere, ſi expreſſe hoc dicatur, vel aliud quidpiam, unde jus ita dividendi neceſſario ſequitur. *Quod erat alterum.*

Cum interſit Reip. ne imperium in partes ſubjectivas dividatur, propterea quod civitatis potentia ſeſe defendendi adverſus hoſtes minuitur, conſequenter diviſio iſta repugnat fini civitatis (§. 4.); ideo vix credibile, ut populus imperium transferens in unum, vel plures velit, Rectori civitatis permiſſam eſſe debere diviſionem imperii in partes ſubjectivas. Facile autem apparet, ſermonem hoc in loco tantummodo eſſe de diviſione voluntaria. De ea enim, quæ involuntaria eſt, & ex jure belli oritur, dicendum erit in Jure gentium.

§. 236.

Quoniam imperium in partes ſubjectivas diviſibile non eſt, ſi in unum, vel plures transfertur, niſi expreſſe aliud dicatur (§. 235.), in monarchia autem imperium ſummum in unum (§. 133.), in ariſtocratia in plures transfertur (§. 135.); *nec monarcha, nec optimates imperium in partes ſubjectivas dividere poſſunt, niſi in translatione imperii expreſſe aliud dicatur, vel*, cum *populus* jus ſibi reſervatum remittere poſſit, quando nil fit contra jus alterius, (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*), idem *in diviſionem unanimiter conſentiat, nec jus tertii eandem impediat.*

An ſit licita in ariſtocratia & monarchia.

Conſenſu populi a monarcha & optimatibus imperium in partes ſubjectivas dividi poſſe, clarius patet eodem modo, quo idem de populo in democratia paulo ante demonſtravimus (*not.* §. 234.). In caſu particulari, quando nimirum monarchia vel ariſtocratia uſufructuaria eſt, id etiam exinde patet, quod

quod de ſubſtantia imperii disponere nequeat Rector civitatis (§. 40.).

§. 237.

Quando juris optimatum foeminæ, pueri mente capti & exteri participes fiant.

Si jus optimatum prædiis inhæret, ejus participes fieri poſſunt foeminæ, pueri, mente capti & exteri, niſi lege fundamentali de alienatione prædiorum id præcaveatur, vel uſus hujus juris quoad perſonas iſtas ſuſpendatur. Quoniam enim non modo dominus prædium ſuum pro lubitu alienare poteſt (§. 673. *part. 2. Jur. nat.*), verum etiam jure hæreditario in prædium domini defuncti ſucceditur (§. 959. *part. 7. Jur. nat.*), vel ex teſtamento (§. 994. 999. *part. 7 Jur. nat.*), vel ab inteſtato (§. 1021. *part. 7. Jur. nat.*); facile contingit, ut prædium etiam veniat ad foeminas, pueros, mente captos & exteros, prouti ex libertate alienandi & teſtandi, atque ſucceſſione ab inteſtato in parte ſeptima demonſtrata abunde intelligitur, & quotidiana experientia loquitur. Quodſi ergo jus optimatis prædio inhæreat ac per conſequens a prædio in dominum quoad ejus exercitium derivetur; ejus participes fieri poſſunt foeminæ, pueri, mente capti & exteri. *Quod erat unum.*

Enimvero populus jus optimatum ad prædia reſtringens legem quamcunque addere poteſt, quæ ipſi viſa fuerit (§. 34.). Quamobrem legem quoque fundamentalem condere poteſt de alienatione imperii, qua præcavetur, ne ad certas perſonas, quas a jure optimatis excludere voluerit, prædia veniant, vel, ſi hoc fiat, uſus tamen juris quoad ipſas ſuſpendatur. *Quod erat alterum.*

Ita foeminæ excluduntur ac exteri, ſi illæ ac hi in prædiis ſuccedere nequeunt jure hæreditario, nec alio quocunque modo ea acquirere valent. Excluduntur non modo pueri & mente capti,

Digitized by Google

capti, verum etiam foeminæ & exteri, ſi lege ſtatuatur, ne quis per alium jus ſuum exercere poſſit, quod prædio inhæret, ita nimirum uſus juris ſuſpenditur quoad eas perſonas, quæ vel ejusdem non ſunt capaces, ſeu ipſum per ſe exercere nequeunt, vel quas in conventibus optimatum comparere parum convenit. Per ſe nimirum patet, quod, qui vel per ætatem, vel per mentis impotentiam jus ſuum exercere nequit, id exercere debeat per curatorem, bona ejus adminiſtrantem, ac idem ſimiliter intelligi de foeminis, quæ in conventu, in quo ipſas comparere indecorum habetur, jus ſuum ipſæ exercere per ſe nequeunt.

§. 238.

Si ariſtocratia fuerit temporaria, elapſo tempore jus optimatum ceſſat & quod agunt ipſo jure nullum eſt. Quodſi enim ariſtocratia fuerit temporaria, veluti annua, jus exercendi imperium ſummum nonniſi ad certum tempus, veluti per unum annum, in optimates translatum (§. 211. 136.). Quamobrem cum per ſe pateat, optimates non plus juris habere, quam in ipſos fuit translatum; imperium quoque ſummum exercere nequeunt ultra tempus, ad quod ipſis exercitium conceſſum. Tempore igitur iſto elapſo, jus ipſorum ceſſat. *Quod erat unum.* *Quomodo finiatur jus optimatum in Ariſtocratia temporaria.*

Quoniam optimates, tempore elapſo, in quod imperii ſummi exercitium ipſis conceſſum, non amplius habent jus id exercendi, *per demonſtrata;* ſi quid tum agunt, id nullo jure agunt, conſequenter id ipſo jure nullum eſt. *Quod erat alterum.*

Nihil hic aſſeritur, niſi quod in genere de omni jure temporario valet.

Digitized by Google

§. 239.

De initio juris in aristocratia temporaria successoria.

Si aristocratia temporaria fuerit successoria, veniente die, quo jus optimatum expirat, jus successorum statim incipit. Quodsi enim aristocratia fuerit successoria, in loca deficientium optimatum certa lege succedunt alii (§. 218.). Et si aristocratia temporaria fuerit, elapso tempore jus optimatum cessat (§. 238.), consequenter die veniente omnes optimates deficiunt, ac ideo statim ipso jure in eorum loca succedunt illi, quibus successio lege fundamentali defertur. Quamobrem si aristocratia temporaria fuerit successoria, veniente die, quo jus optimatum expirat, jus successorum statim incipit.

Voluntate populi nimirum aristocratiam temporariam successoriam introducentis, quam is lege fundamentali de succedendi modo lata declaravit, transit jus optimatum, hoc est, jus exercendi imperium summum ex optimatibus praesentibus veniente die, quo jus illorum expirat, in successores, ita ut eodem instanti qui fuerant optimates esse desinant & qui ex lege succedunt esse incipiant.

§. 240.

De subjecto imperii summi, antequam novi optimates eligantur a populo in aristocratia electiva temporaria.

Si aristocratia temporaria fuerit electiva & jus eligendi fuerit penes populum, interea temporis, donec optimates novi eligantur, imperium penes populum est, nisi certa lege definitum, quinam interea id exercere debeat, vel eadem cautum, ut ante diem, quo jus optimatum expirat, novi eligantur. Etenim si aristocratia fuerit temporaria, tempore elapso jus optimatum cessat & quod ultra istud tempus agunt, ipso jure nullum est (§. 238.). Quoniam itaque imperium originarie res populi propria est (§. 34.), & pro lubitu in optimates transfertur (§. 36. 135.); quando jus optimatum expirat, impe-

Digitized by Google

imperium ſummum ad populum redit, conſequenter penes eum manet, donec iterum in alios transferatur. Quodſi ariſtocratia fuerit electiva, in locum decedentium eligendi ſunt alii, qui ſuccedunt in jus, quod illi habuerant (§. 214.). Quamobrem ſi jus eligendi fuerit penes populum, is alios optimates eligere debet: quod, ubi factum fuerit, imperium ſummum denuo apud ipſos eſt (§. 136.). Patet itaque, ſi ariſtocratia temporaria fuerit electiva & jus eligendi penes populum, imperium penes populum eſſe, donec optimates novi eligantur. *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam populus de ſummo imperio tanquam re ſibi propria (§. 34.), pro lubitu disponere poteſt (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*), & imperium transferre quoad exercitium, in quem & quamdiu voluerit (§. 36. 39.); ipſi quoque liberum eſt exercitium imperii, ſive ſummi, ſive ſummitate ſibi retenta, interea temporis, dum penes ſe eſſe debebat, conſequenter donec novi, eligantur optimates, committere uni, vel pluribus aliis. Lege igitur fundamentali populus ariſtocratiam temporariam electivam introducens & jus eligendi ſibi reſervans definire poteſt, quinam interea imperium exercere debeat, donec optimates novi eligantur. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum populus de ſummo imperio tanquam re ſibi propria pro lubitu diſponere poſſit (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*), & prouti ſaluti publicæ, ſupremæ civitatis legi (§. 86.), convenientius judicat in delatione imperii in alium (§. 87.); ſi ita eidem viſum fuerit, ut ariſtocratia, quamvis temporaria, ſine interruptione tamen continuetur, novi optimates eligendi ſunt, antequam dies veniat, quo præſentium jus expirat. *Quod erat tertium.*

Digitized by Google

Electio novorum optimatum fieri potest vel ante diem, quo jus veterum expirat, vel post eundem. In casu posteriori aristocratia vel interrumpitur, vel sine interruptione continuanda, & ubi interrumpitur, populus vel per se exercet imperium, vel per alium. Quoniam igitur in aristocratia temporaria electiva jure eligendi populo reservato, non uno modo in locum decedentium successio fieri potest, id vero tum jus est, quod placuit populo, dum hanc Reip. formam introduxit (*not.* §. 185.); ideo patet, quæ in præsenti propositione demonstrantur, in hac specie aristocratiæ juris esse, prouti hoc, vel illud placuerit populo & is lege quadam voluntatem suam declaraverit.

§. 241.

Quantum sit jus optimatum temporariorum.

Optimates annui seu temporarii finito regimine ad reddendas rationes nemini tenentur, nec eorum acta infirmari, ipsi tamen nihil constituere possunt, quod valeat ultra tempus regiminis eidem præstitutum. Etenim in optimates etiam annuos seu temporarios transfertur jus summum (§. 211.); Quamobrem cum is nulli hominum rationem reddere teneatur, quomodo imperio utatur, seu cur sic imperet, non aliter (§. 46.), nec ejus actus a quoquam irriti reddi possint, qui imperium summum habet (§. 45.); optimates etiam annui finito regimine ad reddendas rationes nemini tenentur, nec eorum acta infirmari possunt. *Quod erat primum & secundum.*

Enimvero cum jus optimatum seu temporarium ad certum tempus sit restrictum (§. 211.); ideo nec constituere possunt, nisi quod valeat intra tempus regimini ipsorum præstitutum. Nihil itaque constituere possunt, quod ultra tempus istud valeat. *Quod erat tertium.*

Optimates etiam temporarii, quamdiu regimen ipsorum durat, sunt superior, & populus omnis reliquus iisdem subditus

Digitized by Google

tus (§. 143.): tempus enim nil mutat in jure, consequenter personam moralem intactam relinquit (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*), etsi ejus dignitatem minuat (§. 205.), cum major utique dignitas sit, quæ perpetuo durat, quam quæ temporaria. Finito tempore, ad quod jus optimatum temporariorum fuit concessum, jus optimatum expirat, & quod ultra istud tempus agunt, ipso jure nullum est (§. 238.). Enimvero perinde est finito regimine aliquid constituere, ac durante eo constituere, quod valere debet regimine finito. Quamobrem optimates temporarii nil constituere possunt, quod ultra tempus regiminis ipsorum valeat.

§. 242.

Quoniam *optimates annui* seu *temporarii* nil constitue- *De iis, quæ*
re possunt, quod valeat ultra tempus regiminis ipsis præsti- *ultra tem-*
tum (§. 241.); *Si, quod constituerunt, finito regimine valere pus regimi-*
debeat, necesse est ut id vel expressa, vel tacita ratihabitione a nis valent.
successoribus confirmetur.

Nimirum tum ea, quæ ab anterioribus constituta sunt, non valent tanquam ab ipsis constituta, sed tanquam placita nunc imperantium. Quamdiu autem successores contrariam voluntatem non declarant de iis, quæ ab ipsis constituta sunt; eadem velle ipsi quoque præsumuntur, præsertim si adsint rationes præsumtionis huius speciales, a salute publica, suprema Reip. lege (§. 86.), facile derivandæ. Nihil hic asseritur, quod a veritate alienum videri possit. Nimirum optimates temporarii, durante regimine ipsorum, tantundem possunt, quantum populus universus in democratia (§. 135.). Quemadmodum itaque populus constituere potest tamdiu valitura, quamdiu voluerit, voluntas autem tamdiu durare intelligitur, donec contraria vel expresse, vel tacite declaretur; ideo quæ optimates annui seu temporarii constituunt, ea tamdiu valere intelliguntur, quamdiu volunt successores, quorum voluntas præsumitur, donec contrariam declaverint. Aliter vero sese

Digitized by Google

res habet, si decernere audeant de iis, quæ nonnisi finito ipsorum regimine sub deliberationem cadunt. Tum enim jus suum ultra tempus regiminis extendunt, consequenter nullo jure decernunt.

§. 243.

De modo decernendi in aristocratia.

In aristocratia nihil constitui potest nisi per suffragia optimatum, & pluralitas votorum vincit, nisi lege fundamentali ad concludendum requirantur vota unanimia aut certus votorum numerus. Etenim optimates imperium habent, quale est originarie in populo, & tantundem possunt, quantum in democratia populus universus (§. 135.), consequenter eodem modo imperium exercere tenentur, quo populus universus idem exerciturus fuisset. Enimvero si populus ipse imperium administrat, id habendum est pro voluntate totius populi, quod parti majori visum, nisi expresse de nonnullis aliter fuerit conventum, scilicet ut nonnisi unanimia concludant, vel certus votorum numerus vincat (§. 157.). Ergo etiam in aristocratia id demum valere potest, quod majori parti placet, nisi aliter fuerit lege fundamentali sancitum, utpote quæ a populi voluntate venit. Nihil itaque constitui potest nisi per suffragia optimatum, & pluralitas votorum vincit, nisi lege fundamentali ad concludendum requirantur unanimia, vel certus votorum numerus.

Optimates conjunctim populum repræsentant (§. 160.). Quamobrem quæ de populi jure demonstrata sunt in democratia, ea de jure optimatum conjunctim intelliguntur in aristocratia, nisi quatenus differentia quædam inde resultat, quod jus optimatum universorum spectandum veniat tanquam jus a populo in eosdem translatum, qui in translatione certam eidem legem dicere potuit. Inde est, quod in concludendo valeat lex fundamentalis, quam optimates consensu suo mutare nequeunt,

Digitized by Google

queunt, etsi, ubi nulla extat, legem condere possint de modo concludendi pro lubitu, sed quæ in aristocratia temporaria non obligat successores.

§. 244.

Si vota optimatum fuerint paria; populo non competit votum decisivum. Ponamus enim populo competere votum decisivum, si vota optimatum fuerint paria. Populo igitur competit aliquod jus in actus optimatum (§. 102. *part.* 7. *Jur. nat.*), consequenter summitas imperii tota non est penes optimates (§. 44.). Quod absurdum (§. 136.). *De paritate votorum in Aristocratia.*

Absurditas quoque inde patet, quod optimates populum agnoscere tenerentur se superiorem: id quod aristocratiæ repugnat (§. 142.).

Sermo nimirum hic est de eo, quod ex notione aristocratiæ necessario sequitur; non vero de eo, quod libera optimatum voluntate constituitur. Quodsi enim optimates inter se conveniant, ut, si vota inter se contendant, nec ob paritatem negotium exitum habere possit, stare velint eo, quod populo visum fuerit; eodem stare tenentur ex compromisso, non jure populi. Vix autem istiusmodi conventio unquam dabitur, tum quod juri optimatum parum faveat, tum quod molestum admodum sit decisioni populi rem controversam submittere, qui nonnisi in comitiis decidere potest.

§. 245.

Si numerus optimatum fuerit ingens; optimates negotia publica nonnisi in comitiis agere possunt. Ostenditur eodem modo, quo idem in democratia de populo demonstravimus (§. 173. 174.). *Quando in aristocratia negotia publica in comitiis agenda.*

Fieri potest, ut numerus optimatum ad aliquot millia ascendat. Atque tum aristocratia assimilatur democratiæ, & quæ in

Digitized by Google

in democratia a multitudine eorum, qui jus ſuffragii habent, veniunt, ea etiam obtinent in hac ariſtocratiæ ſpecie, ut ideo non opus ſit eadem de eadem denuo demonſtrari. Ceterum hæc ratio eſt, cur externa ſpecies nonnullis ſubinde imponat, ut pro democratia habeant Reip. formam, quæ revera ariſtocratia eſt. Error tamen facile vitatur, modo ex definitionibus de formis Rerump. judices.

§. 246.

Cujusnam ſit majeſtas in Ariſtocratia.

In ariſtocratia majeſtas optimatum coetui qua tali competit. Cum in ariſtocratia imperium ſummum ſit indiviſum penes integrum optimatum coetum (§. 135. 136.); propoſitio præſens eodem modo oſtenditur, quo ſupra demonſtravimus, in democratia majeſtatem populi qua talis eſſe (§. 208.).

Eadem hic quoque notanda ſunt, quæ ſupra de majeſtate in democratia annotavimus (*not.* §. 208.). Nimium ſicuti in Ariſtocratia univerſitas optimatum ſuperior eſt, ſinguli autem optimates ſubditi ſunt (§. 143.); ita quoque majeſtas non convenit niſi integræ optimatum univerſitati, ſinguli autem nihil majeſtatis habent.

§. 247.

De majeſtate in ariſtocratia temporaria.

Quoniam in ariſtocratia majeſtas optimatum coetui qua tali competit (§. 246.); *in ariſtocratia* etiam *annua*, ſeu *temporaria*, *iſto anno*, *ſeu tempore*, *quo imperium ſummum exercent*, *majeſtas optimatum annuorum*, *ſeu temporariorum univerſitati competit.*

Sicuti nimirum tempus nil detrahit ſummitati imperii, quæ optimatibus competit; ita nec imminuit eorumdem dignitatem, quæ ab illa ortum trahit, conſequenter majeſtas optimatum conjunctim ſpectatorum, ſeu univerſorum eadem eſt, ſive

Digitized by Google

ſive ariſtocratia fuerit perpetua, ſive temporaria. Sane ſi ſingulis menſibus optimatum collegium eſſet aliud, non minus majeſtas eidem conveniret, quam ſi perpetuum eſt, cum idem ſit conſtanter jus optimatum, ſive idem exerceatur ab his perſonis, ſive ab aliis. Quamobrem ſi ponamus certum eſſe numerum perſonarum, ex quibus ſingulis annis eliguntur, qui ſummum imperium exercent, aut qui certo ordine ſuccedunt ſtatuto tempore iis, qui nunc illud exercent; non totus ille coetus perſonarum optimatum univerſitas eſt, ſed huic ſaltem accenſentur, qui in præſenti ſummum imperium adminiſtrant, conſequenter ultra hos non extenditur majeſtas. Etſi enim ceteri quoque dignitate conſpicui ſint (§. 205.); non tamen illa dignitas majeſtas eſt (§. 206.), neque dignitas univerſitati, ſed ſaltem ſingulis propria. Abſit itaque, ut dignitatem iſtam cum majeſtate confundas, aut quaſi pro parte majeſtatis habeas, quæ in ſe prorſus indiviſa eſt.

§. 248.

Si optimatum ingens fuerit numerus; ſenatui, qui ab ipſis conſtituitur, majeſtas minime competit. Si optimatum ingens fuerit numerus, ſenatum eſſe conſtituendum, eodem modo patet, quo ejus neceſſitatem in democratia evicimus (§. 190.). Enimvero cum ſenatui tantummodo committatur regimen publicum quoad ea, quæ quotidianæ adminiſtrationis ſunt, vel moram non ferunt, & is ad conſilium de rebus publicis optimatibus ſubminiſtrandum adſciſcatur (§. 188. 143.), conſequenter ſummitas imperii penes optimatum univerſitatem maneat; nec majeſtas ſenatui competere poteſt (§. 206.). *De ſenatu in ariſtocratia.*

Nil obſtat, etſi ſenatus eligatur ex numero eorum, qui jure optimatum fruuntur. Cum enim non repugnet, ut ſinguli ſint ſubditi univerſis (§. 143.); nec repugnat, ut nonnullis regimen Reip. ad certa negotia reſtrictum ita committatur, ut univer-

Digitized by Google

universitati salvum sit jus in omnes ipsorum actus. Nihil hic occurrit, quod non eodem modo se habeat in democratia, in quo senatus etiam eligitur ex populo, consequenter ex numero eorum, penes quos in universum imperium summum est (§. 131.), & populo competit jus in omnes actus illius (§. 188. 162.). Universitas optimatum populum repræsentat (§. 160.), quorum numerus quo major fuerit, eo magis status aristocraticus populari assimilatur, ut, quæ ob multitudinem eorum, penes quos imperium summum est, fieri debent in democratia, ea etiam obtineant in aristocratia.

§. 249.

De aristocratia laxa & strictiori.

Aristocratia laxa dicitur, quando ingens admodum optimatum numerus est, etsi is minorem populi partem faciat. At *Aristocratia strictior* vocatur, quando numerus optimatum non major est, quam qui quotidie convenire, aut citra moram convocari possit.

Cum numerus optimatum in aristocratia a populi voluntate dependeat, dum hæc forma Reip. eligitur (§. 209.); is per se definitus non est. Quodsi ergo ita visum fuerit populo, tantus esse potest, ut aliquot millia superet; potest etiam esse adeo exiguus, ut e. gr. in septenario terminetur. Quamobrem si aristocratiam distinguere velis in laxam & strictiorem, pro diversitate numeri; utique animus advertendus est ad differentiam, quæ ex ista diversitate resultat. Facile autem patet, eam non esse aliam, nisi ut vel multitudo optimatum obstet, quo minus quotidie convenire, aut citra moram convocari possint, vel ut singuli quotidie convenire, aut saltem citra moram convocari possint. In casu priori aristocratia communem habet impossibilitatem conventuum quotidianorum, aut citra moram instituendorum cum democratia; in casu autem posteriori a democratia in eo differt, quod, qui summum imperium exercere debent, negotiorum publicorum causa quotidie, aut

Digitized by Google

aut ſaltem, ſi opus fuerit, citra moram ullam convenire poſſint. Quodſi ariſtocratiam laxam a ſtrictiori aliter diſtinguere velis, valde vereor, ne id ulla utilitate fiat, & ut laxa a ſtrictiori ſatis determinate diſtinguatur. Vagæ autem differentiæ in diſtinguendis ſpeciebus non ſunt admittendæ. Ceterum cum numerus major, quam ut optimates ſinguli quotidie convenire, aut citra ullam moram convocari poſſint, non conſtans ſit, ſed multum variari queat; ariſtocratia laxa magis vel minus talis eſſe poteſt: ſed tum quantitas non variat ſpeciem.

§. 250.

Si ingens eorum fuerit multitudo, qui ex numero ſuo eligunt certas perſonas, quæ vel ad certum tempus, vel perpetuo imperium ſummum exerceant; aut ex quibus certo ordine ſuccedunt ſtrictioris præſentibus alii imperium ſummum vel ad certum tempus, vel perpetuo exercentes; in caſu priori ſoli electi, in poſteriori ſuccedentes quæ quodammodo laxiora ariſtocratia electiva, vel temporaria, vel perpetua ſtrictior, in hoc autem mentem ariſtocratia ſucceſſoria temporaria, vel perpetua ſtrictior. De diverſis ariſtocratiæ ſpeciebus, tiuntur.

Cum imperium ſummum non ſit penes multitudinem eligentium, vel eorum, ex quibus certo ordine ſucceditur, ſed penes paucos illos, qui ad exercendum imperium eliguntur, vel aliis in hac functione ſuccedunt; non integra multitudo eligentium, vel eorum, qui ſuo ordine ſpem ſuccedendi habent, univerſitas optimatum ſunt, ſed illi ſaltem, qui eliguntur aut in aliorum locum ſuccedunt, ut ſummum imperium exerceant (§. 135.). *Quod erat primum.*

Enimvero ſi optimates eliguntur, ariſtocratia electiva eſt (§. 214.), eaque temporaria, quando regimen ad certum tempus reſtrictum (§. 211.), perpetua vero, ſi imperium penes electos ad dies vitæ manet (§. 213.). Quamobrem

Digitized by Google

obrem cum porro ariſtocratia ſtrictior ſit, ſi non major fuerit optimatum numerus, quam qui quotidie convenire, aut ſaltem citra ullam moram convocari poſſunt (§. 249.); ſi ingens fuerit eorum multitudo, qui ex numero ſuo eligunt certas perſonas, quæ vel ad certum tempus, vel perpetuo imperium ſummum exercent, ariſtocratia electiva temporaria, vel perpetua ſtrictior eſt. *Quod erat ſecundum.*

Similiter ſi in loca deficientium optimatum certa lege ſeu certo ordine ſuccedunt alii, ariſtocratia ſucceſſoria eſt (§. 218.), eaque temporaria, quando regimen ad certum tempus reſtrictum (§. 211.), perpetua vero, ſi imperium ſummum penes illos ad dies vitæ manet (§. 213.). Quamobrem cum porro ariſtocratia ſtrictior ſit, ſi is fuerit optimatum numerus, qui quotidie convenire, aut ſaltem citra moram convocari poſſunt (§. 249.); ſi ingens fuerit eorum multitudo, ex quibus ſuo ordine in loca optimatum deficientium ſuccedunt alii, ariſtocratia ſucceſſoria ſive temporaria, ſive perpetua ſtrictior eſt. *Quod erat tertium.*

Denique cum nonniſi illi optimatum coetum conſtituant, qui imperium actu exercent, in omni caſu propoſitionis præſentis, *per demonſtrata n. 1.* in ariſtocratia autem majeſtas competat optimatum coetui qua tali (§. 246.); in omni caſu propoſitionis præſentis nonniſi coetui electorum, aut certo ordine in loca deficientium ſuccedentium majeſtas competit. *Quod erat quartum.*

Quando jus optimatis pertinet ad ingentem multitudinem certarum perſonarum, ex quarum numero vel eliguntur, quæ regimen adminiſtrant, vel quædam certo ordine in eodem adminiſtrando ſuccedunt; imperium ſummum videtur eſſe penes omnem iſtam multitudinem, conſequenter ariſtocratiam laxam

Digitized by Google

mentitur iſta Reip. forma (§. 249.). Enimvero facile detrahitur ſpecies. Aliud nimirum eſt regiminis eſſe participem, aliud vero ejusdem eſſe capacem. Eadem nimirum differentia hic intercedit, quæ inter id, quod actu eſt, & inter id, quod eſſe ſaltem poteſt. Qui participes ſunt regiminis ſoli utuntur imperio ſummo, ac ideo optimates ſunt; qui vero ſaltem illius capaces ſunt, illi nonniſi ſpem habent fieri poſſe, ut uſum imperii ſummi obtineant, ac ideo in numerum optimatum recipiantur (§. 135.). Dignitate igitur conſpicui ſunt ſinguli (§. 205.), univerſis autem nihil majeſtatis competit (§. 206.).

§. 251.

Ariſtocratia laxa in ſtrictiorem, quæ laxam mentitur, ab optimatibus mutari poteſt, niſi lex obſtet. In ariſtocratia laxa ingens eſt optimatum numerus (§. 249.), qui per conſequens de negotiis publicis nonniſi in comitiis agere poſſunt (§. 245.), ac ideo ea, quæ quotidiana ſunt, vel etiam moram non ferunt, aliis expedienda comittere tenentur, ſenatum ſcilicet conſtituentes (§. 188.). Quodſi ergo ipſis moleſtum videatur ſæpius convenire, quin in ſenatum transferre poſſint omnem uſum imperii ſummi, ſibi tantummodo reſervantes jus eligendi membra Senatus, ſeu Senatores, ex ſuo coetu, vel certo ordine ſuccedendi in loca deficientium, dubitandum non eſt, cum exercitium imperii ſummi ipſis competat, modus vero exercendi, utpote nulli legi adſtrictus *per hypotheſin*, totus a voluntate ipſorum dependeat. Enimvero tum ſenatores fiunt optimates (§. 135.), & ariſtocratia, quæ laxa fuerat, ſtrictior efficitur, etſi adhuc laxam mentiatur (§. 250.). Patet itaque ariſtocratiam laxam in ſtrictiorem, quæ laxam mentitur, mutari ab optimatibus poſſe, niſi lex obſtet. *Quod erat unum.*

De jure optimatum mutandi ariſtocratiam laxam.

Digitized by Google

Atat cum optimates non plus juris habeant, quam a populo in ipsos fuit translatum (§. 210.); si populus magnum optimatum numerum constituens expresse dicat, velle sese, ut optimates conjunctim imperium exerceant, sicuti antea a populo universo exercebatur, nec iidem per paucos, qui quotidie convenire possunt, imperium summum exercere valent, sibi tantummodo reservato jure ex suo numero eligendi optimates, vel certo ordine in loca deficientium succedendi. *Quod erat unum.*

Modus exercendi imperium civile perinde distinguendus est ab ipso imperio, ac modus idem habendi. Si ille fuerit prorsus liber, seu nulli legi in delatione imperii adstrictus; perinde omnino est, sive optimates universi conjunctim exerceant, sive jus suum in paucos ex numero suo transferant, sibi tantummodo reservato jure ex ordine suo eos eligendi, qui idem exerceant, vel certo ordine in loca deficientium succedendi. Nihil hic committitur, quod repugnat pacto inter optimates & populum inito, quando imperium transferebatur. Exercent enim imperium illi, in quos idem quoad exercitium fuerat translatum, eo modo, qui ipsis commodissimus videtur: id quod arbitrio eorum fuerat relictum, cum modus iste nulli prorsus legi fuerit adstrictus. Alia vero longe est ratio, si in numerum optimatum recipere vellent alios, quam ex suo coetu: tum enim imperium alienarent, quod facere non licet, nisi aristocratia fuerit patrimonialis (§. 224.), qualem hic non supponimus.

§. 252.

An aristocratia patrimonialis præsumatur.

Aristocratia non præsumitur patrimonialis, sed usufructuaria. Etenim quando populus aristocratiam eligit, voluntatem suam ipso facto declarat, quod per plures regi velit & quidem per eos, quos designavit, eoque modo, quem indica-

Digitized by Google

indicavit (§. 135. 210.). Quamobrem nulla ratio eſt, unde colligi poſſit, quod ipſi perinde ſit, ſive a pluribus, ſive ab uno regatur, & ſive ab his, ſive ab aliis, ſive hoc, quem indicavit, ſive alio modo, conſequenter quod iis, in quos imperium transtulit, liberum fecerit, formam Reip. pro arbitrio immutare. Cum itaque ariſtocratia patrimonialis eſſe nequeat, ſi optimatibus formam Reip. immutare integrum non eſt (§. 224.); ariſtocratia quoque patrimonialis non præſumitur; ſed per conſequens uſufructuaria (§. 156.).

Non eſt quod excipias, populum imperium ſummum in optimates transferentem non cogitaſſe de differentia, quæ inter ariſtocratiam patrimonialem & uſufructuariam intercedit, conſequenter cum nihil ea de re definiverit, liberum eſſe optimatibus, utrum patrimonialem, an uſufructuariam eſſe velit, conſequenter in caſu emergente ſtatuere poſſe, quod ſibi convenientius, aut magis expedire viſum fuerit. Interpretatio enim voluntatis populi imperium transferentis ita facienda, quemadmodum eam declaraſſet populus, ſi de iſta differentia cogitaſſet, dum ariſtocratiam introduxit. Facile autem intelligitur, ſi populus tum rogatus fuiſſet, utrum de ipſa ſubſtantia imperii pro lubitu ſtatuere permiſſum eſſe debeat optimatibus, nec ne, v. gr. aliam Reip. formam introducere, ſi ea commodior ipſis viſa fuerit; eum reſponſurum fuiſſe, ſeſe nolle ut ſine conſenſu ſuo alia introducatur, cum ea, quam introduxit, Reip. forma ſeſe ipſis maxime probaverit. Immo quæſtio hæc non potuiſſet non eidem ſuſpecta videri, quaſi optimates jus ſuum in præjudicium libertatis populi contra ipſius voluntatem extendere vellent. Quodſi ea ſit populi reliqui conditio, ut optimatibus reſiſtere nequeat, ſi aliam Reip. formam introducere velit, aut quocunque modo alio de ipſa imperii ſubſtantia disponere, & optimates tale quid absque jure faciant, tum jus uſurpant, quod ipſis minime convenit. Nunc vero quæſtio non eſt de eo, quod facti eſt, ſed de eo,

quod

Digitized by Google

quod juris eſt, nec de eo, quod phyſice fieri poteſt, ſed de eo quod jure fit. Permittendum haud raro eſt, ut aliquid fiat contra jus noſtrum; non tamen propterea alteri competit jus hoc faciendi. Immo ſubinde etiam ex ignorantia juris nobis, vel alteri competentis tale quid fieri permittimus, nec exinde inferri poteſt alteri competere jus hoc faciendi. Perperam igitur ex eo, quod prævidemus, populum repugnare non poſſe, quo minus ab optimatibus alia forma Reip. introducatur, infertur, optimatibus hoc licitum eſſe.

§. 253.

De tacito conſenſu populi in mutationem formæ Reip. ab optimatibus factam.

Si in ariſtocratia uſufructuaria, aut in caſu dubio, optimates, vel illi qui ex numero ſuo eos eligunt, aut certo ordine in illorum loca vacua ſuccedunt, formam Reip. mutant, populo non contradicente; in mutationem tacite is conſentire videtur. Quoniam enim in ariſtocratia uſufructuaria optimates, vel illi, qui jus eligendi, vel ſuccedendi habent, de ipſa ſubſtantia imperii pro lubitu ſuo disponere (§. 156.), conſequenter formam Reip. mutare nequeunt (§. 663. *part. 2. Jur. nat.*); ſi eam immutant, mutatio ipſo jure nulla eſt, niſi conſenſus populi accedat, penes quem remanſit proprietas imperii (§. 40. 156.). Quodſi populus non contradicat, dum optimates formam Reip. mutant, ejus conſenſu non requiſito; in eam tacite conſentire videntur. *Quod erat unum.*

Cum in caſu dubio ariſtocratia uſufructuaria præſumatur (§. 252.); in caſu dubio idem valere debet, quod in uſufructuaria ariſtocratia valere demonſtravimus. *Quod erat alterum.*

Non eſt quod excipias, fieri poſſe ut populus ignoret jus ſuum, nec quid in caſu dubio præſumendum ſit eidem pateat. Conſenſus enim tanto facilius præſumitur, ſi populus non contradicit, quod putet, jus mutandi formam Reip. optimatibus ac

Digitized by Google

ac illis, ex quorum numero iſti eliguntur, aut alii in loca deficientium ſuccedunt, competere, aut in caſu dubio jus illud ipſis concedere, quam controverſum reddere mali. Fini civitatis adverſatur, ut conſenſus ſive expreſſus, ſive tacitus ex ignorantia juris profectus pro nullo habeatur (§. 13.), cui tamen adverſari nemo civium debet (§. 22.). Neque porro eſt, quod excipias, fieri poſſe ut populus non contradicat, quia prævidet, ſe contradictione ſua non impediturum, quo minus forma Reip. mutetur. Ecquis enim non videt, populum tum malle jure ſuo cedere, quam contradicere? Qui vero jure ſuo cedit, conſequenter ab altero fieri permittit, quod ſalvo jure ſuo is facere non poterat, in factum alterius utique conſentit.

§. 254.

In ariſtocratia annua, ſeu temporaria optimates inviti invocari nequeunt, vel abdicari. Etenim optimates imperium ſummum habent (§. 136.), & in annua, ſeu temporaria jure iſto utuntur per annum, aut tempus definitum (§. 211.). Quamobrem cum iis, qui jus eligendi habent, nullum competat jus in actus optimatum (§. 44.); jus autem ipſis non alia de cauſa auferri poſſet, quam quod eodem aliter utantur, quam viſum fuerit eligendi jus habentibus; ideo patet, in ariſtocratia annua, ſeu temporaria optimates invitos revocari ſeu abdicari non poſſe ab iis, qui jus eligendi habent.

An optimates temporarii abdicari poſſint.

Optimates etiam annui, ſeu temporarii ſunt populo & electoribus ſuperiores, populus vero per iſtud tempus, quo regimen ipſis competit, ipſi etiam electores ſubditi ſunt (§. 143.). Falluntur ideo, qui electores tanquam delegantes optimatibus tanquam delegatis ſuperiores fingentes illis jus hos abdicandi intra tempus regiminis vindicare volunt.

Digitized by Google

§. 255.

De jure monarchæ in exercendo imperio.

Monarcha de omnibus negotiis publicis pro lubitu ſtatuere poteſt: jure tamen interno obligatur ad non faciendum ea, quæ bono publico adverſantur, ſed ipſius judicio relictum eſt, utrum hoc modo bonum publicum promoveatur, nec ne. Etenim monarcha imperium habet abſolutum ac plenum (§. 134.). Quamobrem cum imperium plenum complectatur omnia jura ad imperium civile ſpectantia, nullo prorſus excepto (§. 62.), conſequenter ad omnia negotia publica extendatur (§. 170.), abſolutum vero ſit imperium, cujus exercitium nullis legibus adſtrictum & nullius exigit conſenſum (§. 66.); monarcha de omnibus negotiis publicis pro lubitu ſtatuere poteſt. *Quod erat primum.*

Enimvero omnis rector civitatis, quacunque lege imperium in eum fuerit translatum, obligatur ad non faciendum ea, quae eidem adverſantur (§. 84.). Quamvis itaque monarcha de omnibus negotiis publicis pro lubitu decernere poſſit, *per demonſtrata;* jure tamen interno obligatur ad non faciendum ea, quæ bono publico adverſantur. *Quod erat ſecundum.*

Denique monarcha imperium ſummum habet (§. 134.). Quamobrem cum populus imperium ſummum in alium transferens judicio ipſius relinquat, quid e re civitatis ſit, & in eo ſeſe acquieſcere velle declaret (§. 89.); monarchæ judicio relictum eſt, utrum hoc modo bonum publicum promoveatur, nec ne. *Quod erat tertium.*

Lex ſuprema in Rep. ſalus publica eſt, quæcunque tandem eius fuerit forma (§. 86.). Huic itaque convenienter etiam monarcha imperium exercere debet. Quemadmodum libertas non tollit obligationem (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*); ita nec liber-

Digitized by Google

libertas in imperando monarcham liberat ab obligatione de negotiis publicis non aliter statuendi, quam quomodo saluti publicæ convenit. In eo autem dijudicando suo ut stet judicio ipsi permittendum. Quodsi ea rite comprehenderis, quæ de libertate hominis naturali demonstrata fuerunt in parte prima; ea haud difficulter applicabis ad libertatem monarchæ, quæ cum licentia in imperando confundenda non est, eidem perinde adversa, ac licentia in genere libertati hominis naturali repugnat (§. 150. *part. 1. Jus nat.*).

§. 256.

Conscientiæ monarchæ relinquendum, quomodo imperet, nec ulli hominum is rationem reddere teneatur, cur sic, non aliter imperet. Monarcha enim summum imperium habet (§. 134.). Quamobrem cum ejus, qui summum imperium habet, conscientiæ relinquendum, quomodo imperet, nec is ulli hominum rationem reddere teneatur, cur sic imperet, non aliter (§. 46.); monarchæ conscientiæ relinquendum, quomodo imperet, nec ulli hominum is rationem reddere tenetur, cur sic, non aliter imperet. *Idem porro expenditur.*

Valet in monarchia illud pervulgatum: stat pro ratione voluntas, sed rite intellectum. Neque enim hinc inferre licet, quasi nulla esse debeat ratio monarchæ, cur hoc potius fieri velit, quam aliud, aut quasi quæcunque rationes ad hoc, non aliud decernendum sufficiant, cum eædem petendæ sint a salute publica (§. 255.). Sed hoc tantummodo insinuatur, quod nemini rationes reddere teneatur, cur hoc fieri velit, illud fieri nolit, & subditis simpliciter acquiescendum sit in voluntate monarchæ.

§. 257.

Rector civitatis temporarius monarcha esse potest. Rector civitatis temporarius est, qui imperium temporarium habet. *An Rector civitatis temporarius*

Digitized by Google

monarcha esse possit. habet. Quamobrem cum imperium temporarium absolutum & summum esse possit (§. 70.), monarcha autem sit, qui imperium absolutum & summum habet (§. 134.); rector civitatis temporarius monarcha esse potest.

Non absurdum videri debet, populum habere velle monarchas, eorum tamen jus restringere ad certum tempus, veluti ad unum annum. Quoniam enim omnium facillime contingit, ut monarcha jure suo abutatur; ne nimis noceat, qui male imperat, hoc pacto libertati suæ ac saluti magis consulere sibi videtur populus. Eadem sane ratio est, quæ populo persuadet aristocratiam annuam, vel temporariam. Exemplum monarchæ temporarii habemus in Dictatore Romano, qui, *Gravio* judice, revera erat monarcha annuus.

§. 258.

De majestate monarchæ. *Monarchæ competit majestas, etiam si temporarius fuerit.* Etenim monarchæ competit imperium plenum, absolutum ac summum (§. 134.). Enimvero cui imperium summum indivisum, quale est plenum atque absolutum (§. 62. 66.), competit, ejus majestas est (§. 206.). Monarchæ igitur majestas competit. *Quod erat unum.*

Enimvero monarcha temporarius monarcha est, quamdiu scilicet imperium summum penes eundem manet. Quamobrem cum monarchæ majestas competat, *per demonstrata*; etiam monarchæ temporario majestas competere debet, quamdiu scilicet imperio summo utitur. *Quod erat alterum.*

Majestas utique eadem est, sive imperium summum annuum fuerit, sive perpetuum, cum nulla adsit ratio, cur in illo casu major esse debeat, quam in hoc, *vi definitionis* (§. 206.): major tamen habetur dignitas ejus, cui majestas perpetuo competit,

Digitized by Google

petit, quam illius, qui saltem ad tempus eadem fulget, cum ad dignitatem faciat habendi modus (§. 205.).

§. 259.

Regnum asymneticum dici solet, quando imperium summum saltem ad tempus in aliquem transfertur. Quoniam monarcha temporarius monarcha verus est (§. 258.), & forma Reip. monarchia est, in qua imperium summum est penes unum (§. 133.); *regnum asymneticum monarchia esse potest.* Quoniam tamen imperium quoque limitatum ac certa parte deminutum ad tempus conferri potest, monarchia vero non est, si imperium plenum, absolutum ac summum non competat imperanti (§. 134.); *regnum asymneticum non necessario monarchia est.* *Regnum asymneticum dicitur, cum quod-nam sit.*

Sumimus nos vocabulum monarchiæ in stricto significatu, quem eidem tribuimus (§. 133.), laxiorem reservantes vocabulo regni (§. 139.). Vocatur autem a nonnullis monarchia hoc sensu accepta *Regnum plenum*, ab *Aristotele* παμβασιλεία, a Graecis autoribus aliis adhuc aliis nominibus insignitur.

§. 260.

Regnum Laconicum dicitur, in quo exercitium quidem imperii uni commissum, sed qui illud exercere tenetur juxta populi, vel procerum voluntatem. Unde patet, *in regno Laconico summitatem imperii vel esse apud populum universum, mero. vel apud optimates* (§. 44.), *& Regem non esse nisi superiorem quendam magistratum* (§. 162.). Liquet porro, *in regno Laconico non valere, quod Regi videtur, nisi populo, aut optimatibus approbetur*, consequenter *Reges magis suadendi, quam jubendi potestate pollere.* Vocatur hæc species regni etiam *Principatus*, subinde cum addito, *Principatus merus.* *De regno Laconico, seu Principatu mero.*

Digitized by Google

Regnum Laconicum nomen traxit a Regibus Lacedæmoniis, quos pleno jure non fuisse Reges refert *Dionysius Halicarnassensis*, & hanc regni speciem, infimam utique, cum præter nomen vix quicquam juris relinquat Regi alias eidem competentis, merum principatum esse affirmat *Grotius* de I. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 20. Regnum igitur Laconicum & Principatus pro synonymis recte habentur. Quodsi enim regnum Laconicum recipiatur tanquam terminus technicus, non opus est, ut in potestatem Regum Lacedæmoniorum accuratius inquiratur, & utrum merus fuerit principatus ista regni species, an vero aliquid adhuc juris vere regii illis relictum fuerit, definiatur.

§. 261.

De speciebus inter monarchiam & regnum Laconicum interjectis.

Inter monarchiam & regnum Laconicum, seu principatum merum plures regni species interjectæ sunt. Etenim in monarchia imperium plenum, absolutum & summum est penes monarcham, seu Regem (§. 134. 139.): ast in regno Laconico, seu principatu mero exercitium quidem imperii uni competit, sed summitas imperii omnis apud populum, vel optimates est (§. 260.). Enimvero in regno non necessario imperium plenum, absolutum ac summum penes Regem esse debet, verum fieri etiam potest, ut eidem saltem competat imperium limitatum, aut deminutum (§. 139.). Quamobrem cum imperium quoad exercitium multis modis limitari, &, quia diversa sunt jura sub imperio civili contenta, non uno modo certa sui parte diminui possit, pro diversitate autem limitationis ac diminutionis imperii varient Regum jura, regnorum autem species determinentur per jura Regibus competentia (§. 712. *Log.*); inter monarchiam & regnum Laconicum seu principatum merum plures regni species interjectæ sunt.

Non major concipi potest Regis potestas, quam in monarchia,

Digitized by Google

chia, nec minor, quam in regno Laconico; unde & illa regnum plenum appellatur, huic nomen regni abuſive tribuitur, cum ſtatus revera popularis ſit, aut ariſtocraticus, vel etiam ex populari & ariſtocratico quodammodo mixtus. Monarchia igitur & regnum Laconicum ſunt duo extrema, inter quæ interjacent formæ Rerump. mixtæ ex monarchia & populari, ſeu democratia, monarchia & ariſtocratia, monarchia denique, democratia & ariſtocratia ſimul.

§. 262.

Regnum legitimum dicitur, in quo Rex imperium exercere tenetur juxta leges fundamentales vel perpetuas, vel in delatione imperii ipſi in ſpecie præſcriptas, ſeu capitulationem. Quoniam per leges fundamentales, conſequenter & capitulationem (§. 124.), imperium civile limitatur (§. 77.), imperium autem limitatum per ſe ſummum non eſt (§. 73.); in regno legitimo jus aliquod in actus Regis ſi non omnes, ſaltem aliquos aut populo, aut proceribus, ſeu quibusdam e populo reſervatum eſſe debet, conſequenter ſummitas imperii non tota penes Regem eſt (§. 44.). Quamobrem cum in monarchia imperium ſummum ſit penes ſolum Regem (§. 134.), in ariſtocratia penes optimates ſolos (§. 136.), in democratia penes populum (§. 131.); *regna legitima ſunt mixta Reip. formæ ex monarchia & democratia, vel ex monarchia & ariſtocratia, vel ex monarchia, democratia & ariſtocratia ſimul*, conſequenter *omnes regni ſpecies inter monarchiam & regimen Laconicum*, ſeu *Principatum interjecta ſunt regna legitima* (*not.* §. 261.). *De regnis legitimis.*

Formæ ſimplices Rerump. non indigent legibus fundamentalibus, quibus diminuitur libertas imperandi, quippe quæ integra eſt populo in democratia, optimatibus in ariſtocratia, monarchæ in monarchia. Et, ſi quas imperantes ſibimet ipſis ſtatuunt

Digitized by Google

ſtatuunt leges, quas obſervare velint, ab iis tamen recedere, immo easdem tollere poſſunt, quoties & quandocunque viſum fuerit. Perinde igitur eſt, ac ſi nullæ eſſent. Aliter vero ſeſe res habet in regnis legitimis, ubi imperans obligatur ab alio ad legum obſervantiam, quas vel invitus ſequi tenetur in imperio adminiſtrando. Ea nimirum regna demum legitima ſunt, in quibus poteſtas ſumma per leges fundamentales diminuitur. Relegenda hic ſunt, quæ ſupra de diverſitate legum, juxta quas imperium exercetur, demonſtravimus (§. 79. *& ſeqq.*).

§. 263.

Unde metiendum jus Regis in regno legitimo.

Quoniam in regno legitimo Rex imperium exercere tenetur juxta leges fundamentales vel perpetuas, vel in delatione imperii ipſi in ſpecie præſcriptas, ſeu capitulationem (§. 262.), imperium vero Rectoris civitatis tale eſt, quale populus in eum actu transtulit (§. 90.); *in regno legitimo ex legibus fundamentalibus & capitulatione metiendum eſt jus Regis.*

Per ſe patet, in regno legitimo non omnia poſſe Regem, quæ monarcha facere poteſt in monarchia. Quodſi igitur quæras, quænam ea ſint, quæ poteſtati ejus abſolutæ ſubducuntur; id ex legibus fundamentalibus & capitulatione definiendum, quippe quæ oſtendunt limites, intra quos poteſtas Regis coërcetur.

§. 264.

Regnum herile quodnam dicatur.

Regnum herile dicitur, in quo Regi in ſubditos & res ſubditorum idem jus competit, quod domino in ſervum, ſeu in quo Regi præter poteſtatem civilem etiam dominica competit, aut, ſi mavis, dominica poteſtas cum civili miſcetur. *Ariſtoteles* hanc regni ſpeciem imperium δεσποτικὸν vocat, ab aliis *Dominatus* appellatur. Quoniam ſervus ad ope-

Digitized by Google

operas quascunque domino praestandas obligatur, quas praestare valet (§. 1106. *part.* 7. *Jur. nat.*) & quod per operas suas acquirit, id domini est (§. 1107. *part.* 7. *Jur. nat.*); *in regno herili Rex de operis subditorum sibi praestandis, & de rebus subditorum pro lubitu, seu, quemadmodum ipsi videtur, disponit & actiones publicas ad suam praecipue utilitatem dirigit.*

Imperia civilia instituta sunt salutis populi causa, prouti ex iis, quae de origine eorum in superioribus demonstrata sunt, abunde patet. Hinc & Rector civitatis, quacunque lege imperium in eum fuerit translatum, obligatur ad non faciendum ea, quae bono publico, consequenter saluti populi (§. 23. 5.), adversantur (§. 44.). Ac propterea Rex dicitur esse propter populum, non vero populus propter Regem. Ab hac vero Reip. forma abit regnum herile, ubi Rex intendit primario utilitatem suam, secundario autem eam, quae populi est, quatenus scilicet absque hac suam promovere nequit. Unde in regno herili populus est propter Regem, non vero Rex propter populum, sicuti servi sunt propter dominum, non vero dominus propter servos. Sunt qui imperium herile simpliciter damnant, tanquam juri naturae adversum; sed an semper injustum sit, accuratius discutiendum.

§. 265.

Aristocratia herilis.

Aristocratia quoque *herilis* dici potest, in qua optimatibus in subditos & res subditorum idem jus competit, quod domino in servum, seu potestas civilis cum dominica miscetur. Poterat hinc *Dominatus* in genere dici ea Reip. forma, in qua cum potestate civili miscetur dominica. Et hinc dominatus species erunt regnum herile & aristocratia herilis. Patet autem ut ante (§. 264.), *in aristocratia herili optimates imperare primario ad suam utilitatem, singulorum autem utilitatem nonnisi secundario intendere.*

Digitized by Google

Poteſtas dominica, quæ cum civili miſcetur in regno & ariſtocratia herili, non confundenda eſt cum dominio & imperio eminente, ſeu jure eminente in corpora & res ſubditorum. Hoc enim jus ſuperiori non competit niſi in caſu neceſſitatis & utilitatis publicæ cauſa (§. 116.); aſt illa conſtans eſt & propriam imperantis utilitatem reſpicit.

§. 266.

Imperium herile quidnam ſit.

Imperium herile dicitur, quod cum poteſtate dominica miſcetur, conſequenter per antea demonſtrata (§. 264.) *exercetur ad propriam utilitatem imperantis, & nonniſi ſecundario ad utilitatem ſubditorum.* Unde facile patet, *imperium herile non derivari a fine civitatis, cujus gratia conſtituitur, nec oriri ex pacto, quo civitates conſtituæ* (§. 4.).

Imperium herile ſuos admittit gradus, prouti jus in perſonas & res ſubditorum ultra finem civitatis magis, aut minus extenditur, quemadmodum etiam poteſtas dominica non ſemper eadem eſt, ſed a naturali, de qua in parte ſeptima egimus, nunc magis, nunc minus recedit.

§. 267.

In quanam forma Reip. locum habeat.

Quoniam in regno herili & ariſtocratia herili imperium civile miſcetur cum poteſtate dominica (§. 264. 265.), imperium vero herile eſt, quod cum poteſtate dominica miſcetur (§. 266.); *imperium herile locum habet in regno & ariſtocratia herili.*

In democratia fieri nequit, ut imperium civile degeneret in herile, cum populus imperet ad propriam utilitatem, utilitate publica non exiſtente alia, niſi quæ populo propria eſt, & libertatis ſuæ conſervandæ cauſa imperium in alium, vel alios transferre nolit. Nec dici poteſt, majorem partem, quæ jus in minorem habet, perinde imperare poſſe ad propriam utilita-

Digitized by Google

utilitatem in detrimentum partis minoris, ac Regem in regno, optimates in aristocratia herili: neque enim eædem personæ constanter in parte majore sunt, nec pars minor a majore obligatur ad aliquid sibi faciendum atque dandum, sicuti subditi obligantur a Rege in regno, ab optimatibus in aristocratia herili.

§. 268.

Monarchæ non competit imperium herile, nec optimatibus in aristocratia. Etnim monarchæ & optimatibus competit imperium, quale originarie in populo est (§. 133. 135.). Enimvero imperium civile, quale originarie penes populum est (§. 33.), consistit in jure determinandi ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 60.), nec juri eminenti, consequenter potestati in personas (§. 114.) & res civium (§. 111.), locum facit nisi quando usus ejus medium unicum est salutis publicæ in casu emergente promovendæ (§. 116.). Quoniam itaque imperium herile non est, quando Regi, vel optimatibus non competit jus in subditos & res subditorum, quale dominus habet in servum, nec idem exercetur primario ad imperantis utilitatem (§. 266.); monarchæ in monarchia, optimatibus in aristocratia non competit imperium herile.

An monarchæ & optimatibus competat imperium herile.

Quibus monarchiæ nomen invisum est, illi imperium absolutum cum herili perperam confundunt. Si imperium absolutum est, imperantis judicio saltem relinquitur, ut de negotiis publicis statuat, quemadmodum ipsi visum fuerit (§. 66.); hoc tamen non obstante, imperium is exercere non aliter tenetur, nisi saluti publicæ convenienter (§. 88.), consequenter non omnia dirigere ad privatam suam utilitatem, tanquam primarium finem. Non tamen negamus, in monarchia per abusum jus monarchæ facile degenerare posse in herile, siqui-

Digitized by Google

dem contingat imperantem jus potentia metiri, ita ut juſtum habeatur id, cui reſiſti non poteſt. Immo nec diſſitemur, tam in monarchia, quam ariſtocratia contingere, ut monarcha & optimates ſubinde imperio herili utantur, etſi monarchia in regnum herile, & ariſtocratia in herilem non prorſus mutetur.

§. 269.

An populus imperium herile transferre poſſit.

Si populus velit imperium herile transferre in Regem, vel optimates; hoc ipſi permittendum naturaliter, idem tamen transferre non præſumitur. Etenim imperium herile poteſtatem civilem cum dominica miſcet (§. 266.), ut Regi in monarchia (§. 264.), optimatibus in ariſtocratia competat jus in ſubditos eorumque res, quale domino in ſervos (§. 265.). Quoniam itaque naturaliter unicuique permittendum, ut ſe ſponte alteri det in ſervitutem pro lubitu ſuo (§. 1090. *part.* 7. *Jur. nat.*); naturaliter quoque permittendum eſt populo, ut imperium herile transferat in Regem, vel optimates. *Quod erat unum.*

Enimvero quando populus imperium transfert in Regem, vel optimates, non transfert, niſi quale originarie penes ipſum eſt, niſi expreſſe aliquid amplius dicatur: quod per ſe patet. Quoniam itaque imperium civile non conſiſtit niſi in jure determinandi ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 60.), præter hoc jus quoque non aliud transtuliſſe intelligitur populus, conſequenter imperium herile, quod poteſtatem dominicam imperio civili jungit (§. 266.), transtuliſſe nunquam præſumitur. *Quod erat alterum.*

Facilius dantur rationes, cur homo quidam alteri ſe ſua ſponte det in ſervitutem, quam cur integer populus hoc faciat,

Digitized by Google

ciat, qui in alium, vel alios non intelligitur transferre imperium alia de cauſa, quam quod imperium per unum, aut aliquos facilius ac commodius adminiſtrari poſſit, quam per populum univerſum, qui non modo non ſine moleſtia multoque ſumtu convenit, quando de negotio publicis in comitiis ſtatuendum, verum etiam difficulter adduci poteſt, ut amplectatur quod eſt melius, cum pluralitate votorum ſit ſtandum. Vix igitur concipi poteſt, ut populus nulla neceſſitate adactus ſponte ſua transferat in Regem, vel optimates imperium herile. Cum imperium civile per ſe non includat poteſtatem dominicam; quando agitur de imperio civili transferendo, de poteſtate dominica nulla incidit cogitatio, ſed imperium transfertur, quale in ſe eſt. Et ſi vel maxime populus imperium transferens non habeat diſtinctam, vel prorſus adæquatam juris hujus notionem; non tamen habet animum præter imperium jus aliud transferendi, conſequenter nec is, in quem id transfertur, vel minimi juris acquirere poteſt, quod ad imperium civile minime requiritur.

§. 270.

Quales ſint ſubditi in regno herili.

In regno herili ſubditi omnes ſubeunt ſervitutem perſonalem. Etenim in regno herili imperanti idem competit jus in populum, ſeu ſubditos, quod domino in ſervum, & ſuperior de operis ſubditorum atque de rebus eorundem pro lubitu disponere poteſt ad ſuam utilitatem (§. 264.). Quamobrem cum ſervitus perfecta ſit, ſi dominus operas alterius pro lubitu determinare poſſit ſibi præſtandas (§. 1083. *part.* 7. *Jur. nat.*) & quicquid per eas acquiritur, id domini eſt (§. 1107. *part.* 7. *Jur. nat.*), hic vero ſaltem ad vitæ conſervationem neceſſaria eidem dare debeat (§. 1105. *part.* 7. *Jur. nat.*); in regno utique herili ſubditi omnes ſubeunt ſervitutem perſonalem.

Digitized by Google

In regno herili illi, qui reguntur, non modo subditi sunt, verum etiam servi, nec cives proprie dici possunt, quod nomen competit iis, qui imperio civili subsunt. Omnia subditorum bona sunt imperantis propria, de iis autem tantum utendum relinquit idem singulis, quantum sibi visum fuerit, ut subditi scilicet conserventur & operas, quas exigit, præstare possint. Jus quoque imperanti competit in omnes actiones subditorum, ut singulorum operis uti possit, ad quod eas commodas judicaverit. Jus nimirum imperantis metiendum est ex jure domini in servum. Quodsi ergo noveris ea, quæ de jure naturali domini in servum demonstrata sunt; jus quoque imperantis heriliter in subditos haud difficulter definies. Quemadmodum vero in servitute personali mores gentium plurimum recedunt ab æquitate naturali; ita quoque in servitute civili, quæ obtinet in regno herili, mores gentium plurimum ab eadem æquitate removentur. Populus in regno herili spectatur tanquam servus, & singuli subditi sunt veluti membra servilis corporis, quæ ad varias functiones apta, quibus utilitas imperantis promovetur. Imperans dominus est & salvam vult Remp. propter se, quatenus scilicet utilitas propria promoveri nequit, nisi Rep. salva. Imperia herilia olim in toto oriente familiaria fuerunt, & hodienum in Africa omnique barbarie servantur. Sed mores & olim plus permiserunt, & hodienum plus permittunt, quam lege naturali permissum, sicuti idem obtinet in servitute personali. Quoniam apud eosdem populos servitus personalis in usu olim fuit & hodienum est; dubitandum quoque non est, quin ex notione servitutis personalis, quæ ipsis fuit, nata sit notio imperii herilis, ut jus Rectoris civitatis exæquaverint juri domini in servos, quali apud ipsos usi sunt domini, vel hodienum utuntur.

§. 271.

An regnum herile sit naturale.

Quoniam servitus personalis perfecta naturaliter licita, si quis non habet nisi operas, quarum præstatione sibi parare

Digitized by Google

parare valet ea, quæ ad vitæ neceſſitatem faciunt (§. 1087. *part. 7. Jur. nat.*), in regno autem herili ſubditi omnes ſervitutem perſonalem ſubeunt (§. 270.); *regnum* quoque *herile naturaliter in ſe illicitum non eſt.* *turaliter licitum.*

Licet populo ſeſe imperanti in ſervitutem dare, ſi aliter ſeſe ſervare nequeat. Huc etiam pertinet, ſi is, cui imperium defertur, aliter id accipere nolit, niſi ut ſit herile. Immo quemadmodum *Ariſtoteles* quosdam natura ſervos eſſe dixit, hoc eſt, ad ſervitutem magis, quam libertatem aptos; ita quoque populi quidam eo ſunt ingenio, ut imperium herile rectius ferant, quam civile, & ſalva magis eſſe poſſit Resp. ſi qui regunt imperio herili utantur, quam ſi civili. Qui argutantur, omne regimen ejus, qui regitur, cauſa eſſe comparatum; ſumunt, quod probare debebant, ſed non poterant probare, cum ex notione regiminis minime ſequatur, & regimen dominicum reclamet.

§. 272.

Si populus in imperium herile conſentit, regnum herile injuſtum non eſt. Etenim quando populus in imperium herile conſentit, naturaliter ipſi permittendum eſt, ut eidem ſeſe ſubjiciat (§. 269.). Quoniam igitur imperium herile exercendo tum nihil committitur, quod ſit contra jus populi, injuſtum autem non eſt, quod non eſt contra jus alterius (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*); imperium quoque herile, in quod populus conſentit, injuſtum non eſt. *Quando imperium herile non ſit injuſtum.*

Sunt qui imperium herile omne tanquam in ſe injuſtum pronunciant, & regnum herile idcirco pro tyrannide habeant. Enimvero hi ſunt, qui ex notionibus diſtinctis rationes ſubducere non didicerunt, & quibus invidioſum reddit herile imperium abuſus, exercitium ejus plerumque comitans, quemadmodum abuſus poteſtatis dominicæ invidioſam fecit ſervitutem,

Digitized by Google

tutem, quæ in ſe nihil injurioſi habet. Quemadmodum melior eſt conditio hominis liberi, quam ſervi; ita quoque ultro conceditur, meliorem eſſe conditionem eorum, qui imperio civili, quam illorum, qui herili ſubſunt. Non tamen inde ſequitur, imperium herile in ſe eſſe injuſtum, ſicut & ſervitus nihil injuſti in ſe habet. Et ſicuti ſervitus non propterea damnatur, quod ſit contra naturam, quatenus ſcilicet adverſa libertati juri omnium hominum connato (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*); ideo nec imperium herile damnandum, quod ſit contra naturam civitatis, quatenus ſcilicet adverſatur fini, cujus gratia civitas conſtituta. Quoniam hic nondum agitur de imperio jure belli acquiſito, quippe quod ad Jus Gentium ſpectat; ita quoque in præſenti nondum definire licet, utrum jure belli imperium herile acquiri poſſit, nec ne.

§. 273.

De officiis humanitatis ſubdito præſtandis.

In omni Reip. forma Rector civitatis ſubditis obligatur præſtare officia, quæ homo homini debet. Per ſe nimirum patet, hominem, propterea quod tanquam ſubditus poteſtati Rectoris civitatis ſubjicitur, non deſinere eſſe hominem. Quamobrem quæ homo homini naturaliter debet, ea quoque, ob immutabilitatem obligationis naturalis (§. 146. *part. 1. Phil. pract. univ.*), Rector civitatis in omni Reip. forma ſubditis debet, conſequenter iisdem officia, quæ homo homini debet, præſtare obligatur.

Rector civitatis ſubditos duplici modo conſiderare tenetur, tanquam ſubditos & tanquam æque homines. Quatenus eos conſiderat tanquam ſubditos, ea ab ipſis exigere poteſt, quæ a ſubdito debentur; quatenus vero eosdem ſpectat tanquam æque homines, iisdem præſtare tenetur officia, quæ homo homini debet.

§. 274.

Etiam in regno herili.

Quoniam in omni Reip. forma Rector civitatis ſubditis

Digitized by Google

ditis obligatur præſtare officia, quæ homo homini debet (§. 273.); *in regno* quoque *herili Rex ſeu imperans obligatur ſubditis præſtare officia, quæ homo homini debet.*

Oſtendi idem poterat etiam hoc modo. In regno herili Regi ſeu imperanti competit ea poteſtas in ſubditos, quæ domino in ſervos (§. 264.). Enimvero dominus obligatur ſervo præſtare officia, quæ homo homini debet (§. 1099. *part. 7. Jur. nat.*). Ergo etiam Rex ſeu imperans in regno herili obligatur ſubditis præſtare officia, quæ homo homini debet.

Quemadmodum ſervitus nihil habet, quod injurioſum videri poſſit, ſi dominus hoc ſubſervet; ita quoque ab imperio herili recedit odium, ſi qui heriliter imperat, idem animo firmiter infixum habeat.

§. 275.

Similiter quia *Rector civitatis quilibet* ſubditis obligatur præſtare officia, quæ homo homini debet (§. 273.); ideo *ſibi cavere debet, ne in exercendo imperio, etiam herili* (§. 274.), *quicquam committat; quod officiis repugnet, quæ homo homini debet, nec ſubditum aliter ſibi obligatum exiſtimet, quam officia iſta permittunt.* *De imperio, etiam herili, rite exercendo.*

Abſit autem, ut tibi perſuadeas, imperium herile officiis hiſce repugnare, ac propterea injuſtum eſſe, tanquam juri humanitatis adverſum. Qui enim ita ſentiunt, ad facta heriliter imperantium animum attendunt, non ad modum, quo illud exerceri debet. Quemadmodum ſervitus non eſt jugum nimis durum ac intolerabile, ſi officia, quæ homo homini debet, dirigunt exercitium poteſtatis dominicæ (*not.* §. 1100. *part. 7. Jur. nat.*); ita quoque imperium herile non imponit

Digitized by Google

ſubditis jugum nimis durum ac intolerabile, ſi eadem officia exercitium ejus dirigunt.

§. 276.

De amore ſubditorum etiam in regno herili & eorum felicitate promovenda.

Cum Rector quilibet civitatis obligetur ſubditis præſtare officia, quæ homo homini debet (§. 273.), etiam in regno herili (§. 274.), homo autem hominem quemcunque amare (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*) & diligere debeat tanquam ſeipſum (§. 618. *part. 1. Jur. nat.*), & operam dare, ut alii quoque homines ſint felices (§. 614. *part. 1. Jur. nat.*); *Rector quilibet civitatis, etiam in regno herili, ſubditos amare & diligere debet tanquam ſeipſum, atque operam dare, ut ſint felices.*

Non eſt infra majeſtatem Rectoris civitatis ſubditos conſiderare tanquam æque homines, ac per conſequens voluptatem percipere ex eorum felicitate, ac ideo eandem promovere. Ecquis enim eſt, qui ſibi vel aliis perſuaſerit, eſſe infra majeſtatem divinam, ut Numen ſupremum amet homines & eos velit eſſe felices? Nemo ſane magis felicitatem generis humani promovere poteſt, quam Rector civitatis. Quo vero quis felicitatem aliorum magis promovere valet, eo magis quoque ad eandem promovendum obligatur (§. 177. *part. 1. Jur. nat.*). Nec obſtat, quod imperium herile exerceatur ad Rectoris primario utilitatem. Id enim de bonis ac libertate ſubditorum derogare quiddam poteſt, ut iidem ſint minus fortunati (§. 409. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nequaquam vero neceſſe eſt, ut propterea reddantur infelices (§. 410. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi Rector civitatis perpetuo perpendat, quid ſuadeat amor, quemadmodum perpendere debet, qualiscunque tandem fuerit Reip. forma (§. 275.); verendum non eſt, ne imperium herile minore religione exerceatur, quam aliud quodcunque.

§. 277.

Digitized by Google

§. 277.

A voluntate populi regnum condituri unice dependet, utrum imperium in unum ita transferre velint, ut sedes vacans per electionem repleatur; an vero ita, ut successio juxta certum ordinem ab uno in alium devolvatur. Et ab eadem voluntate pendet, quamnam electionis ac successionis legem condere velit. Etenim populus pro lubitu imperium in unam personam transferre potest, & a voluntate ipsius dependet, qua lege transferre velit (§. 36.). Quamobrem cum idem transferre possit in personam unam ad certum tempus, etiam revocabiliter, vel ad dies vitæ, idque tanquam transmissibile in certos alios, aut tanquam non transmissibile (§. 38.); regnum conditurus pro lubitu imperium ita transferre potest, ut sedes vacans per electionem repleatur, aut ut successio juxta certum ordinem ab uno in alium devolvatur. *Quod erat unum.*

Diversitas regnorum unde oriatur.

Enimvero cum unice a populi voluntate dependeat, in quemnam imperium transferre velit (§. 36.), & num per se, vel per alios Regem eligere velit; ab eadem quoque pendet legem condere tam electionis, quam successionis. *Quod erat alterum.*

§. 278.

Regnum dicitur *electivum*, quando populus eligit successorem, Rege deficiente, aut jus eligendi in alios transtulit.

Regnum electivum quid sit.

Nimirum in regno electivo imperium transfertur in Regem ad dies vitæ, aut, si temporarium fuerit, vel precarium, ad certum tempus irrevocabiliter, aut ad tempus indefinitum revocabiliter. Quamobrem in utroque casu a Rege nunc regnante transmitti nequit in alium.

Digitized by Google

§. 279.

Regnum successorium quid sit.

Regnum successorium dicitur, quando in locum Regis deficientis certa lege succedit alius.

Quando scilicet regnum successorium introducitur, populus in Regem transfert imperium tanquam certa lege transmissibile in alios, ut ideo deficiente statim adsit, qui succedat, nec nova demum electione opus sit.

§. 280.

De mutatione aristocratiæ in regnum.

Si aristocratia fuerit patrimonialis, a voluntate optimatum dependet, num regnum successorium, vel electivum introducere velint, & pro lubitu legem electionis ac successionis condere possunt. Etenim si aristocratia fuerit patrimonialis, optimates formam Reip. mutare possunt (§. 224.). Quamobrem cum regnum sit forma quædam Reip. (§. 139.), idque vel electivum (§. 278.), vel successorium (§. 279.); regnum quoque tam electivum, quam successorium condere, cumque non uno modo de electione & successione statui possit, leges quoque electionis & successionis condere valent. Pendet igitur a voluntate optimatum in aristocratia patrimoniali, num regnum successorium, vel electivum introducere velint, ac pro lubitu legem electionis ac successionis condere possunt.

Nimirum quod potest populus in democratia circa translationem imperii, idem etiam possunt optimates in aristocratia patrimoniali, quippe qui jus populi de substantia imperii disponendi habent. Non nego fieri posse, ut, cum aristocratia constitueretur, optimatibus concessum fuerit eam in regnum mutandi, si ita visum fuerit, sed nonnisi sub certa lege, veluti ut ex familiis optimatum, qui magno numero sunt, ab ipsis eligatur Rex, & regnum non sit nisi electivum. Enimvero talia

Digitized by Google

talia supponunt peculiaria pacta a populo cum optimatibus inita, quando imperium in ipsos transferebatur. Nobis vero in propositione sermo est de imperio simpliciter in optimates translato, sicuti in aliis, quando non expresse aliud dicitur.

§. 281.

An imperium in foeminas transferri possit.

At voluntate populi dependet, utrum imperium etiam in foeminas transferre velit, nec ne. Etenim populus de imperio, tanquam re sibi propria (§. 34.), pro lubitu disponere potest (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter idem transferre in eam personam, a qua id exercitum iri confidit saluti publicæ convenienter (§. 88.). Quodsi ergo existimet imperium a foemina saluti publicæ convenienter exerceri posse; permittendum ipsi est, ut in eandem imperium transferat. A voluntate igitur populi dependet, utrum imperium etiam in foeminas transferre velit, nec ne.

Populus nimirum cum naturaliter liber sit (§. 55.), ut suo stet judicio permittendum est (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Nec quæritur, annon melius sit foeminas ab imperio excludere, quam eas ad idem administrandum admittere: jus enim facit populi voluntas, non vero quod melius est, ideo jus est, etsi naturaliter obligemur ad id, quod melius est, alteri præferendum (§. 192. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Obtinet hoc in omni translatione juris, nec ideo in translatione imperii hoc singulare est. Qui foeminas ab imperio excluſas esse volunt, eas ad imperandum parum aptas pronunciant vel defectu earum dotium, quæ ad recte imperandum requiruntur, vel quod omnibus negotiis publicis veluti si populus adversus vim hostium defendendus, interesse nequeunt. Sed ratio prior fallit, experientia teste; posterior vero nihil probat, cum imperans per alios facere possit, quod per se facere nequit, nec ea de causa ab imperio arceantur viri. Qui objiciunt, per foeminas in extraneum devolvi imperium posse, si successorium

Digitized by Google

fuerit, eorum ratio nulla eſt, cum a populi voluntate dependeat, utrum imperium in extraneam perſonam transferre velit, nec ne (§. 36.).

§. 282.

In quanam regni ſpecie id fieri poſſit.

Quoniam a voluntate populi dependet, utrum imperium etiam in foeminas transferre velit, nec ne (§. 281.); *non minus in regno electivo foeminam, quæ imperet, eligere, quam in ſucceſſorio eam ſucceſſionis legem condere poteſt, ut certo ordine etiam ſuccedant foeminæ.*

Rarius contingit foeminas eligi, quam in regno ſuccedere. Eadem vero ratio, quæ in regno ſucceſſorio foeminas admittit, eas quoque eligi permittit.

§. 283.

De jure ſucceſſorem eligendi in regno patrimoniali.

Si regnum fuerit patrimoniale, Rex ſibi ſucceſſorem eligere poteſt, quem voluerit, filium, vel filiam, ſive natu majorem, ſive minorem, perſonam ſibi cognatam, vel nullo ſanguinis vinculo ſibi junctam, etiam extraneam. Quodſi enim regnum fuerit patrimoniale, imperium in patrimonio Regis eſt (§. 155.) conſequenter quoad ſubſtantiam in ipſum translatum, ſeu jure proprietatis idem poſſidet (§. 39. 40.), quoniam itaque de ipſa ſubſtantia imperii disponere poteſt pro lubitu ſuo (§. 131. *part. 2. Jur. nat*); idem transferre poteſt in quamcunque perſonam voluerit, conſequenter in filium, vel filiam, ſive natu minorem, ſive majorem, in perſonam ſibi cognatam vel nullo ſanguinis vinculo junctam, etiam extraneam.

Si regnum fuerit patrimoniale, nemini competit jus ſuccedendi: implicat enim de ſubſtantia imperii disponere poſſe pro lubitu ſuo & alicui competere jus ſuccedendi, quod violari

Digitized by Google

lari minime poterat, si pro lubitu suo de eo disponere, consequenter id in alium transferre vellet (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*). Nec est, quod objicias, si imperium sit in patrimonio, jure hæreditario id devolvendum esse ad liberos vel cognatos proximos: neque enim imperium ad hæreditatem pertinet, quod utique demonstrandum.

§. 284.

Actus Regis regii sunt, qui pertinent ad exercitium imperii; *Actus* vero *Regis privati* sunt, qui ad idem non pertinet. *Actus Regis regii & privati quinam sint.*

Ita leges ferre, tributa indicere, magistratus constituere, actus regii sunt: ast nubere, res sibi comparare ad victum & amictum vitæque commoditatem ac jucunditatem necessarias actus Regis privati sunt.

§. 285.

Quoniam Rex persona moralis est, consequenter Rex non est, nisi quatenus imperium habet (§. 70. *part. 1. Jur. nat.* & §. 139.), actus vero regii sunt, qui ad exercitium imperii pertinent, ceteri privati (§. 284.); *Rex quoad actus regios tanquam Rex, quoad actus vero privatos tanquam persona privata spectandus*, consequenter *quoad actus privatos non fruitur nisi jure privatorum.* *Quatenus Rex tanquam persona privata spectatur.*

Plurimum refert, ut actus regis regii ab actibus ejus privatis distinguantur, ne jus Regis latius extendatur, quam par est, & imperium regium in herile convertatur. An vero actus regis privati subsint legibus civilibus, an saltem naturali suo loco discutiemus.

§. 286.

Digitized by Google

§. 286.

De bonis Regis regiis & privatis.

Bona Regis regia vel publica ſunt, quorum uſus ad imperii adminiſtrationem & ſplendorem regium perpetuum deſtinatus. *Bona* vero *Regis privata* ſunt, quæ ad uſus ipſius privatos deſtinantur, aut quocunque modo ab ipſo acquiruntur. Hæc etiam dicuntur *Bona ipſi propria.*

Rex conſiderari poteſt tanquam Rex & tanquam privatus (*not.* §. 285.). Quamobrem etiam bona, quæ habet, vel tanquam Rex, vel tanquam privatus habet. Rex eſt, quatenus imperium exercet, in ceteris ſpectatur tanquam privatus. Quamobrem qua Rex habet ea bona, quorum uſus ad imperii adminiſtrationem requiritur, & qui ad ſplendorem regium perpetuum deſtinatur: qua privatus vero habet, quæ illuc non faciunt, nec reſpectu imperii ab ipſo acquiruntur. Ita pecuniæ, quæ contribuuntur ad uſus bellicos, tormenta bellica & alius belli apparatus in bonis Regis regiis ſunt: aſt quæ tabulæ regiæ ſuſtentandæ cauſa dantur in bonis ejus propriis ſunt. Similiter quæcunque Rex dotis nomine accipit, vel jure hæreditario acquirit, bona ejus propria, ſeu privata ſunt; ſed pecuniæ, quæ contribuuntur ad ferenda onera imperii in bonis Regis regiis ſunt.

§. 287.

De bonis iſtis non confundendis.

Quoniam bonorum regiorum uſus ad imperii adminiſtrationem & ſplendorem Regis perpetuum deſtinantur; privata vero ad uſus ipſius privatos (§. 286.); *bona regia a privatis actu ſunt ſeparata bona, nec cum his in unam maſſam confundi poſſunt.*

Vidimus Regem duplicem repræſentare perſonam, nimirum perſonam moralem, quæ regis nomine venit, & perſonam privatam, quatenus ſcilicet homo eſt & aliis perſonis privatis quoad certos actus æquiparatur (§. 285.). Bona igitur

Digitized by Google

tur alia habet tanquam Rex; alia tanquam privatus. Quemadmodum itaque actus regii cum actibus Regis privatis confundendi non sunt, nec eidem juri subjecti; ita quoque bona regia cum bonis Regis privatis confundi minime debent, nec ejusdem sunt juris.

§. 288.

Cum bona regia a privatis sint separata bona, nec cum his massam unam constituere possint (§. 287.); *si Rex imperium in patrimonio habeat, seu regnum fuerit patrimoniale; bona tamen regia a bonis Regis privatis actu sunt separata, ipso nimirum jure*, consequenter *si cui competit aliquod jus succedendi in bonis privatis, non tamen ideo jus competit succedendi in bonis regiis*, & per consequens *Rex qui imperium habet in patrimonio aliter disponens de bonis regiis, aliter de privatis nihil facit, quod est contra jus eorum, qui in bonis privatis succedendi jus habent.*

An ea maneant separata in regno patrimoniali.

E. gr. Etiamsi Rex filium exhæredare non possit, sine justa causa (§. 1000. *part. 7. Jur. nat.*); imperium tamen cum bonis regiis in extraneum transferre potest. Exemplum habemus in primis Sinensium imperatoribus, qui filiis præteritis alios in imperio successores constituerunt, quos ad imperium exercendum aptiores judicabant.

§. 289.

Immo quia bona regia a privatis sunt separata bona, nec cum his in unam massam confundi possunt (§. 287.); *in omni regno bona Regis regia & bona ejus privata eidem juri minime subsunt, nec eodem modo in utrisque succeditur, nec qui in his succedit, necessario etiam succedere debet in istis, nec qui in imperio succedit, succedere etiam debet in bonis Regis privatis*, consequenter *successio in imperio semper diversa manet ab hæreditate* (§. 960. *part. 7. Jur. nat.*).

An in iis eadem sit ratio in omni regno.

Digitized by Google

Ad hæreditatem quidem pertinent omnia jura, quæ oriuntur ex dominio, cui res ad vitæ neceſſitatem, commoditatem ac jucunditatem requiſitæ ſubjiciuntur (*§.* 964. *part.* 7. *Jur. nat.*); non tamen propterea imperium ad eandem pertinet: quod ſi ſit in uſufructu, per ſe patet, id bonis ceteris accenſendum non eſſe, ſi vero fuerit in patrimonio, manet tamen jus diverſum ab iis, quæ ex dominio rerum ortum trahunt, quippe quod originem ſuam trahit ex civitate tanquam ſocietate (§. 4. *b.* & §. 213. *part.* 7. *Jur. nat.*). Sane ſi nulla eſſent dominia rerum, imperio tamen civili poterat eſſe locus, ne communio rerum pareret lites & bella continua. Unde etiam non defuerunt, qui communionem bonorum mixtam, quam vocamus (§. 129. *part.* 2. *Jur. nat.*), qualis obtinet inter Religioſos apud catholicos, in Rep. introduci voluerunt, quos inter eminet *Campanella* in Rep. Solis. Quodſi ea perpenderis, quæ de communione primæva prolixe demonſtravimus in parte ſecunda, & finem civitatis in ſuperioribus explicatum tractinaveris; nihil ſupererit, quod dubium movere poſſet. Immo ordines religioſorum votum paupertatis cum voto obedientiæ conjungentes abunde loquuntur, quod & quomodo imperium cum communione mixta conjungi poſſit. Neque aliunde ſeſe probavit idea Reip. in qua communio eſſet bonorum, *Campanellæ*, quam quod ordines Religioſorum ejus commoda ipſum docuerant, ac ipſe eadem expertus fuerat, cum eſſet ex familia S. *Dominici*: fit ita, quod eadem commoda non tanta facilitate obtineri queant in civitate, quemadmodum in ordinibus religioſorum, etſi hi ordines repraeſentent ſpeciem quandam Reip. in qua communio bonorum viget, cum iidem etiam fruantur commodis, quæ ex Rep. proveniunt, quatenus in ea dominia locum habent.

§. 290.

Jus disponendi de bonis regiis.

Si regnum fuerit patrimoniale, Rex de bonis regiis & de ſucceſſione in iisdem perinde disponere poteſt, ac de bonis ſuis privatis.

Digitized by Google

vatis. Quodsi enim regnum fuerit patrimoniale, non minus bona regia, tanquam ad imperii administrationem aut splendorem regium perpetuum requisita (§. 286.), in ipsius patrimonio, consequenter dominio (§. 452. 448. *part. 2. Jur. nat.*), sunt (§. 155.), quam privata. Quamobrem cum dominus de rebus suis (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*), etiam de successione in iisdem pro lubitu disponere possit (§. 1025. 1005. 1008. *part. 7. Jur. nat.*); Rex etiam de bonis regiis, quemadmodum de privatis disponere potest. Cumque permittendus sit unicuique etiam abusus dominii sui (§. 169. *part. 2. Jur. nat.*); ipsi etiam permittendum est, ut de bonis regiis aliter disponat, quam ut eadem in administrationem imperii, aut conservationem splendoris regii impendat atque conservet, consequenter eodem prorsus modo de iisdem & de successione in iisdem disponere potest ac de bonis suis privatis. *nis Regi competens in regno patrimoniali.*

Manent hoc non obstante bona regia a bonis Regis privatis actu separata (§. 287.), quamvis vi liberæ administrationis illorum ipsi *per demonstrata* permittendum sit, ut de iis aliter disponat, quam debebat, veluti bona regia & privata in unam personam conferens, etiamsi imperium in aliam transferat. Quodsi objicias, jus eligendi successorem a populo in Regem esse delatum, sed ea lege, ut bona quoque regia promiscue omnia maneant successoris; id ex pacto singulari venit, non ex regni patrimonialis simpliciter talis, cui scilicet nulla pacta adjecta sunt, notione fluit. Per pacta nimirum immutari posse jura, noto notius est.

§. 291.

Si regnum fuerit patrimoniale, Rex formam Reip. mutare potest, ac imperium in partes potentiales dividere. Quoniam in regno patrimoniali Rex imperium habet in patrimonio (§. 155.), *De mutatione regni patrimonialis.*

Digitized by Google

quemadmodum in ariſtocratia patrimoniali habent optimates (§. 156.); Rex in regno patrimoniali idem facere poteſt, quod facere licet optimatibus in ariſtocratia patrimoniali. Enimvero optimates in ariſtocratia patrimoniali perfecte tali formam Reip. mutare & imperium in partes potentiales dividere poſſunt, quippe qua diviſione forma Reip. mutatur (§. 224.). Ergo etiam Rex in regno patrimoniali formam Reip. mutare poteſt ac in partes potentiales dividere.

Poterat propoſitio præſens eodem modo demonſtrari, quo idem de optimatibus in ariſtocratia perfecte patrimoniali oſtendimus (§. 224.); ſed ne demonſtratio eadem repetenda foret, eam dependenter a propoſitione ſuperius demonſtrata demonſtrare maluimus, non quod ea neceſſario ſupponi debeat, ſed quia nobis viſum fuit de ariſtocratia agere, antequam de monarchia egimus. Contrarium fieri poteſt, ſi de monarchia priori loco agatur.

§. 292.

Quid ſit regnum patrimoniale perfecte ac imperfecte tale.

Regnum patrimoniale perfecte tale eſt, ſi omnis proprietas imperii fuerit penes Regem: *imperfecte* vero *tale*, ſi ſaltem jus transferendi imperium pro lubitu fuerit penes Regem.

Proprietas varia complectitur jura, prouti vidimus in parte ſecunda, quæ ſunt partes ejus potentiales, quatenus a ſe invicem ita ſeparari poſſunt, ut diverſis ſubjectis inhæreant. Quando regnum patrimoniale ſimpliciter dicimus, proprietatem omnem imperii Regi competere ſumimus, neque enim jus ullum ad eam pertinens excipitur, ac propterea ſemper intelligitur regnum patrimoniale perfecte tale, niſi expreſſe aliud dicatur, hoc eſt, niſi modus habendi imperium quoad proprietatem ad certum quoddam jus, tanquam partem ipſius poten-

Digitized by Google

potentialem restringatur: prouti idem obtinet in aliis quoque juribus, quæ partes potentiales habent.

§. 293.

Si regnum patrimoniale non fuerit nisi imperfecte tale; Rex formam Reip. immutare nequit, neque eam in partes potentiales dividere potest. Etenim si regnum patrimoniale fuerit nonnisi imperfecte tale, Regi saltem competit jus imperium pro lubitu transferendi (§. 292.), non vero praeterea aliud, quod ad proprietatem pertinet. Quamobrem jus immutandi Reip. formam eidem non competit, consequenter eandem immutare nequit (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

De jure in regno patrimoniali imperfecte tali

Cumque forma Reip. immutetur, si in partes potentiales dividatur (§. 63.), Rex autem in regno patrimoniali imperfecte tali eandem immutare nequeat *per demonstrata n. 1.* in regno patrimoniali imperfecte tali Rex imperium in partes potentiales dividere nequit. *Quod erat alterum.*

Non attenduntur hic pacta alia translationi imperii adjecta, quibus modus habendi imperium restringitur. Quodsi enim talia adjecta fuerint pacta, ex ipsis definiendum, quid Regi liceat, quid minus. Sed prolixum nimis foret, omnia ista pacta in præsenti discutere velle.

§. 294.

Si regnum fuerit patrimoniale voluntate populi, in partes subjectivas dividi nequit, nisi hoc expresse fuerit permissum, aut populus in divisionem consentiat: quodsi vero independenter a voluntate populi imperium patrimoniale Rex acquisivit, idem quoque in partes subjectivas dividere potest. Quodsi enim regnum fuerit patrimoniale populi voluntate, proprietatis jus extendi

Num imperium patrimoniale in partes subjectivas dividi possit.

Digitized by Google

nequit ultra voluntatem populi, quod per se patet. Enimvero quando imperium voluntate populi transfertur in Regem, id fieri non præsumitur nisi sub tacita hac clausula, ne in partes subjectivas dividatur, nisi expresse aliud dicatur (§. 235.). Quamobrem si regnum patrimoniale fuerit voluntate populi, in parte subjectivas dividi nequit, nisi hoc expresse a populo fuerit permissum. *Quod erat primum.*

Quoniam vero perinde est, sive populus in delatione imperii expresse permittat divisionem imperii in partes subjectivas, sive in divisionem, quam Rex intendit, consentiat, aut factam ratihabeat, quod per se patet; si regnum patrimoniale vel maxime fuerit voluntate populi, hoc tamen non obstante in partes subjectivas dividi potest, si populus in divisionem consentiat. *Quod erat secundum.*

Quodsi denique Rex independenter a voluntate imperium patrimoniale acquisivit, quod quomodo fieri possit suo loco ostendetur; in disponendo de substantia imperii unice dependet a propria voluntate ac idem prorsus habet jus, quod populo originarie competit. Quamobrem cum populus universus unanimi consensu imperium in partes subjectivas dividere possit (§. 234.); Rex quoque, qui imperium patrimoniale independenter a voluntate populi habet, idem in partes subjectivas dividere potest. *Quod erat tertium.*

Ne nodum in scirpo quærant, qui ad carpendum alios sunt proni; tenendum est, quod eum independenter a populi voluntate imperium patrimoniale habere dicamus, in quem populus proprio motu idem non transtulit, sed qui alio quocunque modo, veluti jure belli, idem acquisivit. Ceterum ex præsentis demonstratione patet, in genere dici non posse, quod regnum patrimoniale a Rege dividi possit pro lubitu inter

Digitized by Google

ter liberos suos, multo autem minus quod dividi debeat inter liberos utriusque sexus, si Rex voluntatem suam de successione in imperio minime declaret, antequam moriatur, ut loco unius imperii summi oriantur plura (§. 232.), consequenter loco regni unius regna plura.

§. 295.

Si regnum fuerit patrimoniale independenter a voluntate populi; Rex, qui voluntatem suam de successione in imperio non declaravit, non præsumitur voluisse, ut imperium in partes subjectivas dividatur, sed potius, ne dividatur. Etenim si imperium dividitur in partes subjectivas, tot oriuntur summa imperia, in quot partes subjectivas id fuit divisum (§. 232.) & diversæ populi partes diversis imperiis subjiciuntur (§. 231.), consequenter potentia in singulis regnis minuitur, cum minor multitudo hominum non adeo valide sese defendere possit adversus vim externam, quam major. Immo divisio imperii in partes subjectivas non satis convenit fini omni civitatis, quod finem hunc consideranti facile patet (§. 4.). Quamobrem cum Reges malint esse potentes, quam impotentes, & potentiam suam augere potius studeant, quam non augere, nec facile velle videntur ea, per quæ finis civitatis non satis obtinetur, nisi affectu perverso in contrarium abripiantur; nec Rex, etiamsi imperium independenter a voluntate populi habet, ac idem in partes subjectivas pro lubitu dividere possit, ubi voluntatem suam de successione in imperio non declaravit, præsumitur voluisse, ut imperium in partes subjectivas dividatur. *Quod erat unum.*

An Rex, qui imperium in patrimonio habet independenter a populi voluntate, præsumatur voluisse, ut in partes subjectivas dividatur.

Enimvero quoniam imperium vel dividendum est in partes subjectivas, vel non dividendum, cum tertium non detur, Rex autem, etiamsi idem in patrimonio habeat independen-

Digitized by Google

pendenter a voluntate populi, non tamen præsumitur voluisse, ut in partes subjectivas dividatur *per demonstrata*; utique idem voluisse præsumitur, ne dividatur. *Quod erat alterum.*

Parum sapientes se probant Reges, qui imperium in partes subjectivas dividunt, præsertim si dividunt inter liberos utriusque sexus, ut per filias devolvatur in extraneos. Quamobrem præsumtio divisionis in partes subjectivas etiam repugnat sapientiæ Regis. Quilibet autem Rex præsumitur intelligere ea, quæ e re civitatis sunt, & quæ regnum suum stabile ac firmum etiam posteris suis faciunt.

§. 296.

An liberi omnes in partes subjectivas æquales succedere debeant.

Quoniam Rex, si vel maxime regnum fuerit patrimoniale independenter a voluntate populi, quando voluntatem suam de successione in imperio non declaravit, non præsumitur voluisse, ut imperium in partes subjectivas dividatur, sed potius, ne dividatur (§. 295.); *in regno patrimoniali independenter a voluntate populi tali, quando Rex voluntatem suam de successione in imperio non declaravit, succedere nequeunt liberi omnes defuncti simul, ita ut imperium in partes æquales subjectivas inter ipsos dividatur.*

Equidem vulgo simpliciter asseritur, in regno patrimoniali utriusque sexus liberos succedere in partibus subjectivis æqualibus, quemadmodum in hæreditate, nisi Rex de successione aliter disposuerit; sed qui ita sentiunt, tacite supponunt, non dari regna patrimonialia libera populi voluntate constituta, sed si qua dentur, ea populo invito esse introducta, vi præcipue armorum. Sed cum in se minime repugnet, ut etiam populus imperium patrimoniale transferat in Regem, & subinde esse possit is Rep. status, ut istiusmodi translationem suadeat ipse civitatis finis, qualis fuisse videtur initio imperii Sinici,

Digitized by Google

nici, de quo alias diximus in Notis ad Orationem de Sinarum philoſophia practica; inter imperium patrimoniale voluntarium atque invitum utique diſtinguendum erat. Si qui hebetiores imperium ad hæreditatem referunt; illos in unum confundere a ſe invicem ſeparanda, ex anterioribus facile patet.

§. 297.

Regnum voluntarium dicitur, quando imperium libera voluntate populi in Regem fuit delatum: aſt *invitum*, quando imperium Regi alio quocunque modo, veluti vi armorum in populum invitum acquiſitum. Poſſunt etiam *Imperia* eodem modo diſtingui. *Regnum voluntarium & invitum quid ſit.*

Hic loci agitur de regnis voluntariis, niſi expreſſe aliud dicatur. De regnis autem invitis, quæ jure belli acquiruntur, agemus in Jure Gentium. *Regna* etiam *patrimonialia voluntaria* ſunt, quæ talia ſunt voluntate populi; *invita* autem, quando independenter a voluntate populi imperium patrimoniale Rex habet.

§. 298.

De regno patrimoniali voluntario teſtari poteſt Rex, ea tamen lege, ut maneat indiviſum, niſi voluntate populi diviſio expreſſe permiſſa, aut populus in eam conſentiat; aſt de invito, quomodocunque libuerit. Si enim regnum patrimoniale fuerit voluntarium, imperium patrimoniale in Regem populi voluntate fuit delatum (§. 297.), conſequenter Rex ſibi ſucceſſorem eligere poteſt, quem voluerit (§. 283.), ſed non dividere in partes ſubjectivas, niſi hoc expreſſe a populo fuerit permiſſum, aut populus in diviſionem conſentiat (§. 294.). Quamobrem cum per teſtamentum voluntatem ſuam de ſucceſſione in imperio Rex declarare poſſit (§. 994. *part.* 7. *Jur. nat.*) & teſtamentum naturaliter facere liceat (§. 999. *De regno per teſtamentum relicto.*

Digitized by Google

part. 7. Jur. nat.); de regno patrimoniali voluntario Rex teſtari poteſt, ea tamen lege, ut maneat indiviſum, niſi voluntate populi diviſio expreſſe permiſſa, aut populus in eam conſentiat. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi regnum patrimoniale fuerit invitum, imperium in Regem non voluntate populi delatum, ſed is idem alio quodam modo, veluti vi armorum acquiſivit (§. 297.), conſequenter imperium patrimoniale independenter a populi voluntate habet. Quamobrem cum in hoc caſu imperium in partes ſubjectivas dividere poſſit (§. 294.), de eodem vero etiam teſtari *per demonſtrata*; de regno patrimoniali invito Rex per teſtamentum quomodocunque disponere poteſt, ſcilicet ut idem maneat indiviſum, ſive ut inter duos, aut plures dividatur in partes ſubjectivas æquales, aut quacunque ratione inæquales. *Quod erat alterum.*

Cum imperium non pertineat ad hæreditatem, ſeu univerſitatem rerum Regis privatarum poſt mortem relictarum, teſtamentum autem ſit declaratio voluntatis de translatione dominii rerum poſt mortem ſuam relictarum (§. 994. *part. 7. Jur. nat.*); non videtur Rex de regno teſtari poſſe. Teſtamenta nimirum non videntur convenire niſi rebus, quæ ſunt in dominio privatorum. Enimvero dubium hoc haud difficulter removetur. Rex nimirum duplicem repræſentat perſonam, moralem ſcilicet, quatenus Rex eſt, hoc eſt, imperium habet, & phyſicam, quatenus privatus eſt, hoc eſt, homo, qui perinde ac alii rebus indiget ad vitæ neceſſitatem, commoditatem atque jucunditatem. Si regnum fuerit patrimoniale, qua Rex patrimonium habet diverſum ab eo, quod qua privatus habet. In illo ſunt imperium tanquam res incorporalis (§. 498. *part. 1. Jur. nat.*) & bona regia (§. 286.); in hoc autem bona privata. In regno patrimoniali non minus imperium & bona regia ſunt in patrimonio Regis qua Regis,

Digitized by Google

Regis, quod *regium* appellari poterat, quam bona privata in dominio privato. Quemadmodum itaque testatur de bonis privatis, si voluntatem suam declarat, cujusnam ea post mortem suam esse debeant (§. 994. 996. *part. Jur. nat.*), sed qua privatus; ita etiam de imperio & bonis regiis qua Rex testatur, quando voluntatem suam declarat, quinam in regno succedere debeat, & cujusnam esse debeant bona regia post mortem suam. Quamvis autem uno actu testetur de bonis privatis & imperio atque bonis regiis; declaratio tamen voluntatis suæ de utrisque duo diversa testamenta sunt, quorum unum absque altero fieri potest.

§. 299.

Differentia testamenti Regis regii & privati.

Testamentum Regis regium est, in quo disponitur de imperio & bonis regiis; *testamentum Regis privatum* est, in quo disponitur de bonis ipsius privatis. Bona ista cum ab his actu sint separata, nec in unam massam confundi possint (§. 287.); *testamentum Regis regium & privatum sunt duo testamenta a se invicem semper separanda.*

§. 300.

Quando in regno ex testamento & in bonis privatis ab intestato succedatur.

Quoniam in testamento regio disponitur de imperio & bonis regiis; in privato autem de privatis (§. 299.); *Rex, qui imperium in patrimonio habet, in testamento saltem disponat de imperio & bonis regiis, non vero de privatis, testamentum mere regium est, & in bonis privatis succeditur ab intestato* (§. 1021. *part.* 7. *Jur. nat.* & §. 289. *h.*).

Quando in testamento disponitur de successione in imperio & bonis regiis, non vero de privatis; satis patet, Regem voluisse, ut in privatis ab intestato succedatur. Quoniam enim successio ab intestato per se manifesta est, non opus erat, ut de ea demum voluntatem suam Rex declararet. Ex silentio itaque recte eandem voluisse præsumitur. Ponamus in testa-

Digitized by Google

mento in regno ſucceſſorem inſtitutum eſſe extraneum filio præterito. Minime dicendum eſt, illum quoque inſtitutum eſſe hæredem, qui ſuccedat in bonis privatis: ſed filius in bonis privatis ſuccedit ab inteſtato.

§. 301.

De ſucceſſione in regno patrimoniali ab inteſtato.

Si regnum fuerit patrimoniale, Rex vero voluntatem ſuam de ſucceſſione in eodem nullo modo declaraverit; filius primogenitus, aut natu major, vel deficientibus liberis agnatus proximus ſuccedit. Quoniam enim raro, immo vix ac ne vix quidem contingit, ut Rex, etiamſi regnum in patrimonio habeat, conſequenter praeteritis liberis atque agnatis ſucceſſorem quoque extraneum, vel nullo ſanguinis vinculo ſibi junctum eligere poſſit, imperium in extraneum, aut alium nullo ſanguinis vinculo ſibi junctum transferat, illud autem præſumitur, quod plerumque fit, non quod rarius, ubi nullæ rationes peculiares proſtant (§. 248. *part. 7. Jur. nat.*); Rex, quamvis regnum in patrimonio habeat, hoc tamen non obſtante, velle præſumitur, ut dignitas regia maneat in familia ſua, aut hac deficiente, apud eos, qui cum ipſo ſunt in eadem familia, praeſertim arctiori. Quodſi ergo voluntatem ſuam de ſucceſſione in regno nullo modo declaret; velle præſumitur, ut regnum maneat penes liberos ſuos, aut, his deficientibus, penes eos, qui cum ipſo ſunt in eadem familia. Et quia regnum patrimoniale voluntarium in partes ſubjectivas dividi nequit, niſi populi voluntate §. 294. 297.), invitum autem ut dividatur Rex velle non præſumitur, ubi voluntatem ſuam non declaravit, ſed potius, ne dividatur (§. 295. 297.); ſi is voluntatem ſuam de ſucceſſione in regno non declaravit, unus ſaltem ex liberis, vel his deficientibus ex agnatis ſuccedere poteſt. Quamobrem cum non ſit medium aptum ad diſcernendum

Digitized by Google

nendum partes diſſidentes, ut is ſuccedat, qui ad regnandum aptior, conſequenter ratio intrinſeca deficiat, cur unus liberorum, vel agnatorum alteri ſit præferendus; ad rationem extrinſecam confugiendum, ac ideo filius primogenitus, aut natu major in linea deſcendentium, agnatus proximus in collaterali ſuccedat neceſſe eſt.

Ubi deficit voluntas expreſſa, negotium tamen exitum habere debet, ibi locum habet voluntas præſumta, & ubi deficit ratio intrinſeca, in ejus locum extrinſeca ſuccedit, ut præſumtio fieri poſſit. Principia hæc generalia ſunt, quibus etiam utendum in caſu præſenti particulari. Naturale hominibus eſt, ut liberos ſuos velint eſſe fortunatos, quemadmodum etiam velle debent (§. 732. *part.* 7. *Jur. nat.*), & fortunam eorum, qui ſanguinis vinculo ſibi junguntur, in gloriam propriam vertant, tanto quidem majorem, quanto arctius fuerit iſtud vinculum. Atque eadem de cauſa qui ſunt in fortuna regia malunt, eandem manere familiæ ſuæ propriam, quam ut ad extraneam abeat. Habemus itaque fundamentum præſumtionis, ubi ſtandum eſt voluntate volentis, ac permittendum ut faciat, quod vult, non vero quæritur quid rectius fieri potuerat.

§. 302.

Si moribus conveniat, ut foemina ab imperio excludatur, in hypotheſi propoſitionis præcedentis ad ſucceſſionem in regno admitti nequeunt: quodſi vero moribus conveniat, ut promiſcue cum maſculis, vel his deficientibus demum admittantur, in caſu priori foemina natu major præfertur maſculo natu minori, in poſteriori autem foemina tum demum ſuccedit, ſi nullus adſit maſculus. De ſucceſſione foeminarum in regno

Quoniam enim Rex voluntatem ſuam de ſucceſſione in regno non declaravit, *per hypotheſin*; ſtandum eſt voluntate præſumta. Quod moribus convenit, etſi aliter eſſe poſſit,

Digitized by Google

cum tamen de alio non cogitent homines, id ita esse debere sumunt, consequenter in casu dubio quod moribus convenit velle præsumuntur (§. 248. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem si moribus conveniat, ut fœminæ ab imperio excludantur, in hypothesi propositionis præcedentis in regno succedere nequeunt, quodsi vero moribus conveniat, ut promiscue cum masculis, vel his deficientibus demum admittantur, in casu priori vi demonstrationis præcedentis fœmina natu major præfertur masculo natu minori, in posteriori autem tum demum succedit, si nullus adsit masculus.

Si id præsumendum, quod moribus convenit, in casu dubio attenduntur quoque mores vicinarum gentium communes. Juris enim etiam videtur in nostra gente, quod consuetudo apud omnes vicinas jus facit, cum istiusmodi mores pro communi gentium jure accipi soleant, quo in civitate sua utuntur.

§. 303.

Casus particulares.

Quoniam moribus standum est, si Rex de successione in regno patrimoniali voluntatem suam non declaravit (§. 302.); *si moribus promiscue fœminæ ac masculi in regno succedant, ubi Rex voluntatem suam de successione in eodem non declaravit, soror natu major præfertur fratri natu minori, fœmina propriori sanguinis vinculo illi juncta cognato remotiori; si vero fœminæ non admittantur nisi deficientibus masculis, fœmina succedit, quæ propriori vinculo sanguinis jungitur Regi defuncto.*

§. 304.

Quando imperium patrimoniale ad populum redit.

Si Rex, qui imperium in patrimonio habet, non declaret voluntatem suam de successione in imperio, nemo autem supersit, qui defuncto vinculo sanguinis conjungitur; imperium ad populum redit & populus fit sui juris. Quando enim Rex, qui imperium

Digitized by Google

rium in patrimonio habet, non declarat voluntatem suam de *lum redeat,* successione in imperio, ea præsumenda est (*not.* §. 301.). *seu desinat.* Enimvero si nemo adsit, qui sanguinis vinculo ipsi conjungitur, imperium is transferre nequit nisi in extraneum, aut in personam, quæ cum ipso non est in eadem familia, consequenter ejus parum interest, in quemnam idem transferatur. Quoniam itaque nulla datur ratio, ob quam præsumi possit, in quemnam imperium transferri voluerit; nemo quoque est, qui ulla ratione successionem prætendere possit. Regnum igitur patrimoniale desinit, consequenter imperium ad populum, penes quem originarie est (§. 33.), redit. *Quod erat unum.*

Enimvero si, imperium ad populum redit, nemo amplius est, cui jus quoddam in ipsum competat, quod per se patet, consequenter populus ab alieno imperio liberatus fit sui juris. *Quod erat alterum.*

Perinde igitur est, ac si civitas demum esset constituta, & regno desinente status fit popularis, seu regnum in democratiam vertitur (§. 131.).

§. 305.

Si regno finito imperium ad populum redit; populus Reip. formam eligere potest, quamcunque voluerit. Quando enim regnum finitur, nemo est, cui jus quoddam sit ad regnum, consequenter qui successionem prætendere possit, quod per se patet. Imperium igitur, quod ad populum redit, perinde penes populum est, ac si originarie penes ipsum esset. Enimvero quando imperium originarie penes populum est, is imperium vel sibi retinere, vel pro lubitu suo in personam unam, aut plures conjunctim transferre potest, & a voluntate ipsius dependet, qua

De jure populi quando regno finito imperium ad ipsum redit.

Digitized by Google

qua lege transferre velit (§. 36.). Quamobrem cum democratia sit, si imperium penes populum universum fuerit (§. 131.) monarchia, si penes unum (§. 133.); aristocratia, si penes plures conjunctim (§. 135.), & Resp. mixta, si imperium in partes potentiales dividatur, aut ejus exercitium quomodocunque limitetur (§. 138.), seu certa lege transferatur (§. 77.); si finito regno imperium ad populum redit, populus Reip. formam eligere potest, quamcunque voluerit.

Finito regno, reviviscit status originarius, qualis fuerat, cum civitas primum constituta fuisset. Jus itaque populi in imperium prorsus idem est, quale tunc temporis fuerat, consequenter de imperio & ejus exercitio atque modo idem habendi vi libertatis suæ disponere potest, prouti sibi commodum existimaverit.

§. 306.

De diversitate juris eligendi regem.

Si regnum fuerit electivum, vel populus universus jus eligendi prorsus liberum sibi reservare, vel idem simpliciter in alios transferre, vel denique certas electionis leges condere potest. Etenim si regnum fuerit electivum, Rege deficiente successor eligendus (§. 278.). Cum jus transferendi imperium in personam unam, consequenter eligendi Regem (§. 139.), originarie penes populum sit (§. 36.), quilibet autem jus suum vel per se, vel per alium exercere possit, quod per se patet; si regnum fuerit electivum, vel populus universus jus eligendi sibi reservare, idque prorsus liberum (§. *cit.*), vel in alios transferre potest. *Quod erat unum.*

Enimvero cum quilibet jus suum in alium transferre possit quacunque lege voluerit (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*); jus eligendi Regem populus in alios transferre potest, quacunque

Digitized by Google

cunque lege voluerit, conſequenter certas electionis leges condere. *Quod erat alterum.*

Si populus univerſus jus eligendi Regem ſibi reſervat, ſtatus quoad electionem Regis democratiæ æquiparatur; ſi vero illud in alios translatum, ariſtocratiæ. Quamobrem quæ de exercitio imperii demonſtrata fuerunt in democratia, ea facile applicantur ad electionem Regis & in caſu priori; quæ vero de illo oſtendimus in Ariſtocratia, ea ad electionem Regis applicanda veniunt in caſu poſteriori, obſervata nimirum differentia inter imperium & jus eligendi, ſeu habita ſaltem ratione modi exercendi jus: per ſe nimirum patet, ad ipſius imperii exercitium alios actus requiri, quam ad exercitium juris eligendi.

§. 307.

De eligibilitate perſonarum.

Quoniam *populus, quando jus eligendi in alios transfert,* legem electionis eligentibus præſcribere poteſt, quam voluerit (§. 306.), & a voluntate ipſius dependet, in quamnam perſonam imperium transferri velit (§. 36.); *legem* quoque *præſcribere poteſt, ut non eligatur, niſi indigena; maſculus, non foemina, perſona certæ ætatis, vel qualitatis; quæ eſt ex certa familia, aut nonniſi ex certis familiis, & quæ ſunt alia, per quæ perſonæ eligibilitas determinari poteſt.*

Quando dicitur, perſonam certæ qualitatis eligi debere; nonniſi iſtiusmodi qualitates intelliguntur, quæ quomodocunque indigitantur, ut ab aliis ſui ſimilibus diſtingui poſſint (§. 28. *part. 3. Jur. nat.*), neque ideo ulli diſputationi obnoxiæ ſunt, veluti ſi dicatur Regem eligi debere ex illuſtri familia, qui tot majores ſuperet, ſeu ab iis genus ſuum deducit, qui religioni receptæ addictus &c. Quodſi enim aliæ commemorentur, veluti ut eligatur, qui ad regnandum aptus ſit, patriæ amans, pius & ita porro; ea ſaltem per modum officii

Digitized by Google

præſcribuntur, non vero per modum legis, quæ actum eligentium eidem contrarium irritum efficere poteſt.

§. 308.

De modo electionis

Similiter cum *populus* eligentibus legem de modo electionis præſcribere poſſit (§. 306.); *definire poteſt tempus, intra quod Rex eligendus, numerum votorum ad electionem requiſitorum, locum, in quo convenire debent electores & quæ alia ſunt hujusmodi in electione obſervanda.*

§. 309.

De electione legitima & illegitima.

Electio legitima dicitur, quæ juxta leges de electione Regis conditas facta: *illegitima*, quæ legi cuidam contraria-tur. Hinc in caſu primo *Rex* dicitur *legitime electus*; in caſu poſteriore *illegitime electus*, cumque electoribus non plus juris competat, quam in eos translatum fuit, conſequenter quod ad leges iſtas reſtringitur; *populus non tenetur ratihabere electionem illegitimam.* Quoniam tamen jus ſuum remittere poteſt (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*); *eam ratihabere poteſt, ſi velit, & Regem electivum agnoſcere, immo in caſu emergente electoribus permittere, ut in electione legem aliquam inſuper habeant, ſubinde etiam permiſſio præſumi poteſt, nimirum quando impedimenta inſuperabilia ſeſe offerunt, quo minus lex aliqua obſervetur.*

Impedimenta iſta neceſſitatem phyſicam imponunt electoribus, ut a lege in dato caſu recedant, veluti ſi exercitus hoſtilis vicinus ſit loco electioni deſtinato, vel peſtis, aut alius morbus contagioſus in eodem ſæviat. Subinde etiam is eſſe poteſt Reip. ſtatus, ut ſaluti publicæ, quæ ſuprema lex eſt (§. 86.), aliter conſuli non poſſit, niſi recedatur a lege quadam electionis, veluti ſi Resp. indiget auxilio alieno Regis cujusdam potentis, qui id ferre non vult niſi ſub hac conditione, ut ipſe eligatur, lege autem vetitum ſit, ne extraneus eligatur.

§. 310.

Digitized by Google

§. 310.

Si jus eligendi fuerit penes populum, qui tamen in certam electionis legem consensit; ab ea in electione recedere potest, modo nemini jus ullum ex ea quæsitum. Quodsi enim jus eligendi fuerit penes populum, & ipsemet in certam electionis legem consensit; legem hanc, quando visum fuerit, tollere quoque potest, consequenter etiam eam tollere quoad casum præsentem, ac ideo ab eadem recedere, si ita visum fuerit. Quoniam tamen jus quæsitum nemini invito auferri potest (§. 336. *part. 3. Jur. nat.*); a lege electionis, ex qua jus aliquod quæsitum alicui, populus recedere nequit sine consensu eorum, quorum interest. Patet itaque populum, si penes eum fuerit jus eligendi, a lege electionis, in quam consensit, recedere posse, si ita visum fuerit, modo nemini jus ullum ex ea quæsitum. *De lege electionis a populo sibimetipsi lata.*

Qui legem sibimet ipsi statuit, ab ejus utique voluntate pendet, utrum eadem stare velit, nec ne, cum nemo adsit, qui eundem cogere possit, ut eandem observet (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Aliter vero sese res habet, si eadem lege jus quoddam in alterum fuit translatum, qui legis autorem cogere potest, saltem cogendi jus habet, ut sibi jus suum reddat, nec idem violet. Ponamus e. gr. populum convenisse, ut ne Rex eligatur, nisi ex certa familia. Hæc utique familia lege ista acquisivit jus ad regnum, ut ex ipsa Regem eligi necesse sit, nec ea pati teneatur, ut, qui de familia sua non est, eligatur. Quod si eligatur, eidem injuria fit (§. 359. *part. 1. Jur. nat.*), nec ea Regem electum agnoscere tenetur, etsi votorum pluralitas alias vincat.

§. 311.

Lex electoribus præscripta a populo tolli potest, nisi ex ea jus quoddam alicui quæsitum. Ostenditur eundem in modum, quo propositionem præcedentem demonstravimus. *De lege electoribus præscripta.*

Digitized by Google

Notandum vero legem electionis esse posse talem, ut electoribus ex ea jus quoddam sit quæsitum, quam perinde mutare minime possunt, ac si ex ea jus quoddam ad regnum quæsitum fuerit. Ita electores pati minime tenentur, ut jus eligendi quocunque modo restringatur, veluti si ipsis liberum sit ex suo etiam numero eligere Regem, ne ex eodem eligatur, vel qui ex familia eorum est.

§. 312.

Quousque jus Regis electi extendatur.

Rex electus nihil constituere potest, quod valeat ultra tempus regiminis eidem præstitutum. Etenim si Rex eligitur, exercitium imperii in ipsum transfertur vel ad dies vitæ, vel ad certum tempus, aut tempore quocunque revocabile (§. 38.). Quamobrem cum non plus juris habeat, quam in ipsum fuit translatum, si imperium in ipsum translatum ad dies vitæ, tamdiu id exercere potest, quamdiu vivit, si ad certum tempus, donec tempus istud finiatur, si denique tempore quocunque revocabile, quamdiu populo aut iis, qui jus populi habent, placuerit, consequenter actus ad exercitium imperii spectantes tamdiu validi sunt, quamdiu regimen durat. Nihil igitur constituere potest Rex electus, quod valeat ultra tempus regiminis eidem præstitutum.

Tempore nimirum elapso, in quod exercitium imperii fuit concessum, jus omne Regis expirat, & quod ultra istud tempus agit, ipso jure nullum est: perinde vero est, finito regimine aliquid constituere, ac durante eo constituere, quod valeat ultra tempus regiminis ipsi præstitutum, prouti idem jam annotavimus de optimatibus temporariis (*not.* §. 241.).

§. 313.

De iis, quæ ultra tempus regimi-

Quoniam Rex electus nihil constituere potest, quod valeat ultra tempus regiminis eidem præstitutum (§. 312.);

si

Digitized by Google

ſi quod conſtituit finito regimine valere debeat, neceſſe eſt, ut vel expreſſa, vel tacita ratihabitione a ſucceſſore confirmetur. nis valere debent.

Animo hic recolenda ſunt, quæ de optimatibus temporariis ſupra annotavimus (*not.* §. 242.).

§. 314.

Si Rex electus moritur, aut tempus regimini ipſius præſtitum finitur, vel jus in eum translatum revocatur; imperium ad populum redit. Etenim imperium originarie penes populum eſt (§. 33.) & res populi propria (§. 34.), quando vero populus eligit Regem, imperium in ipſum transfert (§. 139.) vel ad dies vitæ, vel ad certum tempus, vel tempore quocunque revocabile (§. 38.). Quodſi ergo tempus regimini ipſius præſtitutum finiatur, cum nemo ſit, qui imperium prætendere poſſit; idem ad populum redit. *Penes quem ſit imperium ſede vacante.*

§. 315.

Quoniam *Rege electo mortuo, aut tempore regimini ipſius præſtituto finito* imperium ad populum redit (§. 314.); *a voluntate populi dependet, utrum Regem novum eligere & qua lege imperium in ipſum transferre velit, an aliam quamcunque Reip. formam introducere.*

Nimirum tum perinde eſt, ac ſi civitas demum eſſet conſtituta & Resp. inſtituenda, conſequenter populus convenire poteſt, utrum imperium ſibi retinere, an in perſonam unam, vel plures idem transferre, & num certa lege transferre velit (§. 36.).

§. 316.

Interregnum dicitur ſtatus Reip. in quo ſedes regia vacat. Quamobrem *tempore interregni imperium penes populum eſt* (§. 314.), cumque is pro lubitu jus ſuum in alium *De interregno.*

Digitized by Google

quemcunque transferre poſſit (§. 12. *part. 3. Jur. nat.*) & lege quacunque, quæ placuerit (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*), *lege deferre poteſt exercitium imperii in quemcunque, vel quoscunque voluerit, quamdiu durat interregnum, idemque pro lubitu limitare.*

Tempore nimirum interregni imperium, quod penes populum eſt, idem exercere poteſt vel per ſe, vel per alium, aut alios, prouti placuerit.

§. 317.

Vicarius regni quinam ſit.

Vicarius regni dicitur, qui imperium exercet tempore interregni. Patet itaque, *vicarii jus æſtimandum eſſe ex lege fundamentali de vicariatu regni &, ſi vicarius certa lege deſignatus fuerit, regimen ipſius eo ipſo momento incipere, quo Regis jus finitur, ſeu ſedes vacare incipit, ac finiri, quamprimum Rex novus fuerit electus.*

Quamprimum Rex novus fuit electus, ſedes non amplius vacat, conſequenter interregnum finitur (§. 316.), adeoque jus vicarii expirat. Quoniam vero populus tempore interregni imperium non minus in partes potentiales, quam ſubjectivas dividere valet, prouti ex anterioribus facile patet; ideo plures eſſe poſſunt vicarii tempore interregni, ſive diviſio fiat in partes potentiales, ſive in ſubjectivas. Quantum vero & quale ſit jus vicariorum plurium, ex lege fundamentali definiendum. Quamobrem opus non eſt, ut ad quæſtiones particulares deſcendamus, ac præter neceſſitatem ſimus prolixiores.

§. 318.

De promiſſione regis electi.

Rex electus promittere tenetur, quod imperium ſalati publicæ convenienter, &, ſi certæ leges eidem præſcribuntur, ſecundum easdem idem exercere velit. Etenim imperium omne, ſive

Digitized by Google

ve absolutum fuerit atque summum, sive quocunque modo limitatum, transferri intelligitur ea lege, ut non exerceatur, nisi saluti publicæ convenienter (§. 88.). Quamobrem cum Rex electus acquirat jus sibi delatum acceptatione sua (§. 13. *part. 3. Jur. nat.*); utique declarare debet, quod imperium, quale offertur, habere & ita exercere velit, prouti populus idem exerceri vult (§. 2. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter ad id se obligare, adeoque promittere debet, quod saluti publicæ convenienter id exercere velit (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*). *Quod erat unum.*

Quoniam vero populus imperium offerens Regi electo, cujus exercitium ad certas leges fundamentales, seu capitulationem, quæ & ipsa lex fundamentalis est (§. 124.), restrictum, nisi sub hac conditione offert, ut idem juxta leges fundamentales exerceat, ideo ut ante patet, Regem electum promittere debere, quod juxta leges fundamentales imperium exercere velit. *Quod erat alterum.*

Populus per promissionem sibi obligat Regem ad recte imperandum in omni casu (§. 363. *part. 3. Jur. nat.*), & non modo naturaliter ipsi competit jus hoc exigendi, quatenus imperium in alium transferre non debet, nisi ut saluti publicæ convenienter administretur (§. 87.), sed etiam ex pacto cum Rege inito, dum imperium sibi oblatum acceptans promittit, quod saluti publicæ convenienter id exercere velit (§. 788. *part. 3. Jur. natur.*), etsi populus judicio ipsius relinquat, quomodo saluti publicæ convenienter exerceatur, consequenter in eodem sese acquiescere velle eo ipso declaret, ut nullum actum in specie ab ipso exigere possit, quem saluti publicæ promovendæ convenire existimat. Si leges fundamentales præscribunt certos actus & quoad eas libertas imperandi limitatur; necesse omnino est, ut Rex populo sese obliget, quod eas sancte observare, nec quicquam contra easdem committere velit.

Digitized by Google

velit. Tumque populo competit jus actus hosce in specie exigendi, nec permittendi contrarios.

§. 319.

Quale sit regnum electivum.

Regnum electivum non patrimoniale, sed usufructuarium est. Quodsi enim regnum fuerit electivum, imperium in Regem transfertur nonnisi ad dies vitæ, aut ad certum tempus, vel tempore quocunque revocabile, & Rege mortuo aut tempore regimini ipsius præstituto finito, vel jure quod in eum translatum fuerat, revocato, imperium ad populum redit (§. 314.). Quamobrem imperium in ipsum non transfertur, nisi quoad exercitium. Quamobrem cum imperium quoad exercitium translatum sit in usufructu, non vero in patrimonio Regis (§. 40.), regnum vero usufructuarium sit, non patrimoniale, si imperium sit in usufructu Regis (§. 155.); regnum electivum patrimoniale esse nequit, sed usufructuarium est.

Repugnat regnum esse electivum & patrimoniale. Si enim regnum fuerit electivum populus, vel qui jus populi habent in locum Regis deficientis novum eligere debent; si vero regnum fuerit patrimoniale, Rex sibimet ipsi eligit successorem, aut alius eidem succedit ex voluntate illius præsumta (§. 283. 301.).

§. 320.

An Rex electus imperium abdicare possit.

In regno electivo Rex imperium sine consensu populi abdicare nequit. Imperium enim in ipsum transfertur vel ad dies vitæ, vel ad certum tempus, vel quamdiu populo libuerit. Quamobrem quando illud acceptat, consequenter declarat, quod idem suscipere velit (§. 2. *part. 3. Jur. nat.*); cum populo convenit, quod id administrare velit vel quamdiu vivit,

Digitized by Google

vit, vel tempore convento, vel quamdiu populo placuerit, adeoque ad hoc eidem se obligare intelligitur, consequenter conventio ista promissionem continet (§. 393. 703. *part. 3 Jur. nat.*). Quoniam itaque conventio ista pactum est (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*), pacta autem servanda sunt (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*); pro lubitu suo declarare nequit, se imperium, quod ipse in alium transferre non potest, diutius habere nolle, consequenter imperium abdicare nequit (§. 115. *part. 3. Jur. nat.*). *Quod erat unum.*

Quoniam tamen populi saltem interest, ne imperium Rex abdicet, quod per se patet, quilibet autem jus suum remittere potest, quamdiu nihil committitur, quod est contra jus tertii (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*); quin Rex consensu populi imperium abdicare possit dubitandum non est. *Quod erat alterum.*

Si quis Rex eligitur, imperium utique ex pacto cum populo, aut iis, qui jus populi exercent, acquirit. Rex, qui imperium acceptat, promittit, quod populum regere velit; populus autem promittit vicissim, quod imperanti parere velit. Quemadmodum itaque hi obligantur ad parendum, ita Rex obligatur ad populum regendum. Omnis obligatio necessitas moralis agendi est (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Sicuti igitur non arbitrii populi est, utrum Regi imperanti parere velit, nec ne; ita quoque imperio suscepto non amplius arbitrii Regis est, utrum imperium administrare velit, nec ne.

§. 321.

Si in regno electivo imperium in Regem translatum fuit ad dies vitæ, a populo, aut iis, qui jus populi habent, abdicari nequit: quodsi imperium concessum fuerit ad certum tempus, antequam id fuerit finitum, abdicari nequit. Etenim si imperium

An Rex abdicari possit.

Digitized by Google

in Regem fuit translatum ad dies vitæ, ipsi competit jus administrandi imperium, quamdiu vivit; ad tempus certum autem, si imperium ad certum tempus in ipsum translatum fuit. Quamobrem cum nemini invito jus suum auferri possit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); nec Regi a populo, aut iis, qui jus populi habent, auferri potest. Quoniam itaque jus in eum translatum eidem aufertur, si abdicetur, quod per se patet; si in regno electivo imperium in Regem translatum fuit ad dies vitæ, a populo, aut iis, qui jus populi habent, abdicari nequit, nec abdicari potest ante tempus regimini ipsius præstitutum.

Rex abdicatur, si populus declarat, quod eum diutius Regem habere nolit, consequenter jus in ipsum collatum revocat (§. 741. *part. 3. Jur nat.*). Enimvero jus in Regem, dum eligitur, irrevocabiliter translatum intelligitur, si imperium ad dies vitæ in eundem transfertur, non revocabile ante tempus præstitutum, nisi expresse aliud dicatur, neque enim transferri potest ea lege, ut populus universus recte imperanti parere debeat, male autem imperanti resistere, eumque coërcere, consequenter in poenam jus suum auferre possit (§. 82.), nisi imperium precario deferatur, ut idem exerceat, quamdiu placuerit, consequenter quocunque tempore revocabile (§. 38.). Imperium revocabiliter translatum non præsumitur, cum incertum sit, an Rex idem hoc modo transferendum acceptaturus fuisset. Semper itaque irrevocabiliter translatum intelligitur, nisi expresse aliud dicatur, sicut idem ad dies vitæ translatum intelligitur, nisi tempus certum in delatione imperii definiatur.

§. 322.

De imperio sub clausula commissoria.

Si Regi defertur imperium sub lege commissoria, ut regno cadat, quando hoc fecerit, vel non fecerit; regnum amittit, si fecerit, vel non fecerit. Etenim pactum, cui lex commissoria addita

Digitized by Google

addita, statim resolvitur, si non præstetur, quod ex eo præstandum (§. 1088. *part. 4. Jur. nat.*). Quodsi ergo pacto, quo imperium in Regem translatum, addita lex commissoria, ut regno cadat, quando hoc fecerit, vel non fecerit, si id fecerit, vel non fecerit, regnum statim amittit. *in Regem translato.*

Nimirum clausula ista commissoria obligationem populi efficit conditionatam, quæ conditione existente statim expirat, ut ideo Rex qui fuerat ipso facto esse desinat. Quamobrem quando regnum committitur, non opus est, ut a populo Rex demum abdicetur (*not. §.* 321.) quippe quem Regem non amplius agnoscere tenetur. Si vero Rex abdicandus, tamdiu Rex manet, donec abdicatus fuerit.

§. 323.

In regno successorio imperium defertur lege, quam populus condidit, aut, si nulla extet, more gentium vicinarum succeditur. Etenim a voluntate populi regnum successorium condituri unice dependet, quamnam legem successionis condere velit (§. 277.). Quamobrem cum ex ea acquiratur jus succedendi, in regno successorio imperium defertur lege, quam populus condidit. *Quod erat unum.* *De modo succedendi in imperio.*

Enimvero cum successioni locus esse nequeat, nisi populus, a cujus unice voluntate dependet, quomodo successio fieri debeat (§. 277.), in prima delatione imperii successionis certam legem condidit; si de ea nihil dictum fuerit, necesse est ut modum succedendi supposuerit. Quamobrem cum alius supponi non potuerit, quam qui apud gentes vicinas obtinet, qui solus tunc temporis, quando primum Regem elegit, & regnum successorium esse debere declaravit animo ipsius obversatus intelligitur, (§. 512. *part. 6. Jur. nat.*) si nulla peculiaris

Digitized by Google

liaris lex de ſucceſſione in regno extet, more gentium vicinarum ſuccedatur neceſſe eſt. *Quod erat alterum.*

Nimirum modus ſuccedendi definitur vel expreſſa populi voluntate, vel præſumta. Illud obtinet, ſi lex ſucceſſionis condatur a populo; hoc autem, ſi more gentium vicinarum ſucceſſio fieri debet. Quando populus liber regnum ſucceſſorium introducit, nullas vero de eo, atque ſucceſſione in eodem leges condit; id facit ad imitationem gentium aliarum, quibus regna ſucceſſoria ſunt. Quamobrem talia ut ſint, qualia ſunt regna iſta, & ut eodem modo ſuccedatur, quo in iſtis ſucceditur, voluiſſe intelligitur. Cum itaque jus omne Regis metiendum ſit ex voluntate populi imperium in ipſam transferentis (§. 43.); in caſu dubio ad mores gentium vicinarum recurrendum, niſi alia indicia manifeſto alio ducant. Et idem tenendum eſt de ſucceſſione.

§. 324.

Cur regna ſucceſſoria introducantur.

Regna ſucceſſoria introducuntur eo fine, ut ſucceſſor ſit certus. Quamvis enim regna electiva fini civitatis maxime convenire videantur, quod eligi poſſit perſona ad imperium ſaluti publicæ convenienter adminiſtrandum maxime apta, id quod in omni delatione imperii intenditur (§. 88.); quoniam tamen in regnis electivis, inprimis ſi jus eligendi fuerit penes populum univerſum, aut ſaltem penes magnam ejus partem, propter factiones in electione facile oriantur turbæ Reip. infeſtæ, conſultius videtur, ut regna ſint ſucceſſoria. Qui igitur talia regnis electivis præferunt, utique voluiſſe intelliguntur, ut ſucceſſor ſit certus, conſequenter regna ſucceſſoria non alio fine introducta, quam ut ſede vacante ſtatim adſit, qui ſuccedat, ac ideo ut certus ſit ſucceſſor (§. 932. *Ontol.*).

§. 325.

Digitized by Google

§. 325.

Quoniam regna ſucceſſoria introducuntur eo fine, ut ſucceſſor certus ſit (§. 324.); *in caſu dubio populus de ſucceſſione id voluiſſe præſumitur, quod ſucceſſionem facit certam.* *De præſumtione quoad ſucceſſionem.*

Non eſt quod objicias, ſi ſucceſſio introducta fuerit ad imitationem vicinarum gentium, dici non poſſe eam introductam eſſe eo fine, ut ſucceſſor certus ſit; tum enim ideo hunc ſuccedendi modum eligit populus, quia placuit gentibus aliis, conſequenter ob eundem finem, qui ab iis intentus fuit.

§. 326.

Modus ſuccedendi hæreditarius eſt, ſi eodem modo in regno ſucceditur, quo in hæreditate ab inteſtato ſuccedi ſolet. Quamobrem *qui Regi defuncto ab inteſtato exiſtit hæres, idem etiam in regno ſuccedit, niſi quod unus ſaltem admittatur, ſi plures fuerint hæredes, nec diviſio in partes ſubjectivas expreſſa populi voluntate permiſſa* (§. 235.), *vel condominatus eidem placuerit* (§. 140. 323.), *& fœminæ prætereantur, ſi ad imperii adminiſtrationem non admittantur* (§. 307.). *Modus ſuccedendi hæreditarius.*

Quamvis enim modus ſuccedendi ab inteſtato ſtatuatur norma ſucceſſionis in regno; quoniam tamen ſucceſſio in regno ſemper diverſa manet ab hæreditate (§. 289.), non neceſſe eſt, ut illi per omnia conſentiat, ſed ſaltem quatenus permittunt alia, quæ populo de forma Reip. placuerunt, conſequenter quantum ea fert Hinc inter plures maſculos, quorum idem jus eſt ad hæreditatem defuncti, unus ceteris præfertur, & fœminæ excluſæ tanquam non extantes ſpectantur, ac per conſequens is ſuccedit in regno, qui Regi defuncto hæres exiſteret, ſi illæ abeſſent.

Digitized by Google

§. 327.

De succeſſione foeminarum maſculis deficientibus.

Quoniam *ſecundum modum ſuccedendi hæreditarium* Regi defuncto in regno ſuccedit, qui eidem ab inteſtato hæres exiſtit (§. 326.); *ſi foeminæ non admittantur, niſi deficientibus maſculis, Regi ultimo ſuccedit filia, vel quæ eum ſanguine proxime attingit foemina.*

Nimirum quando foeminæ non admittuntur, niſi deficientibus maſculis, filia Regis ultimi, aut cognata proxima fictione juris habetur pro maſculo, in cujus quippe locum ſurrogatur, prætereunda, ſi maſculus adeſſet,

§. 328.

De ſucceſſione in regno, ſi plures extiterint hæredes.

Si Regi defuncto plures extiterint hæredes, natu major præfertur natu minori. Quodſi enim plures extiterint hæredes, unus ſaltem admittendus, niſi expreſſa populi voluntate diviſio in partes ſubjectivas fuerit permiſſa, aut condominatus eidem placuerit (§. 326.): quod cum præſumi non poſſit (§. 245. *part. 2. Jur. nat.*), a nobis quoque nec hic, nec in ſequentibus ſupponitur. Quoniam vero hæredum plurium idem jus eſt ad hæreditatem, quod per ſe patet; ratio intrinſeca ex jure ſcilicet hæreditario deſumenda deficit, conſequenter ad extrinſecam deveniendum, ob quam unus ceteris præferendus. Quamobrem natu major, ut qui prior jus aliquod ad regnum acquiſivit, præfertur natu minori (§. 325.).

Populus ſucceſſionem in regno inſtituit ad vitandas controverſias, quieti publicæ adverſas, quæ ut conſervetur plurimum intereſt. Quamobrem ubi populo modus ſuccedendi hæreditarius placet, non aliud voluiſſe præſumitur, quam ut natu major hæredum vincat natu minorem, cum hoc pacto omnis controverſia facillime vitetur, alio pacto non eadem facilitate evitan-

Digitized by Google

evitanda, ut successio maximam habeat certitudinem, quam habere potest.

§. 329.

Si expressa populi voluntate foemina cum maribus promiscue admittendæ, foemina natu major præfertur filio natu minori: foemina promiscua tamen admissio non præsumitur. Etenim si populus voluntatem suam, dum modum succedendi hæreditarium instituit, expresse declaravit, quod foeminæ cum maribus ad regnum promiscue sint admittendæ, nulla habita sexus differentia; standum est populi voluntate (§. 307.). Quodsi ergo contingat, foeminas cum maribus in hæreditate Regis defuncti concurrere, cum hæredibus pluribus existentibus natu major præferatur natu minori (§. 328.); foemina natu major præferenda mari natu minori. *Quod erat unum.* *Quando mari in successione præferenda.*

Quoniam mares tum ad bella, tum ad alias imperii partes foeminis magis idonei censeatur, ac ideo plerumque his in regnis præferuntur, id autem præsumitur, quod plerumque fit, nisi rationes prostent, quæ alio ducunt (§. 245. *part.* 2. *Jur. nat.*); populus quoque regnum hæreditarium instituens non præsumitur voluisse, ut cum maribus foeminæ promiscue admittantur. *Quod erat alterum.*

Monumenta historicorum abunde loquuntur, foeminas ad regnum vix unquam esse admissas, nisi deficientibus masculis, ut ideo hoc pro communi plerarumque gentium more haberi debeat, ad quem populus regnum hæreditarium instituens respexisse recte præsumitur (§. 323.). Teste *Justino* lib. 2. cap. 4. apud Amazones regnarunt foeminæ, ac idem de Indis nonnullis refert *Mandelslo* in Itinere suo Indico.

§. 330.

Quonam foemina natu major præfertur mari natu minori, *Casus particulares.*

Digitized by Google

nori, *si expressa populi voluntate masculi cum foeminis promiscue admittantur* (§. 329.); quando hoc obtinet, *filia natu major præfertur filio natu minori & foemina natu major mari natu minori, si simul in hæreditate defuncti Regis concurrunt.*

Idem nimirum hic obtinet, quod in regno patrimoniali, quando Lex voluntatem suam, quam declarare poterat, de successione in regno non declaravit (§. 303.).

§. 331.

De jure repræsentationis in successione regni.

Si in successione in bonis defuncti jus repræsentationis obtinet, jus quoque repræsentationis locum habet in successione regni. Etenim si modus succedendi hæreditarius institutus, eodem modo succeditur in regno, quo in hæreditate ab intestato (§. 326.). Quamobrem si in successione in bonis defuncti jus repræsentationis obtinet, idem quoque locum habet in successione regni.

Quando scilicet populus vult, ut eodem modo in regno succedatur, quo jure hæreditario succeditur; animo ipsi obversatur modus succedendi ab intestato, qui lege apud ipsum introductus, vel moribus invaluit. Interpretatio autem voluntatis populi facienda est de eo, de quo verisimiliter is cogitavit, cum modum succedendi hæreditarium decrevit (§. 512. *part. 6. Jur. nat.*).

§. 332.

Quomodo isto jure succedatur.

Quoniam *jus repræsentationis* locum habet in successione regni, *si* idem *obtinet in successione in bonis defuncti* (§. 331.); in hoc casu *nepos natu major ex filio præfertur filio natu minori & nepoti juniori foeminis exclusis, aut nonnisi maribus deficientibus admittendis, nepos etiam ex filia eidem præfertur, siquidem foemina cum maribus promiscue admittantur.*

Cum

Digitized by Google

Cum nepotes & neptes in locum parentum defunctorum ſuccedant & eos conjunctim repræſentent jure repræſentationis (§. 981. *part.* 7. *Jur. nat.*); absque ulla difficultate deciduntur etiam caſus alii, in quibus nepotes cum liberis Regis defuncti, vel liberi ulterioris gradus cum liberis gradus propioris ad hæreditatem concurrunt.

§. 933.

Regni capax dicitur, qui in regno ſuccedere non prohibetur. Aſt *regni incapax* dicitur, qui in regno ſuccedere prohibetur. Quoniam modus ſuccedendi a voluntate populi regnum ſucceſſivum inſtituentis pendet (§. 277.); *voluntas populi perſonas quasdam regni capaces, alias incapaces efficit.* Quamobrem *ſi populus velit, fœminas quoque ſuccedere; eadem regni capaces ſunt: quodſi vero nolit eas ſuccedere, regni incapaces ſunt.* Diſtingui autem poteſt inter capacitatem abſolutam & reſpectivam. *Reſpectiva capacitas* eſt, vi cujus quis ſuccedere poteſt, ſi ordo voluntate populi definitus ipſum tangit: *abſoluta* autem, vi cuius quis ſede vacante ſuccedere debet, ita ut aliis regni capacibus præferendus ſit.

Quinam regni ſit capax quinam incapax.

E. gr. ponamus, hanc eſſe populi voluntatem, ut in regno non ſuccedant niſi mares a primo Rege deſcendentes & ſede vacante ſuccedat agnatus ejusdem gradus natu maximus. Fœminæ tum erunt, ut diximus, regni incapaces, erunt etiam incapaces, qui a primo rege non deſcendunt, mares. Omnes vero, qui a primo rege deſcendunt, regni capaces ſunt, quatenus tamen ſuccedere nequeunt, niſi ordo a populo definitus eos tangat, capacitas eorum nonniſi reſpectiva eſt. Enimvero qui proximus Regis defuncti agnatus eſt & inter eos, qui pari gradu ſunt, ætate maximus, ejus abſoluta capacitas eſt. Nimirum reſpective quis capax eſt reſpectu eorum, qui capaces ſunt: abſolute autem capax quis eſt reſpectu eorum, qui per ſe regni incapaces non ſunt, actu tamen ſuccedere nequeunt

Digitized by Google

sede vacante, quia jus alterius potius obstat. Qui respective capaces sunt, eos lex certo ordine collocat & sede vacante eum ad regnum vocat, qui primum tenet locum, consequenter capacitatem ipsi tribuit prævalentem, quam absolutam appellare libuit. Qui respective capax est, nondum habet omnia requisita habilitatis ad succedendum sede vacante; habet autem, qui absolute capax est. Illius capacitas nondum est sufficienter determinata; hujus tamen capacitas omnimode determinata est, qua determinatione designatur individuum ad succedendum habile.

§. 334.

Qualis sit capacitas respectiva.

Quoniam vi capacitatis respectivæ tum demum quis succedere potest, si ordo succedendi a populo definitus ipsum tangit (§. 333.); *capacitas respectiva conditionata est*, consequenter *nonnisi jus conditionatum ad regnum tribuit, adeoque incertum.*

Nimirum omnibus a primo Rege descendentibus maribus in hypothesi præcedente (*not.* §. 333.), a populo regnum successorium instituente promitti intelligitur successio, sed uni eorum quoties sedes vacat, absolute, ceteris nonnisi conditionate. Quamobrem differentiæ capacitatis respectivæ & absolutæ lumen affunditur per ea, quæ de promissione pura & conditionata demonstravimus in parte tertia Juris naturæ.

§. 335.

Regnum hæreditarium quodnam sit.

Regnum hæreditarium dicitur, in quo jure hæreditario succeditur. Quamobrem cum præter modum succedendi hæreditarium dentur adhuc alii, prouti ex sequentibus patebit & experientia constat; *non omne regnum successorium hæreditarium est.*

Vago

Digitized by Google

Vago equidem ſignificatu regna etiam alia hæreditaria, idiomate patrio Erb-Reiche, appellantur, in quibus alio modo, quam hæreditario ſucceditur, veluti ſi ſucceſſio linealis obtinet, de qua mox dicemus, quia ſucceſſionem obiter inſpicientibus ſpeciem regni hæreditarii mentitur; attamen in Jure naturæ, ſiquidem methodo demonſtrativa uti volueris, ſignificatus vagus ad fixum reducendus (§. 144. *Diſc. præl.*), nec confundenda ſunt, quæ a ſe invicem discernenda.

§. 336.

Quoniam in regno hæreditario jure hæreditario ſucceditur (§. 335.), ſucceſſio autem in imperio, conſequenter in regno (§. 139.), ſemper diverſa manet ab hæreditate (§. 289.); *regnum hæreditarium pars hæreditatis bonorum privatorum Regis non eſt, ſed ſeparata ab eadem hæreditas.* *An regnum hæreditarium ſit pars hæreditatis.*

Nihil in ſucceſſione hæreditaria in regno obtinet, quod paradoxum videri poſſit. Etenim dantur quoque alia bona, veluti feudalia, emphyteutica, in quibus alio modo ſucceditur, quam in allodialibus. Immo huc etiam pertinet jus patronatus in Jure Romano & jus præcipui in eodem.

§. 337.

Cum regnum hæreditarium ſit ſeparata quædam hæreditas ab hæreditate bonorum Regis privatorum (§. 336.); *ſor regni in hæreditario ſuccedere poteſt, qui hæreditatem bonorum Regis privatorum adire non vult*; conſequenter *in regno ſucceditur abſque bonorum rehorum onere.* Unde *hæres regni non tenetur ſoluere debita priua- pudiare poſta Regis defuncti abſque conſenſu ſuo contracta, hæreditate bono- ſit. rum privatorum repudiata.* *An ſucceſ- hæreditatem*

Neque hoc ſingulare eſt in regno hæreditario: idem enim obtinet in hæreditate in feudis. Regnum naturaliter non amittit hæres, etiamſi ultimam Regis defuncti voluntatem im-

Digitized by Google

plere noluerit. Jus ſuccedendi in regno metiendum eſt ex populi voluntate (§. 277.), non ex voluntate Regis defuncti. Notandum vero eſt, quando quæritur, an ſucceſſor ſolvere teneatur debita a Rege defuncto contracta, diſtinguendum eſſe inter debita publica, ſeu regia, & inter debita Regis privata. Illa nimirum ſunt onus hæreditatis regni, hæc vero onus hæreditatis bonorum Regis privatorum. Discernuntur autem vel cauſſa debendi, vel ex conſenſu populi, aut eorum, qui jus populi habent, quatenus is aut adeſt, aut præſumitur, & denique ex qualitate debiti, veluti ſi debeatur pretium rei privatæ. Ita nimirum evaneſcent difficultates, quas quidam objiciunt, qui ſucceſſorem ſimpliciter ad ſolvendum debita anteceſſoris obligatum eſſe contendunt, quaſi fides tollatur, præcipuum generis humani vinculum, & ipſi Principes, quo tempore maxime pecunia indigent, pauperentur & nudi deſtituerentur, cum nemo mutuum dare velit, qui ſciat ſe recipere ſuum non poſſe, ſi moriatur princeps ante ſolutionem. Recte autem ait *Grotius* lib. 2. c. 7. §. 19. non ob hæc hæreditarium ordinem a populo fuiſſe electum, ut ſcilicet tanquam hæres id demum haberet ſucceſſor, quod ſupereſt ſoluto ære alieno, ſed ut certi quid eſſet (§. 324.), & reverentia conciliaretur ex ſanguine, ſimulque ex genere & educatione ſpes eſſet præclaræ virtutis, ut regni poſſeſſor regnum magis curaret animoſiusque defenderet, ſi id ipſum iis eſſet relicturus, quos ipſe ob acceptum beneficium, aut ob caritatem maximi faceret.

§. 338.

An modus ſuccedendi hæreditarius mutetur, mutata ſucceſſio

Si in regno ſucceditur jure hæreditario, eo modo ſuccedi- *tur, quo tempore regni inſtituti ab inteſtato ſuccedebatur in bonis defuncti, nec is mutatur, etiamſi modus ſuccedendi ab inteſtato poſtea mutetur.* Quoniam enim omne jus ſuccedendi metiendum ex populi voluntate (§. 277.); eo modo ſuccedendum eſt, de quo populus tempore inſtituti regni cogitavit.

Digitized by Google

vit. Quamobrem cum modum succedendi hæreditarium decernens voluerit, ut eo modo succedatur, quo ab intestato succeditur (§. 326.), adeoque de alio modo succedendi ab intestato non cogitaverit, quam quo tunc temporis ab intestato succedebatur; si in regno succeditur jure hæreditario, eo modo succeditur, quo tempore instituti regni ab intestato succedebatur. *Quod erat unum.* *ne ab intestato.*

Quodsi ergo lex succedendi ab intestato in bonis defuncti postea mutetur, cum tamen nemini jus succedendi, etsi conditionatum (§. 334.), ex voluntate populi tempore instituti regni declarata acquisitum invito auferri possit (§. 477. *part. 3. Jur. nat.*), auferendum utique, si modus succedendi mutetur, ideoque alius ordo succedendi introducatur; ordo succedendi in regnum, qui convenit legi succedendi ab intestato in bonis defuncti tempore instituti regni, non mutatur, etiamsi modus succedendi ab intestato postea mutetur. *Quod erat alterum.*

Quando populus voluntatem suam de modo succedendi hæreditario declarat, Regi utique promittit, quod ab ipso per nativitatem descensuri succedere debeant, si juxta legem succedendi ab intestato tunc temporis usitatam ordo ipsos tangat. Ex hac promissione conditionata qui a primo Rege ascendunt acquirunt spem succedendi, quamprimum nascuntur (§. 471. *part. 3. Jur. nat.*), quæ num jus sit excitatura, incertum est, quamdiu ordo succedendi a Rege descendentem non actu tangit. Hæc autem ipsa spes invito adimi nequit (§. 477. *part. 3. Jur. nat.*), nec differt a jure, quod hic conditionatum dicitur. Promissio autem populi tempore instituti regni facta perdurat, quatenus populus semper manet idem & valida subsistit, quatenus Rex regnum acceptat pro se & descendentibus suis, potestate acceptandi pro his a populo in ipsum translato (§. 753. *part. 3. Jur. nat.*).

Digitized by Google

§. 339.

Quomodo succedatur in regno infeudato.

Quoniam in regno hæreditario eo modo ſucceditur quo tempore inſtituti regni ſuccedebatur in bonis defuncti (§. 338.); *ſi regnum poſtea infeudetur, in eo ſucceditur, quemadmodum ab inteſtato ſuccedebatur in allodio tempore inſtituti regni: quodſi vero regnum ab initio fuerit feudum, in eo ſucceditur, quemadmodum eodem tempore in feudo ſuccedebatur.*

Si a tempore regni inſtituti ſucceſſio feudalis differt a ſucceſſione in allodio, & regnum fuerit infeudatum; quando populus in delatione imperii de modo ſuccedendi hæreditario loquitur, animo ejus obverſari non intelligitur niſi ſucceſſio feudalis, ac per conſequens voluntas ejus accipienda eſt de ſucceſſione feudali (§. 512. *part. 6. Jur. nat.*). Unde porro patet ut in demonſtratione præcedente, valere ſucceſſionem, quæ in feudis obtinet tempore inſtituti regni, etiamſi ea poſtea mutetur, uti in demonſtratione præcedente. Relegenda quoque hic ſunt, quæ modo ad eandem annotavimus (*not.* §. 338.).

§. 340.

An in regno hæreditario ſuccedatur jure naturæ.

Similiter quia in regno hæreditario eo modo ſuccenditur, quo tempore inſtituti regni in bonis defuncti ſuccedebatur (§. 338.); *ad ſucceſſionem in regno non admittuntur, qui jure naturæ ad ſucceſſionem in bonis ab inteſtato admitti poterant, ſi eos lex civilis tempore inſtituti regni ab hæreditate arcet.*

Jus ſuccedendi metiendum eſt ex populi imperium deferentis, voluntate (§. 277.), non ex jure naturæ, cui hic locus eſſe nequit, cum aliæ ſint rationes, cur juri naturæ hic modus ſuccedendi ab inteſtato probetur, quam cur populus certum quendam ſuccedendi modum ſtatuat. Populus imperium deferens minime cogitat de modo ſuccedendi ab inteſtato, qualem jus naturæ maxime probat; ſed de eo, qui per leges patriæ obſervatur. Quamobrem de hoc, non de illo accipienda

Digitized by Google

da eſt ejus voluntas (§. 512. *part. 6. Jur. nat.*). Non eſt, quod objicias, in Jure naturæ demonſtrandum eſſe, quomodo hoc jure ſuccedi debeat in regno. Juris enim naturæ eſt, ut populus modum ſuccedendi definiat pro lubitu (§. 277.), conſequenter ut ex populi voluntate naſcatur jus ſuccedendi & ex ea fit metiendum. Minime hic quæritur, quid fini civitatis convenientius fieri potuerit, ut ſecundum jus naturæ perfectivum præferatur quod eſt melius (§. 192. *part. 1. Phil. pract. univ.*): neque enim quod eſt melius jus facit.

§. 341.

Quoniam ad regnum hæreditarium non admittuntur illi, quos lex civilis tempore inſtituti regni ab hæreditate arcet (§. 340.); *ſi lex civilis tempore inſtituti regni ad hæreditatem non admittit liberos illegitimos, illegitimi quoque in regno hæreditario ſuccedere nequeunt*, conſequenter *non admittuntur ad hæreditatem niſi ſecundum leges patriæ nati, non ſpurii, non adulterini* (§. 537. *tom. 7. part. Jur. nat.*).

Quinam liberi ſuccedere nequeant in regno hæreditario.

Nimirum cum ex lege civili facienda ſit interpretatio voluntatis populi, prouti ex antea dictis abunde patet (*not.* §. 338. 340.); pro liberis legitimis, hoc eſt, ex matrimonio natis (§. 536 *part. 7. Jur. nat.*) non habentur, niſi lex patriæ pro matrimonio agnoſcat pactum de concubitu, ex quo proles nata. Ex matrimonio civiliter juſto qui naſcuntur, ſecundum leges patriæ nati dicuntur.

§. 342.

Si populus certam legem de nativitate liberorum Regis condit, ut ſint ſucceſſionis capaces; qui ſecundum legem iſtam nati non ſunt, in regno ſuccedere nequeunt. Populus enim imperium deferre poteſt ea lege, quæ ipſi placuerit (§. 277.). Quamobrem legem quoque certam condere poteſt de nativitate liberorum Regis, ut ſint ſucceſſionis capaces. Quoniam

De liberis mentali a ſucceſſione excluſis.

Digitized by Google

niam itaque hac lege ſtandum eſt (§. 43.); qui ſecundum eam nati non ſunt, in regno ſuccedere nequeunt.

Quando regnum hæreditarium inſtituitur, imperium defertur Regi & iis, qui ab ipſo ſunt deſcenſuri per nativitatem. Ut igitur quis ſuccedere poſſit, neceſſe eſt, ut certum ſit, eum a Rege primo deſcendere. Quodſi ergo populus maximam certitudinem habere velit, ac præcavere, ne liberi ſuppoſititii forſan admittantur; de modo naſcendi legem utique condere poteſt, veluti ut adſint perſonæ quædam illuſtres, dum partus in lucem editur, quarum teſtimonio probatur eum ex Regina editum fuiſſe (§. 1014. *part. 5. Jur. nat.*). Similiter etſi concubinatus, qualis erat apud Romanos, naturaliter matrimonium ſit, & cum eo conveniat conjugium ad morganaticam; legem tamen condere poteſt populus, ne ex tali matrimonio nati ſuccedant, & hoc voluiſſe præſumitur, quando iſtiusmodi matrimonium pro juſto non declarat lex civilis. Huc etiam pertinet, ſi Rex matrimonium contrahit cum foemina ignobili, vbi lege fundamentali definitum, qualem ſibi tori ſociam adſciſcere debeat. Ita ſi lege prohibitum ſit, ne perſonam extraneam ducat Rex; ex ea nati regni capaces non erunt, utpote non nati ſecundum patriæ legem (§. 341.), quos unice regni capaces eſſe voluiſſe populus intelligitur.

§. 343.

De renunciatione foeminarum in regno ſucceſſorio.

Si in regno ſucceſſorio foeminæ non admittantur, niſi deficientibus maſculis; renunciationes foeminarum inutiles ſunt. Etenim ſi foeminæ non admittantur, niſi deficientibus maſculis, Regi ultimo ſuccedit filia, vel foemina, quæ cum ſanguine proxime attingit (§. 327.), conſequenter foeminæ ceteræ jus nullum ſuccedendi habent, utpote lege ſeu voluntate populi excluſæ (§. 281.), qua unice ſtandum (§. 43.). Quamobrem cum jus ſuccedendi habere debeat, qui eidem renun-

Digitized by Google

renunciare vult & renunciatio fieri in gratiam alterius (§. 103. *part. 3. Jur. nat.*); facile patet, nulla hic renunciatione eſſe opus, conſequenter renunciationes prorſus inutiles eſſe.

Renunciatio iſta repugnat notioni renunciationis: neque enim ſimpliciter fit, ut foemina ſuccedere nolit, deficientibus licet maſculis, cum eadem ſibi reſervet jus ſuccedendi, quando non fuerit alius, qui ſuccedat. Quamobrem vel declarare intelligitur, quod ſuccedere nolit, quamdiu extant maſculi a primo Rege deſcendentes, vel ſi ultimus Rex habeat filiam, aut adſit, qui ex ea deſcendat. Utrumque ſuperfluum eſt, cum per legem ſucceſſionis foemina ſuccedere nequeat, quamdiu maſculus extat, qui a primo Rege deſcendit, nec admittatur ad ſucceſſionem, ſi Rex ultimus habeat filiam, aut nepotes vel neptes ex eadem cujuscunque gradus, aut adſit foemina cognatione eidem proxima. Iſtiusmodi itaque renunciationes tantummodo pariunt de ſucceſſione lites, quaſi juri cuidam ſuo in gratiam maſculorum renunciatum eſſet, quas tamen populus ſucceſſorio regno inſtituto quam maxime evitare intendit (§. 324.). Natæ ſunt iſtiusmodi renunciationes ex confuſione hæreditatis bonorum & hæreditatis regni, cum tamen hæc ab illa tanquam diverſa ſemper ſit diſtinguenda (§. 336.).

§. 344.

Populus regnum ſucceſſorium inſtituens hanc quoque legem ſucceſſionis condere poteſt, ut definientibus maſculis regnum deferatur foeminæ Regi primo cognatione proximæ, aut ejus deſcendentes, ſeu ad eandem regreſſus fiat: id tamen voluiſſe non præſumitur, niſi adſint rationes manifeſtæ, quæ eo ducunt. Quando enim populus regnum ſucceſſorium inſtituit, ab ejus unice voluntate dependet, quamnam legem ſucceſſionis condere velit (§. 277.) & ex ea æſtimandum eſt jus ad regnum (§. 43.). Quoniam igitur ſucceſſio in regno etiam hoc modo

De regreſſu ad foeminas defi entibus maſculis.

Digitized by Google

fieri potest, ut deficientibus masculis regressus fiat ad foeminas, tamdiu exclusas, quamdiu extabant masculi; regressus iste valet, si populo ita visum. *Quod erat primum.*

Enimvero cum successoria regna non introducantur alio fine, quam ut successio certa sit (§. 324.); id autem omnium optime obtineatur, si Regis ultimi filia, vel foemina cognatione eidem proxima succedat, quod per se patet; populus quoque regnum successorium instituens ea lege, ut deficientibus maribus succedant foeminæ, voluisse intelligitur, ut filia Regis ultimi, vel hac deficiente foemina cognatione eidem proxima succedat, consequenter nunquam præsumitur regressus ad foeminas, quae primum Regem sanguine propius attingunt. *Quod erat secundum.*

Quodsi vero adsint rationes manifestæ, ex quibus ea populi voluntas colligitur; præsumtio hæc utpote rationibus particularibus innixa vincit præsumtionem generalem, quam modo diximus *n. 2.*, consequenter regressus est admittendus. *Quod erat tertium.*

Studio dico, rationes ad fundandam præsumtionem regressus manifestas esse debere, ne sumantur, quæ licet facta fuerint nullo tamen jure facta fuerunt, qualia sunt pacta contra præsumtionem generalem facta & quæ supponunt regnum pertinere ad hæreditatem bonorum, aut Regem præsentem de successione in regnum pro arbitrio disponere posse, quæ absurda esse ex anterioribus abunde patet.

§. 345.

Quando renunciatio foeminarum non inutilis.

Si per legem successionis tempore instituti regni factam valet regressus ad foeminas, quæ primum Regem sanguine propius attingunt; foeminæ renunciare possunt in gratiam filiæ ultimi Regis, vel etiam foeminarum, quæ primum Regem ulteriori gradu san-

sanguine attingunt. Quoniam enim renunciatur juri futuro & conditionato in gratiam alterius, quod per se patet, modo attentione sufficiente utaris; nihil hic committitur, quod renunciationi repugnat (§. 103. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter cum quilibet juri suo renunciare possit (§. 118. *part. 3. Jur. nat.*); nihil quoque obstat, quo minus istiusmodi renunciatio valeat.

Casus propositionis praesentis utique possibilis est (§. 79. *Ontol.*), non vero de eo jam quaeritur, utrum facile, an difficulter dabilis sit. Neque diffitemur, male sibi consulere populum, si istiusmodi successionis modum instituat, ut deficientibus masculis pateat regressus ad foeminas exclusas. Turissimum omnino est (§. 324.), ut foeminae semel exclusae semper exclusae maneant, aut remotiores non admittantur, nisi propiori non extante. Immo omnium optime tranquillitati Reip. prospicit populus, si voluntatem suam in prima delatione imperii expresse declaret, ut foemina semel exclusa semper exclusa esse debeat, quae etiam in casu dubio praesumitur (§. 324. *b.* & §. 515. *part. 6. Jur. nat.*).

§. 346.

Quenam sit successio linealis.

Successio linealis est, in qua regnum continuo ab uno ad alterum devolvitur in linea recta, nec ad aliam ceteris propiorem fit transitus, nisi illa extincta. Quoniam regna successoria introducuntur eo fine, ut successor sit certus (§. 324.), major autem certitudo obtineri nequit, quam si regnum continuo devolvatur ab uno in alterum in eadem linea, & ea extincta fiat transitus in lineam ceteris eidem propiorem, prouti ex ipsa notione lineae rectae agnationis & cognationis facile patet (§. 563. 570. *part. 7. Jur. nat.*); *successio linealis omnium maxime convenit fini regnorum successoriorum* (§. 932. *Ontol.*).

Digitized by Google

E. gr. Ponamus Regem primum duos habere filios, a quibus ſingulis deſcendunt tres nepotes, cum tertio autem nepote ex filio primogenito extingui lineam primam. Regnum ipſo mortuo devolvitur ad filium primogenitum, ab eo ad nepotem primi gradus, ab hoc ad nepotem gradus ſecundi, & ab hoc denique ad nepotem gradus tertii. Hoc mortuo regnum demum pertinet ad filium natu minorem, & ab eodem regnum transmittitur eodem, quo ante, ordine ad nepotes ipſius. Quodſi ponamus nepotem tertii gradus primi Regis in linea prima duos habere filios, a quibus rurſus in duabus lineis ſuccedunt alii, quorum ipſe ſtipes communis eſt (§. 559. *part. 7. Jur. nat.*); devolutio regni continuabitur in linea prima, & eadem extincta fiet transitus in ſecundam, præterita linea aut lineis pluribus, ſi exiſtunt, quæ ſtipitem communem filium natu minorem primi Regis habent, ac ita porro. Quamobrem facile patet, ſucceſſorem non magis certum eſſe poſſe, quam in hoc genere ſucceſſionis.

§. 347.

Cur mortui habendi pro vivis & quomodo regnum transmittatur.

Quoniam *in ſucceſſione lineali* regnum continuo ab uno in alterum devolvitur in eadem linea recta, nec ab ea fit transitus niſi hac extincta ad eam, quæ ceteris ipſi propior eſt (§. 346.); *mortui habentur pro vivis, & regnum per eos devolvitur ad eum, qui in vivis eſt, in eadem quidem linea ſemper a perſona gignente ad genitam, quando vero fit transitus de linea in lineam ab ea, quæ ultima eſt in linea regnatrice ad illam, quæ in linea ceteris propiore primum locum occupat, ſeu quæ lineam iſtam inchoavit, aut defuncta proxima eſt, vel eſſet, ſi viveret.*

Mortui ideo habendi ſunt pro vivis, ut absque difficultate pateat, quomodo ſuccedi debeat, nec ulla de ſucceſſione dubitatio locum habeat. E. gr. ponamus filium primi Regis natu majorem mori ante patrem, itidemque ex eo, quem habet

Digitized by Google

bet nepotem, ipſo autem mortuo ſupereſſe nepotem ſecundi gradus, ſeu pronepotem. Fingitur ideo regnum a patre transmitti in filium natu majorem, qui cum mortuus id adminiſtrare non poſſit, idem transmittit in filium ſuum Regis primi nepotem, qui cum itidem non amplius ſit in vivis, id in filium ſuum, Regis primi pronepotem transmittit. Hoc pacto conſtans manet regula, ut regnum non transmittatur niſi a perſona gignente in genitam, aut ſi talis non exiſtat, in eam, quæ primum locum occupat in linea obliqua propiore, ſeu defuncto proximam.

§. 348.

Quoniam in ſucceſſione lineali mortui habentur pro vivis & per eos regnum transmittitur ad eorundem deſcendentes (§. 347.); *jus mortuorum transit ad eos, qui ab ipſis deſcendunt, & a vivis in mortuos, a mortuis in vivos ſemper transmittitur*, conſequenter *in ſucceſſione lineali manifeſtum eſt, jus ad regnum ſucceſſores non habere a Rege, a quo deſcendunt, ſed a populo, qui talem ſuccedendi modum definivit* (§. 277.), *ſeu ab ejus autore.* *Quomodo jus ad regnum transmittatur.*

In regno hæreditario Rex, dum moritur, jus ad regnum transmittit ad eum, qui ſanguine proxime ipſum attingit, nec mortuorum in transmiſſione ulla habetur ratio. Atque eadem ratio eſt, cur ex ipſo modo ſuccedendi non appareat, jus ad regnum ſucceſſori non competere, niſi ex voluntate populi, vel autoris modi ſuccedendi: etenim Rex quoque, qui regnum in patrimonio habet, modum quendam ſucceſſionis introducere poteſt perinde ac populus liber regnum inſtituens (§. 283.).

§. 349.

Quoniam mortui habentur pro vivis *in ſucceſſione lineali* & ab iis regnum transmittitur in vivos (§. 347. 348.); *liberi non ſuccedunt in locum parentum*, conſequenter *jus ad regnum* *An juri repræſentationis in ſuc-*

ceſſione lineali ſit locus.

gnum non habent jure repræſentationis (§. 981. *part.* 7. *Jur. nat.*).

Juri repræſentationis locus nullus eſt in ſucceſſione lineali, ſed unusquisque ſuccedit jure ſuo proprio.

§. 350.

Succeſſio linealis agnatica quænam ſit.

Succeſſio linealis agnatica dicitur, ſi foeminæ a ſucceſſione in regnum & ex iis deſcendentes in æternum excluduntur, ſeu introducta in regno ſucceſſorio, ad cuius adminiſtrationem nulla admittitur foemina.

Succeſſio hæc obtinet in Gallia: unde & *ſucceſſio juris Francici* appellatur. Ideo autem placet hæc ſucceſſio, ne per foeminarum matrimonia ad peregrinos imperium deveniat, ſeu Regem aut principem externum, moribus aliis quam patrios adſuetum, nec inſertis per matrimonium externis in familiam regiam ſtirps regia antiqua nimium rejiciatur.

§. 351.

An filia Regis ultimi vel ex ea deſcendentes ſuccedere poſſint.

Quoniam *ubi ſucceſſio linealis agnatica obtinet*, foeminæ ad regnum non admittuntur, ſed cum deſcendentibus ſuis etiam maſculis in æternum excluduntur (§. 350.); *filia Regis ultimi eidem ſuccedere nequit, nec ſuccedere poteſt maſculus ex ea natus, immo deficientibus maſculis nullus datur regreſſus ad foeminas excluſas.*

In ſucceſſione lineali agnatica foeminarum a primo Rege deſcendentium nulla prorſus habetur ratio, ac per conſequens nec eorum, qui ex iis naſcuntur, ut perinde ſit, ac ſi abeſſent.

§. 352.

Succeſſio linealis cognatica

Succeſſio linealis cognatica dicitur, ſi foeminæ quoque admittantur ad ſucceſſionem in regno: quod cum duplici modo

Digitized by Google

modo fieri poſſit, vel ut foeminæ pari jure utantur cum maribus, vel ut maſculis deficientibus ſuccedat foemina Regi ultimo proxima, illam *ſucceſſionem linealem cognaticam primi generis*, hanc vero *ſucceſſionem linealem cognaticam ſecundi generis* appellare lubet. Poſterior quoque *ſucceſſio caſtiliana* vocari ſolet, quia in regno Caſtiliæ uſitata. *gnatica quæ-nam & quo-tuplex ſit.*

Vulgo equidem ſucceſſionis linealis duæ tantummodo conſtituuntur ſpecies, nimirum agnatica, de qua ante diximus (§. 350.), & cognatica, quæ caſtiliana vocatur, quod ejus, quam primi generis diximus, vix exempla ullibi gentium exiſtant; in Jure tamen naturæ, ubi de facto ſermo non eſt, ſaltem quæritur, quinam modus ſuccedendi ſit poſſibilis, quoniam ex poſſibilibus populus eligere poteſt eum, qui placuerit. Quamobrem ſucceſſionem linealem cognaticam primi generis ſilentio præterire non debuimus.

§. 353.

Quoniam *in ſucceſſione lineali cognatica primi generis* foeminæ pari jure cum maribus utantur (§. 352.), *ſi foemina cum mare pari gradu concurrit, natu major præfertur mari natu minori*, conſequenter *in pari gradu nulla datur ſexus prærogativa* (§. 93. *part. 1. Jur. nat.*), *& ſucceſſio continuatur in liberis ejus ac ipſis poſtponuntur maſculi cum ſuis liberis.* *Qualis ſit ſucceſſio linealis cognatica primi generis.*

Nimirum linea ultimi poſſeſſoris regni continuatur per filiam natu majorem, perinde ac in agnatica per filium natu majorem. Habentur vero etiam hic mortui pro vivis, quemadmodum in omni ſucceſſione lineali (§. 347.), ita ut per mortuos continuo ordine regnum devolvatur ad eam perſonam, quæ in vivis eſt. Succeſſio hoc modo ſatis certa eſt, neque enim ſexus differentia certitudini ſucceſſionis ullo modo officit: regnum tamen ad extraneos Principes per matrimonia miris modis devenit, niſi Principibus extraneis nubere prohibean-

Digitized by Google

beantur, ac propterea familia Regis primum a populo electi, quippe quæ per mares potissimum continuatur, fœminis in aliam familiam transeuntibus, dum nubent, nimium postponitur. Et hæc dubio procul ratio est, cur is succedendi modus sit inusitatior.

§. 354.

Qualis sit successio castiliana.

Quoniam *in successione lineali cognatica secundi generis, seu Castiliana* fœmina possessori regni ultimo proxima ad regnum demum vocatur, deficientibus masculis (§. 352.); *si fœmina cum mare pari gradu concurrit, natu major postponitur mari natu minori,* consequenter *in pari gradu datur sexus prærogativa & ætatis prærogativa non obtinet nisi in eodem sexu* (§. 93. *part. 1. Jur. nat.*), *& successio continuatur in eadem linea per masculos, quamdiu masculi supersunt, nec continuatur per fœminam, nisi quando in eadem deficiunt mares ex maribus nati.*

E. gr. Ponamus Regem primum habere duos filios & filiam unam natu maximam. Regnum ab eo devolvitur ad filium ejus primogenitum, filius autem secundo genitus & filia sunt autores linearum collateralium, quarum ea, quæ per filium natu minorem inchoatur præfertur alteri, quæ inchoatur per filiam, utrinque continuanda per liberos ipsorum & si plures habeant in plures dispergenda habita sexus atque ætatis ratione. Hinc regnum a filio primogenito, sive in vivis fuerit, sive mortuus, devolvitur ad filium ipsius primogenitum & ita porro, nec venit ad fœminam in eadem linea, nisi quando possessor regni ultimus in eadem prolem masculam non habet, sed nonnisi filiam, aut filias, ubi in casu priori filia unigenita, in posteriori autem filia primogenita succedit, aut, si viveret, succedere deberet. Ut autem pateat, a quanam persona regnum devolvatur ad eam, quæ succedere debet, mortuorum habenda ratio est. Ponamus exempli causa Regem ultimum in linea regnatrice habuisse filium, qui sine prole,

Digitized by Google

le decessit, & dum moritur non supersesse nisi filiam natu minorem, natu autem majorem similiter sine prole decessisse. A Rege, quando moritur, regnum devolvitur ad filium, ab eo autem ad filiam primogenitam, & ab hac demum ad filiam natu minorem. Nimirum si filius esset in vivis, ipse succederet &, si improles moreretur, regnum relinqueret sorori natu majori, siquidem ea adhuc viveret, hac autem sine prole moriente regnum veniret ad sororem natu minorem & successio deinde continuatur in liberis ejus, eo ordine, quem admittit sexus & ætatis prærogativa. Hoc equidem modo regnum per foeminas quoque ad extraneum Principem devenit; non tamen tanta varietate, quanta obtinet in successione lineali cognatica primi generis (*not.* §. 352.).

§. 355.

Similiter quia in successione lineali cognatica primi generis foemina natu major pari gradu præfertur mari natu minori (§. 352.), in successione autem lineali cognatica secundi generis eidem postponitur (§. 353.); *in successione lineali cognatica primi generis filius ex sorore natu majore præfertur filiæ ex fratre minore & filia ex filio natu majore præfertur filio ex filia minore natu; at in cognatica secundi generis filia ex filio semper præfertur filio ex filia & filia ex fratre filio ex sorore, in utroque autem filius majoris fratris fratri minori.* *Modus succedendi declaratur exemplis.*

Manifesta hæc sunt, si liberi Regis suo ordine collocentur, veluti in casu primo



Nimirum in filia natu majore Regis continuatur linea regna-

Digitized by Google

trix, in filio autem natu minore incipit nova linea. Transitus de linea in lineam non fit, quamdiu in illa persona quædam existit. Mortuo igitur Rege regnum devolvitur ad filiam natu majorem, postposito filio natu minore, & per illam, cum mortua sit, ad filium ipsius, consequenter etiam filia ex filio natu minore postponitur. Quodsi enim filius ex filia natu majore moriatur improles, ascendendo ad Regem demum itur ad lineam proximam, & regnum venit ad filium natu minorem, a quo, cum mortuus supponatur, devolvitur ad filiam ejus. Similiter si Rex improles moritur, regnum venit ad lineam proximam, quam inchoat soror, quæ natu major supponitur fratre quem habet. Hæc autem ante illum mortua, ab ea devolvitur ad filium ipsius, postpositis fratre minore ante Regem mortuo atque filia ipsius, quæ adhuc in vivis est, tanquam in linea remotiori existentibus. Similiter in casu secundo personæ ita collocandæ sunt.



Atque tum statim patet, a Rege regnum devolvi ad filium, & ab eo, si mortuus sit ante patrem, ad filiam ipsius, postposita filia Regis cum filio suo, ad quam venire nequit nisi a filia filii ascendendo ad lineam proximam, quam filia Regis inchoat, siquidem illa sine prole decedat. In exemplo altero Rege sine prole mortuo regnum devolvitur ad fratrem & ab eo, cum mortuus ante Regem supponatur, ad filiam ejus, &, ubi hæc improles obit, ascendo ad lineam proximam, in qua regnum venit ad sororem, & ab ea ad filium ejus transmittitur. Denique in casu tertio personæ ita collocantur:



Ita statim apparet, si Rex improles moriatur, regnum devolvi ad lineam proximam, quam inchoat frater Regis natu major,

Digitized by Google

jor, utpote propter prærogativam ætatis minori præferendus. Quamobrem cum non fiat transitus de linea in lineam, quamdiu in linea regnatrice ſupereſt, qui ſuccedere poſſit, a fratre majore mortuo regnum transmittitur ad filium ipſius poſtpoſito fratre minore. Et quia ſupponitur, non adeſſe ſororem Regis, quæ ob prærogativam ætatis cum ſuis liberis regnum ad ſe traheret; filius fratris majoris præfertur fratri minori in utraque ſucceſſione lineali cognatica. Facile autem intelligitur, in collocandis perſonis habendam eſſe rationem prærogativæ ætatis, atque ſexus, qualis obtinet in qualibet ſucceſſionis ſpecie.

§. 356.

De ſubſtitutione ſucceſſionis cognaticæ in locum agnaticæ.

Si deficiente agnatica ſubſtituitur ſucceſſio linealis cognatica, regnum devolvitur ad filiam Regis ultimi & ejus liberos maſculos, vel ad cognatam proximam, veluti ſororem & ejus liberos maſculos. Quoniam enim ſucceſſio cognatica non ſubſtituitur agnaticæ niſi eo fine, ut, Rege ultimo mortuo certa ſit ſucceſſio (§. 324.), ſucceſſio cognatica non latius extendenda, niſi quantum ſufficit, ut finis iſte obtineatur. Quamobrem cum hoc fiat, ſi deficientibus nonniſi maſculis admittantur foemina una cum maribus, qui ex ea deſcendunt, ſucceſſio quoque cognatica non amplius extendenda. Quamobrem regnum tantummodo devolvitur ad filiam, vel proximam cognatam, & deinde ſecundum legem ſucceſſionis agnaticæ ſuccedunt liberi ejus maſculi.

Nimirum quando hæc ſubſtitutio fit, deficientibus maſculis foeminæ obtingit regnum, quæ eo loco eſt, quo ſi eſſet mas, illud ad eam devolveretur. Subit itaque foemina in locum maſculi paris gradus, & ſucceſſio in ejus linea excluſis foeminis continuatur. Deficientibus maſculis foemina habetur pro maſculo, ut ſucceſſio continuari poſſit. Locum ideo foeminæ non facit niſi neceſſitas, qua ſublata ſucceſſio agnatica

tica est. Probe autem notandum est, substitutionem cognaticam in ipsa lege successionis tempore instituti regni condita contentam esse debere, siquidem foemina vel ex ea nati ad capessendum imperium admitti debeant. Quodsi enim deficiente stemmate masculino, a populo vel iis, qui jus eligendi habent, in locum Regis ultimi evehitur foemina, veluti filia, aut soror, vel masculus ex ea natus; hoc fit libera electione, nec propterea dici potest singularis successionis species, in qua linea cognatica substituatur agnaticæ, cum tunc eligi poterat persona quæcunque alia. Accedit, in eo casu lineam cognaticam quamcunque, etiam remotiorem, excluſa propriori, agnaticæ deficienti substitui posse, immo novum succedendi modum introduci: id quod minime succedit, si initio is succedendi modus fuerit stabilitus, ut, quoties deficit masculus, successio cognatica agnaticæ substituatur. Contingere autem potest, ut, facta ista substitutione, imperium per tempus satis longum sit penes foeminas. Ponamus enim Regem ultimum tres habere filias. Eo mortuo regnum transmittitur in natu majorem, hac autem fine prole moriente, ad secundam. Quodsi hæc non habuerit filium, aut ex filio ante matrem mortuo tantum superſit neptis, ad hanc regnum venit & ab ea ad filiam ipsius, si nullus adsit filius. Quodsi hæc sine prole moriatur, regnum ab ea devolvitur ad filiam tertiam & ut ante ad liberos ejus sexus foeminei, quamdiu masculi desunt. Tale quid metuendum non est, si libera electione linea cognatica substituitur agnaticæ: tum enim excludi, aut potius præteriri possunt lineæ, quæ maribus carent, & foemina quoque præteriri potest, etiamsi in vivis sit, quæ lineam inchoat, & eligi vel filius, vel nepos ejus.

§. 357.

De successione secundum gradus familiæ.

Concipi adhuc possunt alii successionum modi. Talis est, ut eo ordine quisque ad regnum vocetur, quo autori stirpis regiæ proximus, habita ætatis &, quando foeminæ exclu-

excluduntur ſexus ratione, ſeu ut ſucceſſio fiat ſecundum gradus familiæ primi Regis, nec fiat transitus de uno gradu in alterum, quamdiu in gradu propiore quis ſupereſt. Patet itaque *in ſucceſſione ſecundum gradum familiæ primo Regi ſuccedere omnes filios pro ætatis ordine, inde omnes nepotes habita ratione tam ætatis parentum, quam propriæ & ſic porro.*

Modum hunc ſuccedendi olim obtinuiſſe in Numidia ex *Livio* lib. 29. c. 29. colligitur. Exempla alia in medium afferunt *Grotius* lib. 2. c. 7. §. 24. & *Puffendorfius* lib. 7. c. 7. §. 14. Poteſt autem hic ſuccedendi modus ad imitationem ſucceſſionis linealis dividi in agnaticum & cognaticum. In priore excluduntur foeminæ, in poſteriore foeminæ vel poſtponuntur maribus in pari gradu, vel admittuntur cum maribus ſecundum ætatis ordinem. Immo locum hic quoque habere poteſt ſubſtitutio ſucceſſionis cognaticæ in locum deficientis agnaticæ, ita ut, ſi in ultimo familiæ gradu tantum ſuperſint foeminæ, natu major ſubeat in locum maris & in ejus familia deinceps continuetur ſucceſſio eo modo, quo in familia primi Regis. Non opus eſſe, ut proſtent ſucceſſionis cognaticæ & ſubſtitutionis, quam diximus, exempla, ex anterioribus abunde liquet.

§. 358.

Alius ſuccedendi modus eſt, quo patri non ſuccedit filius, ſed ſororis filius, ſeu in genere nonniſi filii ex filiabus Regum, non vero a primo Rege deſcendentes mares ſuccedunt, habita ratione ætatis filiarum, ſi plures una fuerint. Poterat *ſucceſſio* hæc dici *Malabarica*, quia per totam Malabariam recepta, quamvis etiam mos idem ſuccedendi obſervetur apud plures alios Indiæ populos. *De ſucceſſione ex filiabus Regum natorum.*

Ratio, ob quam placet hic ſuccedendi modus, hæc eſt, quod putent, de filiis ex filiabus Regum multo certiorem eſſe fidem, quod ſint ex proſapia regia, quam de iis, qui ex uxo-

Digitized by Google

ribus Regum naſcuntur. Ut modus ſuccedendi clarior evadat, ponamus primum Regem habere filium & filiam, ex hac vero ipſi naſci nepotem. Nepos hic defuncto ſuccedit excluſo filio cum omnibus liberis cujuscunque gradus. Quodſi ergo hic denuo habuerit filiam, qui ex ipſo naſcitur avo ſuo ſuccedit. Si aliam præterea habuerit filiam juniorem, nec filia natu major filium pepererit, ſuccedet filius ex juniore, ac ita porro.

§. 359.

Singularis ſuccedendi modus.

Apud Chatramotitas, Arabum nationem, referente *Strabone* l. 16. ſucceſſit in regno non filius patri, ſed qui primus e nobili genere poſt conſtitutum Regem naſcitur. Quare ſimul ac aliquis in imperio conſtitutus eſſet, omnes nobilium virorum uxores prægnantes conſcribebantur & cuſtodes apponebantur, qui obſervarent, quæ prima peperiſſet. Nam ejus filius ex lege aſſumtus & ad regni ſucceſſionem regaliter educatus.

Modus hic ſuccedendi introductus videtur ad evitandas turbas, quæ in electione Regis ex familiis nobilibus ortæ fuerant: ita enim earum conſenſus in regnum ſucceſſorium facile impetrabatur, quod antea erat electivum. Ac præterea ad regni ſucceſſionem educari poterat futurus ſucceſſor, ut tanto certior eſſet ſpes regiminis boni.

§. 360.

Modus alius eidem affinis.

Ad ejus imitationem excogitari poteſt modus alius, ut certæ familiæ eligantur, ex quibus ſede vacante ſucceſſor aſſumendus, ea quidem lege, ut natu maximus ceteris præferatur.

Quodſi dicas, convenientius eſſe, ut ad regni ſucceſſionem aſſumatur, qui ad imperandum aptior ſit; ex iis, quæ ſæpius jam

Digitized by Google

jam inculcavimus, patet, hunc modum non eſſe aptum ad diſcernendum partes diſſidentes, & in eo caſu regnum potius fore electivum, quam ſucceſſorium. Per ſe autem liquet, cum lege populi, aut eorum, qui jus populi habent, omnis ſuccedendi modus definiatur (§. 277.), quicunque modus ſuccedendi eligatur, eidem a populo certas ſtatui poſſe leges, prouti ſaluti Reip. ſe optima ratione conſulere poſſe viſum fuerit.

§. 361.

Adhuc alius.

Immo certæ quoque eligi poſſunt familiæ, ex quibus ordine ſuo ſuccedant Reges, veluti ſi quatuor fuerint familiæ, primum ex prima, ſecundo ex ſecunda, tertio ex tertia, quarto ex quarta, ac deinceps iterum ex prima & ita porro ſuccedat mas natu maximus, vel etiam foemina natu maxima, ſi quoque foeminas ad regnum admittere viſum fuerit.

Nolumus curioſius inquirere in plures ſuccedendi modos, ſufficit enim in genere conſtare, quod quivis modus poſſibilis locum habere poſſit, qui populo placuerit (§. 277.).

§. 362.

An filius a patre exhæredari poſſit.

Si regnum fuerit patrimoniale, filius a patre exhæredari poteſt: in ſucceſſorio alio, etiamſi regnum hæreditarium ſit, exhæredari nequit, ut ne in eodem ſuccedat. Etenim ſi regnum fuerit patrimoniale, Rex ſibi ſucceſſorem eligere poteſt, quem voluerit, etiam extraneum (§. 283.), conſequenter pater filium non modo præterire, verum etiam expreſſe declarare poteſt, ut ne is in regnum ſuccedat. Quoniam itaque iſtiusmodi declaratio exhæredatio eſt (§. 1000. *part. 7. Jur. nat.*); ſi regnum fuerit patrimoniale pater filium exhæredare poteſt. *Quod erat primum.*

Enimvero

Digitized by Google

Enimvero si regnum fuerit successorium, imperium defertur lege, quam populus condidit, aut, si nulla extet, moribus gentium vicinarum succeditur (§. 323.), quos legis instar esse patet (§. 277.). Jus igitur ad regnum non habet filius a patre, sed a populo. Quamobrem nec pater filio jus adimere potest (§. 336. *part. 3 Jur. nat.*). Quoniam itaque jus ad regnum filio adimitur, si exhæredatur (§. 1000. *part. 7. Jur. nat.*); filius a patre, si regnum successorium fuerit, sed non patrimoniale, exhæredari nequit. *Quod erat secundum.*

Quamvis vero modus succedendi hæreditarius fuerit; cum tamen regnum hæreditarium non sit pars hæreditatis paternæ, sed separata quædam hæreditas (§. 336.), & modus succedendi saltem a populo ad formam successionis ab intestato redactus (§. 326.), illo non obstante, jus ad regnum non a patre, sed a populo habet filius, consequenter ut ante patet, etiamsi regnum fuerit hæreditarium, hoc tamen non obstante filium a patre exhæredari non posse. *Quod erat tertium.*

Quæcunque igitur sunt justæ exhæredationis causæ, eæ tamen non attenduntur in successione in regnum. Sed ferendum patri, ut filius succedat, quem etiam jure naturali exhæredare potest.

§. 363.

Exhæredationis effectus si regnum fuerit successorium.

Quoniam pater filium exhæredare nequit, si regnum fuerit successorium, qualiscunque tandem placuerit succedendi modus (§. 362.); *si filius a patre exhæredatur, in bona ejus privata succedere nequit, exhæreditus tamen succedit in regnum quod patrimoniale non est, & bona regia* (§. 286. 289.).

Cum

Digitized by Google

Cum bona Regis privata ad regnum minime pertineant (§. 286.), de iis quoque tanquam privatus diſponit, conſequenter quoad ea ob juſtas cauſas filium exhæredare poteſt (§. 1000. *part. 7. Jur. nat.*), etſi eum exhæredare non poſſit quoad regnum, aut bona regia. Quodſi ergo Rex filium exhæredet, allegatis etiam juſtis exhæredationis cauſis; is tamen nonniſi quoad bona ipſius privata exhæredatus intelligitur, & ad ea reſtringenda exhæredatio, propterea quod exhæredatio quoad bona regia & regnum ipſo jure nulla eſt (§. 362.).

§. 364.

In ſucceſſorio regno jus ſuccedendi ſuo ordine acquiritur per nativitatem; quaſi ſpes vero jus iſtud ſuccedendi per nativitatem acquirendi per conceptionem in utero materno. Etenim quando regnum ſucceſſorium inſtituitur, in primum Regem transfertur imperium certa lege in nondum natos morte poſſidentis ſucceſſive transmittendum (§. 277. 279.). Enimvero ſi jus in te transfertur certa lege in nondum natos, dum transfertur, morte poſſidentis ſucceſſive transmittendum; quamprimum illi naſcuntur jus acquirunt in jus in te translatum ſuccedendi, conditione lege definita exiſtente, quamprimum vero concipiuntur in utero materno, quaſi ſpem acquirunt per nativitatem jus iſtud ſuccedendi acquirendi (§. 836. *part. 6. Jur. nat.*). In regno itaque ſucceſſorio jus ſuo ordine ſuccedendi acquiritur per nativitatem, quaſi ſpes vero jus iſtud ſuccedendi per nativitatem acquirendi per conceptionem in utero materno. *Quomodo jus ſuccedendi in regnum acquiratur.*

Clarius hoc eluceſcit ex ſpecialibus ſuccedendi modis, quos hactenus explicavimus.

§. 365.

Quoniam in regno ſucceſſorio jus ſuccedendi ſuo ordine *De jure parentum in*

Digitized by Google

jus succedendi liberorum. dine acquiritur per nativitatem, quasi spes vero jus istud succedendi per nativitatem acquirendi per conceptionem in utero materno (§. 364.), & tam jus acquisitum (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*), quam quasi spes acquirendi per nativitatem jus conditionatum succedendi in jus in primum acquirentem transmissibiliter collatum foetui adhuc in utero existenti adimi nequit (§. 838. *part. 6. Jur. nat.*); *parentum voluntate nec jus succedendi liberis natis, nec quasi spes jus istud per nativitatem in utero materno conceptis acquirendi adimi potest.*

Nihil hic asseritur, quod non sit evidens, modo animo comprehenderis ea, quæ alibi in genere demonstravimus, præsertim de quasi spe foetus in utero (§. 836. *& seqq. part. 6. Jur. nat.*), nec jus succedendi in regnum cum jure hæreditario confundas (§. 289.).

§. 366.

De abdicatione regni. *Rex regnum abdicare potest pro se & liberis nondum natis, nec in utero materno conceptis; sed non pro jam natis aut in utero conceptis.* Quando enim regnum successorium instituitur, ea populi voluntas est, ut successio ab uno in alium devolvatur, & in locum Regis deficientis certa lege succedat alius (§. 279.). Quamobrem cum lege successionis jam designatus sit successor, si Rex deficiat, non ea fuisse intelligitur populi voluntas, ut regnum sibi delatum necessario acceptet is, ad quem devolvitur, vel ut id, quamdiu vixerit, administret, ubi acceptaverit. Liberum itaque ipsi est, quandocunque visum fuerit, declarare, quod diutius regnum habere nolit, consequenter idem pro se abdicare potest (§. 115. *part. 3. Jur. nat.*). *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam parentum voluntate nec jus succedendi liberis natis, nec quasi spes jus istud per nativitatem

Digitized by Google

tem acquirendi in utero materno jam conceptis adimi poteſt (§. 365.), adimitur autem natis jus ſuccedendi, in utero materno conceptis quaſi ſpes jus iſtud acquirendi, ſi pater declaret ſe nolle, ut liberi in regnum ſuccedant, conſequenter ſi pro liberis ſuis jam natis, aut in utero materno conceptis regnum abdicet (§. 115. *part. 3. Jur. nat.*); Rex pro liberis jam natis, aut in utero materno jam conceptis regnum abdicare nequit. *Quod erat ſecundum.*

Cum vero nondum natus jus nullum habere poſſit (§. 830. *part. 6. Jur. nat.*), nec antequam foetus in utero materno concipitur, ſpem acquirendi per nativitatem jus ſuccedendi habeat (§. 836. *part. 6 Jur. nat.*); ſi pater declaret, ſe nolle, ut in regnum ſuccedant liberi ſui nondum nati nec jam in utero materno concepti, nihil ipſis adimitur. Quamobrem cum Rex pro liberis ſuis abdicet regnum, ſi declaret nolle ſeſe, ut iidem in regnum ſuccedant (§. 115. *part. 3. Jur. nat.*); quin pro liberis nondum natis, nec jam in utero materno conceptis regnum abdicare poſſit, dubitandum non eſt. *Quod erat tertium.*

Regnum ſucceſſorium non alio fine introducitur, quam ut ſucceſſor ſit certus (§. 324.). Finis iſte obtinetur, etiamſi Rex pro ſe regnum abdicet, cum non deſit alius, qui ſuccedat. Immo ſi fuerit ultimus in familia regnatrice, ſeu primi Regis, parum intereſt, ſive populus, regno abdicato, ſive Rege mortuo, de eodem ſtatuat. Quod ſi regnum abdicet Rex pro ſe ac liberis ſuis nondum natis, nec jam in utero materno conceptis, non demum opus eſt populi conſenſu. Ponamus enim populum velle, ut nondum natorum, nec in utero materno conceptorum habeatur ratio; cum is, quem deficiente Rege ordo tangit, ad regnum ſit admittendus, lege autem ſucceſſionis eidem detur ſucceſſor, ordo ſuccedendi perturbatur, contra finem, qui regni ſucceſſorii inſtitutione intenditur.

Digitized by Google

In ſucceſſione quidem lineali mortui habentur pro vivis, ut evidentior ſit modus ſuccedendi: eadem vero ratio non exigit, ut nondum quoque nati habeantur pro natis, aut, qui in utero materno nondum exiſtunt, pro jam conceptis, neque populus in prima delatione regni quicquam juris in eos transferre potuit (§. 834. *part. 6. Jur. nat.*).

§. 367.

De renunciatione.

Succeſſioni in regno quilibet renunciare poteſt pro ſe & liberis nondum natis, nec in utero materno conceptis, ſed non pro jam natis, aut ſaltem in utero materno conceptis. Cum juri ſuccedendi in regnum renuncietur, ſi ſufficienter in gratiam alterius declaretur, ſe in regnum ſuccedere nolle, nec ſuccedendi jure adverſus alterum uti velle (§. 103. 104. *part. 3. Jur. nat.*), quemadmodum qui regnum abdicat declarat, ſe idem diutius habere nolle (§. 115. *part. 3. Jur. nat.*); facile patet propoſitionem præſentem eodem modo oſtendi, quo præcedens demonſtrata fuit.

Ita in ſucceſſione lineali filius natu major, qui vitam coelibem agit, renunciare poteſt in gratiam fratris minoris, ut regnum mortuo patre ad hunc & ab eo deſcendentes devolvatur. Tum vero patet, renunciationem hanc fieri non poſſe in gratiam nepotis Regis ex filio natu minore, ſi is jam habeat filium, dum renunciat. Quamvis vero ſi coelebs renunciet, poſtea uxore ducta, ipſi naſcantur filii; hi tamen per nativitatem jus ſuccedendi ſuo ordine acquirere nequeunt, quoniam regreſſus de linea in lineam fieri nequit, niſi idem reſervetur. Si autem regreſſus referatur, prærogativa lineæ in lineam, vel lineas alias transfertur, ut ideo renunciatio cum regreſſu reſervato tanquam peculiaris actus a nuda renunciatione diſtingui poſſet, modo vocabulis commodis non deſtituemur. Qui ita in gratiam alterius renunciat, jus ſuum cum jure alterius revera commutat, conſequenter facta commutationis

Digitized by Google

tione quilibet jus alterius ad eos, qui ex ipso descendunt, transmittit, linea nimirum una in locum alterius substituta.

§. 368.

Quoniam juri succedendi in regnum renunciari nequit pro liberis jam natis, vel in utero materno conceptis (§. 367.) ac idem valet de abdicatione regni (§. 366.); *si quis juri succedendi renunciet pro se ac liberis suis, vel regnum pro se ac liberis abdicet; renunciatio & abdicatio pro liberis jam natis, aut in utero materno conceptis, ipso jure nulla est*, consequenter *in successione lineali agnatica patri succedit filius, vel nepos, adeoque nec illa abdicatio, vel renunciatio nocet ex iisdem nascituris.* Similiter patet, *in aliis succedendi modis renunciationem & abdicationem non nocere juri succedendi suo ordine liberorum, natorum, nec ex iis nascturorum.* *Quando renunciatio & abdicatio pro liberis ipso jure nulla, nec nascituris nocet.*

Nimirum nascituris non nocet renunciatio & abdicatio, quamdiu tempore renunciationis, aut abdicationis adest, qui in locum abdicantis, vel renunciantis vi legis successionis succedit, & ex quo deinceps successive nascuntur, a quorum uno ad alterum regnum devolvitur eo ordine, qui lege successionis continetur. Populus, qui permittit renunciationem & abdicationem, nec eam expresse prohibuit, nolle etiam intelligitur, ut jus succedendi per eos propagetur ad nascituros, qui renunciarunt juri succedendi & regnum abdicarunt. Quamvis itaque simpliciter tantummodo renunciarunt, vel nulla liberorum, seu ex ipsis nascturorum mentione facta, regnum abdicarunt; nondum nati tamen, nec in utero materno jam concepti nihil juris per nativitatem aut conceptionem acquirere possunt, ut adeo superfluum existimari debeat renunciatio, vel abdicatio pro nascituris. Ceterum cum jus succedendi non aliter acquiri possit, quam populus regnum successorium instituens voluit (§. 277.); dubium non est, quin renunciatio & abdicatio nocere etiam possit jam natis ac in utero ma-

Digitized by Google

terno conceptis, si lege tempore instituti regni lata expresse hoc dictum fuerit. Etenim tam per nativitatem non acquiritur jus suo ordine succedendi, nisi sub hac conditione, si is, a quo regnum ad acquirentem devolvi debet sive immediate, sive mediate, non renunciet, aut regnum abdicet. Absit itaque, ut fingas contradictionem, quasi populus velit jus aliquod per nativitatem acquiri, & non acquiri, vel legem successionis injustam pronuncies, quasi jus quæsitum eadem auferatur.

§. 369.

An filius in regia fortuna natus præferendus filio ante regni adeptionem natus.

Filius ante regni adeptionem natus præferendus ei, qui in regia fortuna natus est in quavis successionis specie, nisi expresse in prima delatione imperii contrarium dicatur. Quando enim regnum defertur primo regi, cum successorium esse debeat, ea lege defertur, ut, qui ab eo per nativitatem descendunt, suo ordine succedere debeant (§. 277. 279.). Quodsi ergo a populo non distinguatur inter liberos in fortuna regia & ante eandem natos, ut illos a successione vel prorsus excludi, vel saltem hisce postponi velit; regni perinde capaces sunt ante ejus adeptionem nati, quam qui in fortuna regia postea nascuntur. Hæc igitur differentia cum non sit attendenda, nisi populus eam attendi expresse voluerit; filius omnino ante regni adeptionem natus præferendus ei, qui in regia fortuna natus est, in qualibet successionis specie, nisi expresse in prima delatione imperii contrarium dicatur.

Fons omnis juris succedendi voluntas populi est (§. 277.). Quamobrem in iis, quæ non uno modo fieri possant, decidendis semper recurrendum est ad voluntatem populi in prima delatione imperii vel expresse declaratam, vel ex iis, quæ tum dicta & gesta sunt, necessario, vel probabiliter colligendam. Qui aliunde rationes conquirit in quæstionibus de successione in regnum decidendis, nihil agit: neque enim hic quicquam valent

Digitized by Google

valent rationes, quibus quod melius evincitur, populo quidem attendendæ in lege successionis condenda, non vero in jure successionis declarando. Ita facile patet, ex notione juris hæreditarii perperam inferri, quod pater filium exhæredare possit, ut ne in regno succedat. Quamvis enim populus modum succedendi ad legem successionis ab intestato, qualis apud eum obtinet, alligaverit; non tamen ideo jus succedendi in regnum filius a patre habet, sed a populo, consequenter patri nullum jus in idem competit, quod non expressa populi in regni successorii institutione in eum fuit collatum, veluti si id juri hæreditario expresse fuerit exæquatum & cum eodem unitum, ita ut, quod leges permittunt in successione in bonis, idem in successione in regno permissum esse debeat tenenti. Similiter patet, abdicationem patris nocere non posse liberis in regnis hæreditariis, propterea quod in liberos nihil transferre possint, regno abdicato: neque enim in regno hæreditario jus succedendi a patre in filium transfertur, sed idem perinde ac pater filius populi voluntate habet, nisi populus aliter in prima imperii delatione voluntatem suam expresse declaraverit, aut gentium vicinarum tunc temporis recepti mores aliud suaserint (§. 323.).

§. 370.

An nepos ex filio priori præferendus filio posteriori.

Nepos ex filio priore præferendus filio posteriori in successione lineali, immo etiam neptis ex illo huic præferenda in successione lineali cognatica; in regnis vero hæreditariis individuis filius posterior præferendus nepoti ex filio priore, si jus repræsentationis jure civili regionis tempore instituti regni non obtinuit, ætate autem major in casu oppositu præferendus ætate minori. Quodsi regna fuerint dividua, in casu priori concurrunt ad partes, in posteriori filius posterior præferendus nepoti ex filio priore. Etenim in successione lineali mortui habentur pro vivis & regnum per eos devolvitur ad eum, qui in vivis est, in eadem quidem linea

Digitized by Google

linea ſemper a perſona gignente ad genitam, nec fit transitus de linea in lineam, niſi linea regnatrice extincta (§. 347.). A rege igitur regnum devolvitur ad filium ejus natu priorem, & ab hoc ad filium ipſius, ſeu nepotem Regis, immo in cognatica ſucceſſione etiam ad filiam illius, ſeu neptem Regis (§. 354.), conſequenter nepos ex filio priore & in regno cognatico etiam neptis ex eodem præfertur filio poſteriori. *Quod erat primum.*

Enimvero ſi regnum fuerit individuum, per ſe patet, nonniſi unam perſonam in idem ſuccedere poſſe. Quodſi vero jure hæreditario ſuccedatur, *per hypotheſin*, & plures Regi defuncto extiterint hæredes, natu major præfertur minori (§. 328.). Quamobrem ſi tempore inſtituti regni jus repræſentationis obtinet, cum tum idem locum habeat in ſucceſſione regni (§. 331.), nepos ex filio natu major præfertur filio natu minori: id quod jam ſupra demonſtravimus (§. 332.). *Quod erat ſecundum.*

Enimvero ſi jus repræſentationis non obtinet, cum nepos non ſuccedat in locum parentis (§. 981. *part. 7. Jur. nat.*), nepos uno gradu remotior eſt Regi defuncto, quam filius poſterior (§. 578. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem cum jure hæreditario filius excludat nepotem, ſi juri repræſentationis locus non ſit (§. 1033. *part. 7. Jur. nat.*); filius quoque poſteriot præfertur nepoti ex filio priore, non attenta ætatis prærogativa. *Quod erat tertium.*

Quodſi regnum dividuum fuerit, cum jure hæreditario eodem modo ſuccedatur, quo in bonis defuncti ſucceditur (§. 326.), regnum inter filios diuidendum in partes ſubjectivas æquales, & qui jure repræſentationis ſuccedunt, eam partem accipiunt, quam parens ipſorum accepiſſet, ſi adhuc

Digitized by Google

adhuc in vivis eſſet (§. 990. *part.* 7. *Jur. nat.* & §. 231. *h.*). Quamobrem cum nepos ex filio priori concurrat cum filio poſteriori, ſi jus repræſentationis obtinet (§. 981. *part.* 7. *Jur. nat.*), minime autem, ſi eidem non ſit locus, quod per ſe patet; ideo in caſu priori regnum inter nepotem ex filio priori & filium poſteriorem Regis defuncti dividendum, in poſteriori autem filius poſterior præfertur nepoti ex filio priori, prouti patet *per demonſtrata* n. 3. cum ſcilicet nonniſi unus regni capax ſit (§. 338.), conſequenter nullus diviſioni locus relinquatur. *Quod erat quartum.*

Nullam hic habemus rationem foeminarum, ne præter neceſſitatem caſus propoſitionis præſentis multiplicemus. Quodſi enim admittantur foeminæ, quando cum maribus concurrunt pro maribus habentur, atque ideo ad eas applicantur, quæ de illis demonſtrata fuerunt.

§. 371.

Si jus repræſentationis obtinet, nepos ex filio priore in regno hæreditario habita ratione ætatis præfertur filio poſteriori, etiamſi dictum fuerit, ut Regi defuncto proximus ſuccedat. Etenim ſi jus repræſentationis obtinet, nepos ſuccedit in locum patris ſui (§. 981. *part.* 7. *Jur. natur.*), conſequenter pari gradu agnatus Regi defuncto cenſetur cum filio poſteriori, ita ut hic non amplius propior eidem dici poſſit (§. 569. *part.* 7. *Jur. nat.*). Inter nepotem igitur ex filio priore & filium poſteriorem non amplius attenditur gradus, ſed ratio ſaltem habetur ætatis. Quamobrem ſi jus repræſentationis obtinet, nepos ex filio priore in regno hæreditario individuo præfertur filio poſteriori, habita ſaltem ratione ætatis, etiamſi dictum fuerit, ut Regi defuncto proximus ſuccedat.

Quodſi dictum fuerit, ut proximus ſuccedat in regnum.

Ita nimirum facienda interpretatio, ut abſurdum evitetur,

Digitized by Google

quod ſequeretur verborum ſignificatui ſtricte inhærendo (§. 484. *part. 6. Jur. nat.*). Vtique vero abſurdum eſt locum facere juri repræſentationis & hoc non obſtante admittere differentiam gradus inter eos, qui jure repræſentationis cum aliis concurrunt: id enim perinde eſt, ac illos cum his cenſere pari gradu.

§. 372.

An filius ex fratre priore præferendus fratri poſteriori.

Si Rex ſine liberis moriens relinquat ex fratre priore filium & fratrem tertium, ſeu poſteriorem; in ſucceſſione lineali filius ex fratre priori præfertur fratri poſteriori: in regno hæreditario individuo, ſi jus repræſentationis obtinet, filius ex fratre priori natu major præfertur fratri poſteriori & contra, in regno autem dividuo concurrunt ad partes ſubjectivas; ſi vero jus repræſentationis non obtinet, frater poſterior præfertur filio ex fratre priori. In ſucceſſione enim lineali mortui habentur pro vivis & regnum a Rege ſine liberis moriente devolvitur ad fratrem priorem, etſi mortuum, ab hoc autem ad ejus filium (§. 347.). Quamobrem filius ex fratre priore præfertur fratri poſteriori. *Quod erat primum.*

In regno hæreditario individuo ſi plures Regi defuncto extiterint hæredes, natu major præfertur natu minori (§. 328.). Quamobrem cum jure repræſentationis liberi ſuccedant in locum parentum (§. 981. *part. 7. Jur. nat.*); filius ex fratre priore præfertur fratri poſteriori, ſi eum ætate vincat, & contra. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi autem regnum fuerit dividuum, cum filius ex fratre priori pari gradu cenſeatur cum fratre poſteriore (§. 981. *part. 7. Jur. nat.*); illud inter eos dividendum in partes ſubjectivas (§. 231.). *Quod erat tertium.*

Cum jus repræſentationis hic ſpectetur in linea collaterali, eidem

Digitized by Google

eidem vero in successione in regnum locus non sit, nisi quatenus obtinet in successione in bonis tempore instituti regni (§. 331. 338.); me vel tacente patet, nec jus istud attendi in casu propositionis præsentis, ubi in linea collaterali subitio in locum parentum recepta non est.

§. 373.

Defuncti fratris filius, vel etiam filia præfertur patruo Regis tam in successione lineali, quam in hereditaria, siquidem in hac juri repræsentationis locus relinquitur, ubi vero hoc non obtinet, tris patruo qui sexu aut ætate potior est vincit. In successione lineali mortui habentur pro vivis & per eos regnum devolvitur ad hos, qui in vivis sunt, quando vero fit transitus de linea in lineam, ad eum, qui in linea regnatrici extinctæ proxima primum locum tenet (§. 347.). Rex igitur sine liberis moriens regnum devolvit ad fratrem defunctum, minime vero ad patruum suum (§. 582. 601. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem defuncti fratris filius præfertur patruo Regis in successione lineali. *Quod erat primum.* *An filius defuncti fratris præferendus.*

In successione lineali cognatica non fit transitus de linea in lineam propter sexum (§. 352.). Quamobrem cum in successione lineali Rex sine liberis moriens regnum devolvat ad fratrem, non ad patruum, *per demonstrata*, defuncti fratris filia præfertur patruo Regis. *Quod erat secundum.*

Quodsi in successione hæreditaria juri repræsentationis locus relinquatur, filius defuncti fratris succedit in locum fratris, consequenter in jus ejus (§. 981. *part. 7. Jur. nat.*). Quoniam itaque frater Regi defuncto successisset, non patruus, quod in dubium minime vocatur; defuncti fratris filius quoque præferendus patruo. Et idem patet eodem

Digitized by Google

modo de filia, si foeminæ cum maribus promiscue admittantur. *Quod erat tertium.*

Enimvero si jus repræsentationis locum non habet, nec filius fratris in hujus locum subit (§. 981. *part. 7. Jur. nat.*). Quodsi ergo duo simul extiterint hæredes defuncti, natu major præfertur natu minori (§. 328.), & ubi foeminæ non admittuntur, nisi deficientibus masculis, ob prærogativam sexus mas quoque præfertur foeminæ. *Quod erat quartum.*

Ostendimus jam supra ad successionem in regno non admitti eos, qui jure naturæ ad successionem ab intestato admitti poterant, si eos lex civilis tempore instituti regni ab hæreditate arcet (§. 340.). Quamobrem ex lege quoque civili definiendum, quinam simul jus ad regnum habeant, & inter quos ætatis, vel etiam sexus prærogativa attendenda.

§. 374.

De Nepote ex filio filiæ præferendo.

Nepos ex filio filiæ præfertur in successione tam lineali, quam hereditaria, nisi foeminæ cum maribus promiscue admittantur. Nisi enim foeminæ cum maribus promiscue admittantur, quamdiu adest mas successionis capax, is foeminæ semper præfertur, quod per se patet. In successione itaque lineali mortui habentur pro vivis & regnum a Rege devolvitur ad filium etiam defunctum, ab eo autem ad filium ipsius, seu nepotem Regis (§. 347.). Quamobrem patet in successione lineali, nisi foeminæ cum maribus promiscue admittantur, quemadmodum fit in successione cognatica primi generis (§. 352.), nepotem ex filio præferri filiæ Regis. *Quod erat unum.*

Similiter nisi foeminæ promiscue admittantur cum maribus, sed demum, quando deficit mas, qui succedere possit,

Digitized by Google

poſſit absque ulla demonſtratione ulteriori patet, nepotem ex filio quoque præferendum eſſe in ſucceſſione hæreditaria, ſive ſubitio in locum parentum recepta ſit, ſive minus (§. 326.). *Quod erat alterum.*

Nimirum etſi nepos non ſuccedat avo jure hæreditario, ſi jus repræſentationis non obtinet; filia tamen in ſucceſſione in regnum eidem poſtponitur per legem ſucceſſionis, quæ foeminas admitti non vult, quamdiu adeſt, qui a Rege defuncto deſcendit. Quodſi vero foeminæ excluderentur etiam ab hæreditate paterna in gratiam maſculorum; jure hæreditario etiam in bonis defuncti ſuccederet nepos, non filia. Quamobrem nihil hic admittitur, quod cum jure hæreditario per ſe pugnet.

§. 375.

Nepos minor ex filio præfertur nepoti majori ex filia in ſucceſſione lineali agnatica & cognatica ſecundi generis: in primo genere ſucceſſionis cognaticæ non præfertur, ſi filia ætate vincat ſilium. In ſucceſſione hæreditaria nepos major ex filia præfertur nepoti minori ex filio, niſi lege ſucceſſionis deſcendentes ex filio præferantur deſcendentibus ex filiabus. Nepotem minorem ex filio præferendum eſſe nepoti majori ex filia in ſucceſſione lineali agnatica & cognatica ſecundi generis eodem modo patet, quo in propoſitione præcedente demonſtravimus nepotem ex filio præferendum eſſe filiæ (§. 374.). *Quod erat primum.* *De nepote minore ex filio & majore ex filia.*

Enimvero in primo genere ſucceſſionis cognaticæ filia natu major præfertur filio natu minori & ſucceſſio continuatur in ejusdem linea (§. 353.), conſequenter filius ipſius, ſeu nepos ex filia præfertur nepoti ex filio, ſive is natu major, ſive minor fuerit. *Quod erat ſecundum.*

Porro in ſucceſſione hæreditaria nepos ex filio

Digitized by Google

concurrit cum nepote ex filia, cum pari gradu existant (§. 594. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quodsi ergo lege successionis cautum non sit, ut descendentes ex filiabus postponantur descendentibus ex filiis, quod sanciri posse a populo dubio omni caret (§. 277.); nepos minor ex filio postponendus nepoti majori ex filia ob prærogativam ætatis. *Quod erat tertium.*

§. 376.

De nepte ex filio primogenito & filio Regis.

Neptis ex filio primogenito excludit filium in successione lineali cognatica utriusque generis: in hæreditaria non item, etiamsi jus repræsentationis receptum sit, nisi in hoc casu neptis ætate vincat filium & fœminæ cum maribus promiscue admittantur ad successionem. In successione lineali cognatica utriusque generis filius primogenitus præfertur filio minori, cumque mortui habeantur pro vivis & per eos regnum transmittatur ad descendentes (§. 347.), a filio primogenito ad neptem Regis devolvitur (§. 353. 354.). Neptis igitur ex filio primogenito excludit filium in successione lineali cognatica utriusque generis. *Quod erat unum.*

Enimvero in successione hæreditaria proximus succedit Regi defuncto (§. 326.), consequenter filius præfertur nepti ex filio tanquam remotiori, etiamsi fœminæ cum maribus promiscue admittantur (§. 578. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quodsi jus repræsentationis locum habeat, neptis ex filio primogenito & filius pari gradu sunt (§. 981. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quodsi vero fœminæ non admittantur, nisi deficientibus masculis, filius adhuc nepti ex filio primogenito præfertur; si fœminæ cum maribus promiscue admittantur, filius tamen natu major præfertur nepti ex filio primogenito natu minori, nec hæc illi præfertur, nisi ætate eum vincat (§. 328.).

Digitized by Google

(§. 328.). Patet itaque in ſucceſſione hæreditaria, etiamſi jus repræſentationis receptum ſit, neptem ex filio primogenito non excludere filium, niſi in hoc caſu neptis ætate vincat filium & foeminæ cum maribus promiſcue admittantur ad ſucceſſionem. *Quod erat alterum.*

§. 377.

Filia fratris natu maximi præfertur fratri Regis natu minori in ſucceſſione lineali cognatica; in regnis vero hæreditariis poſtponitur, niſi in hoc caſu filia fratris ætate vincat fratrem minorem & foemina cum maribus promiſcue ſuccedant. In ſucceſſione enim lineali regnum a Rege improle devolvitur ad fratrem natu maximum (§. 347.), cumque in cognatica propter ſexum non fiat transitus de linea in lineam (§. 352. *& ſeqq.*), ab eodem ad filiam ſuam. Filia igitur fratris natu maximi præfertur fratri Regis natu minori. *Quod erat unum.*

De filia fratris natu maximi & fratre Regis natu minori.

Enimvero ſi in regnis hæreditariis jus repræſentationis non obtinet, patet ut ante (§. 376.), filiam fratris natu maximi poſtponi fratri Regis natu minori tanquam remotiorem propiori, ubi vero jus repræſentationis obtinet, propter prærogativam ſexus adhuc poſtponi, niſi in hoc caſu filia fratris natu maximi vincat ætate fratrem Regis minorem, & foeminæ cum maribus promiſcue ad regnum admittantur, non habita prærogativa ſexus. *Quod erat alterum.*

Atque ita demonſtravimus omnes caſus, quos tanquam controverſos commemorat *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 8. §. 29. *& ſeqq.* Inde autem patet, quomodo in omni caſu reliquo controverſiæ de ſucceſſione in regnum ſint decidendæ. Nihil in controverſiis iſtis componendis difficultatis occurrit, modo ex genuinis principiis caſus definiantur, nec factis hominum

Digitized by Google

minum juri ſuccedendi adverſis quæ vel clariſſima ſunt efficiantur obſcura.

§. 378.

Num Rex & populus de dubia ſucceſſione judicare poſſit.

Controverſiam de jure ſuccedendi ſuo ordine nec Rex præſens, nec populus decidere poteſt. Etenim in regno ſucceſſorio imperium defertur lege, quam populus condidit, aut, ſi nulla extet, more gentium vicinarum ſucceditur (§. 323.), qui ideo inſtar legis eſt, in cujus locum tacite ſurrogatur. Quoniam itaque jus ſuccedendi ſuo ordine acquiritur independenter a Regis voluntate, quod is nemini, prouti ſibi viſum fuerit, auferre poteſt (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); idem quoque de jure ſuccedendi judicium ſibi ſumere non poteſt. Quamobrem ſi de eo controverſia oriatur; Regi nullum competit jus eam decidendi, conſequenter nec is eandem decidere poteſt. *Quod erat unum.*

Similiter cum populus in regni ſucceſſorii inſtitutione modum ſuccedendi definiverit, a quo invitis iis, quibus inde jus quæſitum eſt, recedere non licet (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); nullum amplius ipſi competit jus de ſucceſſione, prouti ſibi viſum fuerit, ſtatuendi, quamdiu quidam adſunt, qui ſucceſſionis ſunt capaces. Quamobrem ſi inter eos de ſucceſſione controverſia oriatur, nec populo competere poteſt jus eandem decidendi, conſequenter is eandem decidere nequit. *Quod erat alterum.*

Jus ſuccedendi ſuo ordine pertinet ad modum habendi imperium, qui ſub imperio non continetur. Quamvis itaque Regi imperium quoad exercitium fuerit delatum, judicium tamen de modo ſuccedendi ad idem minime ſpectat. Ex eo igitur, quod imperium exercere debeat, neutiquam colligi poteſt, eidem competere jus controverſiam de ſucceſſione decidendi.

Digitized by Google

cidendi. Quoniam vero non plus juris ſibi ſumere poteſt Rex, quam voluntate populi regnum ſucceſſorium inſtituentis in eum fuit delatum; præter jus exercendi imperium aliud ipſi non competit, conſequenter nulla prorſus apparet ratio, ob quam jus decidendi controverſiam de ſucceſſione inter eos, qui ſucceſſionis capaces ſunt, ipſi tribui poſſit. Quemadmodum Rex rationem nullam allegare poteſt, cur jus decidendi controverſiam de ſucceſſione in caſu dubio ſibi competere debeat; ita quoque populus pro ſe nullam allegare valet. Stare is debet lege, qua ſucceſſionis capaces efficiuntur a primo Rege deſcendentes. Quodſi inter eos controvertatur, quemnam ordo tangat, ut ſuccedat, hanc controverſiam ipſimet inter ſe componere tenentur tanquam juris ſui arbitri, quippe quod a populi voluntate non amplius dependet.

§. 379.

Populus in prima inſtitutione regni ſucceſſorii Regi deferre poteſt jus controverſiam de jure ſuccedendi in caſu dubio decidendi; vel etiam idem ſibi reſervare poteſt. Quoniam enim a voluntate populi regnum ſucceſſorium condituri (§. 277.); nemo eſt qui dubitet, eam quoque legem condi poſſe, ut Rex ex iis, qui ab ipſo deſcendunt, ſucceſſorem pro lubitu eligat, vel ut populus idem faciat. Quodſi igitur hoc ſimpliciter obtinere poteſt, dubio quoque caret, quin in certo caſu fieri poſſit. Enimvero perinde eſt, ſive Rex, aut populus in caſu dubio ſucceſſorem ex regni capacibus eligat, quem voluerit, ſive controverſiam de jure ſuccedendi in caſu dubio decidat, prout ſibi viſum fuerit. Quamobrem populus in prima inſtitutione regni ſucceſſorii Regi deferre poteſt jus controverſiam de jure ſuccedendi in caſu dubio decidendi; vel etiam idem ſibi reſervare.

An jus decidendi hanc controverſiam populus Regi deferre poſſit.

Digitized by Google

Quoniam ius ſucceſſionis ex voluntate populi regnum ſucceſſorium inſtituentis metiendum (§. 277.); in caſu dubio jus prælationis, ſeu prærogativa inter regni capaces ei competit, cui in hypotheſi propoſitionis præſentis Rex vel populus eandem tribuerit. Qui itaque poſtponitur, de injuria ſibi facta conqueri non poteſt (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Ut vero Regi deferatur jus decidendi controverſiam de ſucceſſione in caſu dubio, vel populus idem ſibi reſervet ſive per ſe, ſive per alios quoscunque exercendum, fini regni ſucceſſorii maxime convenit (§. 324.).

§. 380.

Quomodo controverſiæ iſtæ componendæ.

Controverſiæ de jure ſucceſſionis eodem modo componendæ, quo in ſtatu naturali controverſiæ de jure dubio finiuntur. Etenim controverſiam de jure ſucceſſionis nec Rex præſens, nec populus decidere poteſt (§. 378.). Qui itaque judicem nullum habent, in cujus ſententia ipſis ſit acquieſcendum; non alio jure uti poſſunt, quam quod in ſtatu libertatis obtinet, ubi nemo alterius cujusdam poteſtati ſubjectus eſt (§. 136. *part. 1. Jur. nat.*); conſequenter naturali (§. 124. *part. 1. Jur. nat.*). Controverſiæ igitur de jure ſucceſſionis eodem modo componendæ, quo in ſtatu naturali controverſiæ de jure dubio finiuntur.

Quomodo controverſiæ componendæ ſint in ſtatu naturali, prolixe demonſtravimus in parte quinta c. 4. §. 867. & ſeqq.

§. 381.

Num & quando jus belli illarum cauſa competat.

Quoniam controverſiæ de jure ſucceſſionis eodem modo componendæ, quo in ſtatu naturali controverſiæ de jure dubio finiuntur (§. 380.), in cauſa autem dubia nemini jus belli per ſe competit (§. 1100. *part. 5. Jur. nat.*), ſed pars

Digitized by Google

pars utraque potius obligatur quærere conditiones, quibus bellum vitetur (§. 1108. *part. 5. Jur. nat.*); *naturaliter de jure ſucceſſionis litigantibus jus belli per ſe minime competit, ſed utraque pars obligatur quærere conditiones, quibus bellum vitetur.* Et eodem modo patet, *jus belli non competere niſi transactionis cauſa, ſi pars altera colloquium amicabilis compoſitionis, vel transactionis cauſa acceptare nolit, nec compromittere velit in arbitrum, multo minus conſentire in ſortem* (§. 1103. *part. 5. Jur. nat.*).

Vulgo ex eo, quod controvertentes de jure ſucceſſionis communem judicem non habeant, ſtatim infertur, controverſias iſtas vi armorum eſſe decidendas, quaſi jus belli ſtatim incipiat, ubi judicia ceſſant, & jus belli naſcatur ex defectu judiciorum, cum tamen bellum naturaliter prius ſit judiciis, & hæc demum in locum belli ſucceſſerint in ſtatu civili, proti ex ſubſequentibus patebit. Jura naturaliter non naſcuntur niſi ex obligatione paſſiva (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem & jus belli ſemper ſupponit aliquam obligationem, ex qua oriatur, veluti in caſu præcedenti obligationem controverſiam amicabiliter, vel per transactionem, aut arbitros componendi. Bellum nimis exitioſum eſt humano generi, quam ut lex naturæ, quæ felicitati ejusdem conſulit, jus belli cuidam concedat in alium absque extrema neceſſitate & absque injuria alterius. Non de eo nobis ſermo eſt, quod vulgo fieri ſolet, ſed quod fieri debet: neque enim facta hominum legi naturæ adverſa jus faciunt. Voluntate hominum non conſtituuntur jura, niſi quatenus de rebus ſuis vi libertatis naturalis pro lubitu disponunt (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Sed hæc ſuo loco clariora evadent, vbi de jure gentium ſumus acturi. Neque tamen etiam deſunt exempla, quibus modus componendi controverſiam de jure ſucceſſionis juri naturali conformis comprobatur, qualia refert *Puffendorff* de J. N. & G. lib. 7. c. 7. §. 15.

Digitized by Google

§. 382.

De arbitrio populi in decidendo jure controverſo ſucceſſionis.

Si de jure ſucceſſionis litigantes judicio populi controverſiam decidendam ſubmittunt; populum arbitrum eligunt. Etenim populo non competit jus controverſiam de jure ſucceſſionis decidendi (§. 378.), conſequenter in ejus judicio competitores regni acquieſcere minime tenentur. Quodſi ergo judicio populi controverſiam decidendam ſubmittunt, per compromiſſum populum eligunt, ut rem controverſam decidat (§. 944. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem cum arbiter ſit, qui per compromiſſum eligitur, ut rem controverſam decidat (§. 945. *part. 5. Jur. nat.*); ſi de jure ſucceſſionis controvertentes judicio populi controverſiam decidendam ſubmittunt, populum arbitrum eligunt.

Etſi nimirum populus deſtituatur jure decidendi controverſiam de jure ſucceſſionis, hoc tamen non obſtat, quo minus competitores regni jus iſtud in populum conferant, cum arbitrum eligere poſſint, quemcunque voluerint, utpote de re ſua ſtatuentes, de qua pro lubitu ſtatuere poſſunt.

§. 383.

An jus decidendi controverſiam de ſucceſſione in populum conferri poſſit.

Quoniam naturaliter jus belli competitoribus regni non competit, niſi quando pars altera amicabilem compoſitionem, vel transactionem, vel compromiſſum in arbitrum acceptare velit (§. 381.), populus autem arbiter eligitur, ſi *competitores regni* judicio populi controverſiam decidendam ſubmittunt (§. 382.); quin *iidem jus decidendi controverſiam de ſucceſſione in regnum conferre poſſint, dubitandum non eſt.*

§. 384.

De jure poſſidentis.

In caſu dubio populus ſequi debet poſſeſſionem: Etenim in

in caſu dubio populo non competit jus decidendi controverſiam de jure ſucceſſionis (§. 378.) conſequenter competitoribus regni relinquere debet, ut ipſimet controverſiam iſtam inter ſe componant. Quamobrem cum controverſiam ſuam quodammodo faciant, ſi cum, qui in poſſeſſione eſt, regno exuere vellet, propterea quod ipſi controverſia movetur ab alio; nullum jus ipſi competere poteſt poſſidentem regno pellendi. In caſu igitur dubio poſſeſſionem ſequi debet.

Nulla datur ratio, cur populus regno pellere debeat eum, qui in poſſeſſione eſt, ob controverſiam ab alio ipſi motam. Neque enim verendum eſt, ne alteri forſan invito jus ſuum auferat, cum poſſeſſionem non ſequatur, niſi quamdiu adhuc incertum eſt, cuinam jus ad regnum competat, nec alter ad poſſeſſionem admitti poſſit, quamdiu de jure regnandi controvertitur. Poſſeſſio utique debetur ei, cui jus competit. Quamdiu vero incertum eſt, cuinam jus competat, conſequenter poſſeſſio debeatur, cum æqualis ſit utriusque conditio, poſſeſſio in dubio relinquenda omnino eſt ei, qui prior eandem acquiſivit.

§. 385.

Si plures fuerint competitores regni, quorum neuter poſſidet; populus neutri auxilia adverſus alterum ferre debet. Ponamus enim populum uni auxilia ferre adverſus alterum; hujus utique jus adverſus alterum vi perſequi ſtudet, conſequenter jus ſuccedendi eidem vindicat, ac ideo judicium ſibi ſumit de controverſia, quæ inter competitores agitatur. Quoniam itaque eidem jus nullum competit controverſiam de jure ſuccedendi decidendi (§. 378.); neutri quoque competitori auxilia adverſus alterum ferre debet. *An populus uni competitori adverſus alterum auxilia ferre poſſit.*

Populus uni non magis favere debet, quam alteri in re,

Digitized by Google

quæ ad ipſum minime ſpectat, nec ullo modo ſeſe immiſcere controverſiæ alienæ, in quam ipſi jus nullum competit. Nec refert, quid populo videatur de jure ſuccedendi, cum neuter competitorum in ejus judicio acquieſcere teneatur (§. 378.). Populus itaque indifferentem ſeſe præbere debet utrique, donec ipſimet de jure ſuo ſtatuerint, qui de eo controvertunt.

§. 386.

An bellum ſit modus aptus decidendi controverſiam de ſucceſſione.

Bellum non eſt modus aptus decidendi controverſiam de jure ſuccedendi in regnum. Etenim ſi bello decidenda controverſia de jure ſuccedendi; pro vero habendum, jus ſuccedendi ei competere, qui alterum vicerit. Enimvero alterum vincit is, cujus vis major eſt, vel quem ſubinde fortuna juvat. Quoniam itaque ex eo intelligi nequit, cur jus ſuccedendi victori potius, quam victo competere debeat; victoria quoque ratio nulla eſt, cur victori competere debeat jus ſuccedendi (§. 56. *Ontol.*). Patet ideo bellum non eſſe modum aptum decidendi controverſiam de jure ſuccedendi.

Oſtendimus alias in genere, duellum non eſſe modum aptum decidendi controverſiam de jure (§. 1092. *part. 5. Jur. nat.*). Perinde vero eſt, ſive duello, ſive bello controverſia ſit decidenda (§. 1102. *part. 1. & §. 1090. part. 5. Jur. nat.*). Hinc jure naturæ bellum non permittitur tanquam medium controverſiam decidendi, ſed tanquam medium partem alteram ad finiendam controverſiam compellendi (§. 381.), Abſit vero ut tibi perſuadeas, hoc ipſo imminui jus imperantium. Neque enim hic ſermo eſt de jure manifeſto, ob quod privato etiam jus belli competit in eum, qui id tribuere ipſi non vult (§. 1104. *part. 1. Jur. nat.*); ſed de dubio, de quo controvertitur. Neque in caſu dubio jus belli ſimpliciter pro abſurdo habetur, ſed ſaltem quatenus venditatur pro medio decidendi controverſiam de jure dubio. In

Jure

Digitized by Google

Jure naturæ omnia accurate diſtinguenda ſunt, ut inter ſe conſentiant, quæ in eodem demonſtrantur, nec diverſorum confuſio pariat contradictiones. Quæ adhuc dubia videri poterant, ea ſuo loco clariora evadent, ubi de jure belli ex inſtituto acturi ſumus.

§. 387.

Jus imperantis in Rep. mixta unde metiendum.

In Rep. mixta jus imperantis, aut imperantium metiendum eſt ex legibus fundamentalibus. Etenim in Rep. mixta imperium limitatum competit imperanti, ſeu imperantibus (§. 138.), conſequenter ejus exercitium certis legibus adſtringitur in iis, quæ ſemper eodem modo fieri poſſunt, de quibus autem ex præſenti tempore judicium ferendum, utrum ea e re civitatis ſint, nec ne, ea a conſenſu vel totius populi, vel certorum quorundam e populo ſuſpenduntur (§. 74.), immo etiam nonnulla ad exercitium imperii ſpectantia poteſtati imperantis, vel imperantium prorſus ſubducuntur (§. 138. 64.). Quamobrem cum leges fundamentales ſint, ad quarum obſervantiam rector civitatis adſtringitur (§. 77.), & iis quoque accenſeri debeat, ut idem in certis negotiis requirat conſenſum vel populi univerſi, vel certorum quorundam ex populo (§. 78.), conſequenter etiam ne ſibi arroget jus, quod populus vel ſibi reſervavit, vel in alios transtulit; jus omne imperantis, vel imperantium in Rep. mixta metiendum eſt ex legibus fundamentalibus.

Resp. mixta concipi nequit ſine legibus fundamentalibus. Quando enim populus Remp. mixtam inſtituit, declarare tenetur voluntatem ſuam de modo limitandi imperium (§. 90. 138.). Quod vero populus vult, id pro lege habendum. Superius oſtendimus in regnis legitimis ex legibus fundamentalibus

Digitized by Google

talibus & capitulatione metiendum esse jus Regis (§. 263.). Quoniam autem regna legitima tantummodo species sunt Reip mixtæ (§. 262.), præter ea vero etiam dantur aliæ, veluti ex statu democratico & aristocratico mixtæ, aut etiam ex monarchico, democratico & aristocratico simul; ideo necesse quoque erat, ut, quod supra de regnis legitimis in specie fuit demonstratum, idem hic in genere de omni Rep. mixta demonstraretur.

§. 388.

De imperante contra leges fundamentales plus sibi arroganti.

Quoniam in Rep. mixta jus imperantis metiendum est ex legibus fundamentalibus (§. 387.), consequenter is plus juris sibi arrogare nequit, quam per eas eidem conceditur; *populus* quoque *vel ii, qui hac in parte jus populi habent, ferre non tenentur, ut imperans jus quoddam sibi arroget contra leges fundamentales*, consequenter *nec pati, ut in partem juris populo, vel aliis ex populo reservatam involet.*

Qui in jus alterius involat, utique id violat, seu facit, quod est contra jus alterius (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem imperans involans in partem juris populo, vel aliis ex populo reservatam, populum lædit (§. 920. *part. 1. Jur. nat.*), quod is pati non tenetur (§. 913. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 389.

De mutatione juris regni in regnis legitimis.

Si regnum successorium fuerit legitimum; per capitulationem, aut leges novas fundamentales jus successoris imminui nequit, augeri vero potest: si vero fuerit electivum, jus Regis electi imminui & augeri pro lubitu potest. Etenim si regnum successorium fuerit, successori competit jus ad regnum, quale institutum fuit eo tempore, quo successio introducta fuit. Quale nimirum jus collatum fuit in primum Regem, tale etiam transmitti debuit in successores. Quamobrem cum nemini

Digitized by Google

nemini invito jus ſemel quæſitum auferri poſſit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); in regno autem legitimo jus Regis per certas leges fundamentales ſit definitum (§. 262.); per capitulationem, aut novas leges fundamentales jus ſucceſſoris imminui nequit. *Quod erat primum.*

Enimvero cum a populi voluntate vnice dependeat, quantum juris in rectorem civitatis conferre velit (§. 38.); nil obſtat, quo minus in Regem præſentem, vel ejus ſucceſſorem plus juris conferat, quam per leges fundamentales ipſi competit, conſequenter pro lubitu jus ejus augere poteſt. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi regnum fuerit electivum, nemo eſt, mortuo Rege præſente, cui jus aliquod ad regnum competat. Quamobrem ſi Rex novus eligitur, a populi unice voluntate dependet, quantum juris in eum conferre velit (§. 36.). Quamvis itaque regnum hactenus fuerit legitimum, conſequenter jus Regis per certas leges fundamentales definitum §. 262.), & populus velit, idem legitimum manere; hoc amen non obſtante, per capitulationem, vel per leges undamentales ante electionem conditas jus Regis novi pro ubitu augere, atque imminuere poteſt. *Quod erat tertium.*

Rex, qui eligitur, nullum habet jus ad regnum, antequam eligitur, conſequenter populus ei deferre non tenetur jus, quale habuit anteceſſor, ſed quale voluerit. Nulla igitur ipſi fit injuria, ſi jus ejus quomodocunque minuatur. Quando eligitur, ab ipſius arbitrio pendet, utrum imperium, quale offertur, acceptare velit, nec ne: quando vero acceptat, eo ipſo declarat, ſe jus ſuum non ex jure anteceſſoris, ſed ex legibus, quibus id definitur, metiri velle.

Digitized by Google

§. 390.

De diversitate juris in regno legitimo Regibus competente.

Si in regno successorio legitimo Regi uni plus juris conceditur, quam per leges fundamentales eidem competit; successoribus propterea non idem concedere tenetur populus. Etenim si regnum fuerit legitimum, per capitulationem, vel per leges fundamentales definitum est jus Regis (§. 262.), consequenter si idem successorium fuerit, successoribus non competit jus ad regnum, nisi quale institutum fuit eo tempore, quo successio introducta. Quamvis itaque, si voluerit, jus Regis augere possit populus (§. 389.); cum tamen id unice a voluntate ipsius dependeat (§. 38.) quod concedit uni Reg, id propterea non concedere tenetur omnibus, consequenter si Regi præsenti plus juris concedit, quam per leges fundamentales eidem competit, non propterea idem successoribus quoque ejus concedere tenetur.

In regno itaque successorio legitimo Rex unus plus juris habere potest, quam alter, si populo ita visum fuerit. Prægnantes autem adesse possunt rationes, ob quas Regis jus augetur, pro statu præsentis temporis, vel qualitate Regis. Hæ rationes cum non sint perpetuæ, absurdum quoque foret ob rationes temporarias jus perpetuum constituere velle. Cetera probe notandum est, hic saltem quæri, quid jure fieri possit, minime autem an consultum sit, ut Regis præsentis jus ultra vim legum fundamentalium augeatur.

§. 391.

De remissione juris in regno legitimo.

Si in regno legitimo Rex præsens de jure suo quid remittit; id successori non nocet. Etenim quamdiu Rex præsens vivit, nihil juris in administratione regni successori competit, quod per se patet. Quamobrem cum quilibet de jure suo remittere possit, quantum voluerit, quamdiu nil facit, quod est contra

Digitized by Google

contra jus alterius (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*); quin in regno legitimo Rex præſens de jure ſuo remittere poſſit, quantum voluerit, dubitandum non eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero ſucceſſori competit jus ad regnum, quale conſtitutum eo tempore, quo ſucceſſio introducta (§. 727.). Quamobrem cum Rex præſens eidem invito nihil juris adimere poſſit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); dum de jure ſuo quid remittit, id ſucceſſori nocere nequit. *Quod erat alterum.*

Non eſt, quod objicias, ſucceſſorem, ſi filius fuerit, aut eidem hæres extiterit, factum anteceſſoris præſtare debere: id enim perperam huc trahitur, cum ſucceſſor jus ſuum non habeat ab anteceſſore, &, ſi vel maxime regnum hæreditarium fuerit, conſequenter jure hæreditario ſuccedatur (§. 335.), regnum tamen hæreditarium pars hæreditatis bonorum privatorum Regis non ſit (§. 336.). Quemadmodum Rex præſens regnum abdicare nequit pro jam natis, aut in utero conceptis (§. 366.), nec regni capax pro iis renunciare (§. 367.), ſed ea abdicatio & renunciatio ipſo jure nulla eſt (§. 368.); ita etiam remiſſio juris iisdem nocere nequit, quippe quæ æquipollet renunciationi partis cujusdam juris, quod ipſis ad regnum competit.

§. 392.

Quoniam ſucceſſori non nocet, ſi in regno legitimo Rex præſens de jure ſuo quid remittit (§. 391.), populus vero per capitulationem, vel leges fundamentales novas jus illius imminuere nequit (§. 389.); *ſi Rex præſens de jure ſuo quid remittit, ſucceſſor id, quod remiſit, contra populum etiam invitum vindicare poteſt.* *Quod id vindicari poſſit a ſucceſſore.*

Facile patet, ſucceſſoribus non nocere factum plurium anteces-

Digitized by Google

teceſſorum: horum enim quilibet jus ſuum remittit pro ſe, nulla vero eſt remiſſio, ſi extendatur ad futuros alios ſucceſſores, quorum quilibet jus ſuum vindicare poteſt. Alia vero eſt ratio, ſi remiſſio juris a Rege facta extendatur ad nondum natos tempore remiſſionis, quatenus nimirum nemo adhuc tunc temporis exiſtit, qui regni capax ſit. Quamobrem ſi in remiſſionem nunc viventes omnes, qui regni capaces ſunt, conſentiant; remiſſio quoque valet in perpetuum. Brevitatis cauſa de his ſingulis ſigillatim dicere noluimus, cum ex anterioribus facile demonſtrentur.

CAPUT III.

De Rep. conſtituenda.

§. 393.

Quid ſit conſtitutio Reip.

Conſtitutio Reip. eſt determinatio modi, quo finis civitatis obtinendus.

Dum ſocietas civilis initur, ſeu civitas conſtituitur, homines inter ſe conveniunt, quod conjunctim ſibi parare velint ea, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem ac jucunditatem, immo felicitatem requiruntur, & curare, ut unusquisque jure ſuo quiete frui ac tuto id ab alio conſequi valeat, atque ſe ſuaque adverſus vim quamlibet externam defendant. Ut igitur finem, quem intendunt, conſequantur, determinandus eſt modus, quo is obtineri poteſt: quod ubi fit, Resp. conſtituitur. Neceſſe igitur eſt, ut inquiramus, quomodo Resp. ſit conſtituenda, cum alias officium tam imperantium, quam parentium, atque jura ſingulorum intelligi nequeant. Unde etiam ſuperius jam monuimus, antequam demonſtratum fuerit, quænam ad Remp. conſtituendam requirantur, jura ſub imperio contenta ſufficientes enumerari non poſſe (*not.* §. 61.).

§. 394.

Digitized by Google

§. 394.

Quoniam Resp. constituitur, dum modus determinatur, quo finis civitatis obtinetur (§. 393.) finis autem civitatis in vitæ sufficientia, tranquillitate & securitate consistit (§. 13.); *ut Resp. rite constituatur, ostendendum est, quid fieri debeat, ut in civitate abundent ea, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem requiruntur, una cum remediis felicitatis, ut singula membra civitatis vacui sint a metu injuriarum, ut denique vacua quoque sint a metu vis externæ* (§. 10. 11. 12.). *Principium Reip. constituendæ.*

Patet itaque, ex quonam fonte deducenda sint ea, quæ ad Remp. rite constituendam requiruntur, & ad quænam advertendus sit animus, ne quicquam eorum prætermittatur, quæ huc pertinent. Diximus jam superius in vitæ sufficientia, tranquillitate ac securitate consistere bonum publicum (§. 9. *& seqq.*). Quamobrem quando Resp. constituenda, inquirendum est, quomodo bonum publicum promoveatur. Ubi hoc docuerimus, manifestum erit, quantum interfit vivere in civitate, & quantum status civilis antecellat naturalem.

§. 395.

In Rep. constituenda opera danda est, ut qui ad legem naturæ servandam proni sunt juventur, nec ab aliis impediantur; ceteri autem vi adigantur, ut minimum actus externos ad legem naturæ componant. Etenim in constituenda civitate determinandus est modus, quo communis omnium felicitas promovetur, ac quilibet tutus est ab injuria alterius (§. 394.). Quamobrem cum felicitatem legis naturalis custodia consequamur (§. 396. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec sine ea eandem acquirere, ac conservare valeamus (§. 397. 398. *part. 1. Phil. pract. univ.*), immo ejusdem transgressione felicitas amittatur (§. 401. *part. 1. Phil. pract. univ.*), eadem vero le- *De observantia legis naturæ promovenda.*

Digitized by Google

ge determinentur actus, quales esse debeant, ne quis ab alio lædatur (§. 669. *& seqq. part. 1. Jur. nat.*); in constituenda Rep. opera omnino danda est, ut singuli actiones suas ad legem naturæ componant, consequenter ut qui ad eam servandam proni sunt juventur, nec ab aliis impediantur; ceteri autem vi adigantur, ut minimum actus externos ad legem naturæ componant.

Ad observantiam legis naturæ nemo cogi potest, quippe quæ in qualibet actione requirit omnem facultatum nostrarum vsum (§. 302. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter consensum quoque actionis externæ cum internis, ne invita sit actio. Quamobrem si quis felix esse nolit, id ferendum est. Cavendum tamen, quantum fieri potest, ne felicitati aliorum obicem ponat. Ac ideo ferendum non est, ut actiones externæ legi naturæ sint adversæ: internæ enim non nocent alteri, etsi obsint felicitati agentis. Hinc facile intelligitur, cur in civitate actus externi potissimum spectentur &, ne extra oleas evagentur, coërceantur, quatenus vero actuum internorum etiam habenda sit ratio. Sed hæc omnia ex sequentibus clariora evadent.

§. 396.

Quomodo promovenda.

Quoniam in Rep. constituenda opera danda est, ut qui ad legem naturæ servandam proni sunt juventur, nec ab aliis impediantur; ceteri autem adigantur, ut minimum actus externos ad legem naturæ componant (§. 395.); *ea instituenda sunt, quæ mediorum vicem præstant officiis lege naturæ præscriptis pro virili satisfacturis & eorundem praxin facilitant, atque obligatio civilis introducenda, ubi naturalis non sufficit ad coërcendos actus externos bono communi civitatis, seu fini ejusdem adversos.*

Obligatio naturalis efficax non est, nisi penes eos, qui ratione

ne

ne utuntur: qui vero eam insuper habent, & quorum appetendi ac aversandi facultas sensu atque imaginatione regitur, penes eos nil quicquam valet naturalis obligatio. Opus igitur est alia, quæ rationem sufficientem in sensu atque imaginatione habet, ut appetitus sensitivus & aversatio sensitiva trahatur in actum externum legi naturæ conformem, consequenter agens faciat, quod facere nollet, vel non faciat, quod facere mallet. Porro hinc patet, quod veritati non prorsus conveniat, quando vulgo dicitur, in Rep. saltem rationem haberi honestatis externæ. Ut enim ea conservetur, omni studio agitur, ubi fieri nequit, ut interna vigeat, quæ primario intenditur. Nisi hæc probe considerentur, impossibile est, ut omnia demonstrentur, quæ in Rep. instituenda sunt & in ea administranda fieri debeant, quamvis in Rebusp. ipso usu comprobentur.

§. 397.

Quoniam lex naturæ nos obligat ad nos & statum nostrum perficiendum (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & unumquemque etiam obligat ad perfectionem alterius statusque ipsius conferre, quantum valet (§. 222. *part. 1. Phil. part. univ.*); & in civitate conjunctis viribus omnia fieri debent (§. 9.), in Rep. autem ea instituenda sunt, quæ sustinent vicem mediorum obligationi naturali satisfaciendi, & praxin officiorum lege naturali præscriptorum facilitante (§. 390.); *in Rep. suppeditanda sunt media se statumque suum perficiendi conjunctis viribus & ut facilius idem fieri possit, quam in statu naturali, providendum.* *Idem speciatius expenditur.*

Patet itaque, ea, quæ de officiis hominis erga seipsum & erga alios ac ceteris inde dependentibus demonstrantur, nos manu ducere ad ea, quæ in Rep. instituenda sunt. Quamobrem omnia hic pendent a Jure naturæ, quod in statu naturali obtinet, ac eodem pro cynosura utendum, ne a via recta aberretur.

Digitized by Google

erretur. Hac via si progrediamur, manifestum quoque evadet, quomodo alii alios impedire possint, quo minus fruantur illis commodis, quæ ex statu civili per se in singulos redundare poterant ac debebant, consequenter quænam obligatio introducenda sit, ut impedimenta ista, quantum datur, removeantur.

§. 398.

Quantus esse debeat civium numerus.

Tantus esse debet numerus civium, quantus requiritur ad paranda ea, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem omnium, ad promovendam eorum felicitatem eosdemque tutos præstandos ab injuriis concivium & vi externa, seu ad promovendum commune civitatis bonum eamque adversus vim hostium defendendam. Etenim ad societatem quamlibet tot requiruntur personæ & tales requiruntur, quot & quales ad finem societatis consequendum sufficiunt (§. 174. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem cum civitas sit societas & eo fine contrahatur, ut conjunctim sibi parent ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem, immo felicitatem requisita, & curent, ut unusquisque jure suo quiete fruatur & tale id ab alio consequatur, atque se suaque adversus vim externam defendant (§. 4.), consequenter ut tuti sint tam ab injuriis concivium, quam vi externa, qui vero hanc societatem ineunt, socii (§. 4. *part.* 7. *Jur. nat.*), adeoque cives sint (§. 6.); tantus quoque esse debet civium numerus, quantus requiritur ad paranda ea, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem omnium, ad promovendam eorum felicitatem eosdemque tutos præstandos ab injuriis concivium & vi externa, consequenter ad promovendum commune civitatis bonum eamque adversus vim hostium defendendam (§. 9.).

In omni societate nihil agitur, nisi vires, quæ in societate uniun-

Digitized by Google

uniuntur, sint sufficientes ad finem consequendum, & societas, si quo virium defectu laborat, admodum imperfecta est (*not.* §. 174. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem civitas quoque imperfecta est, quæ aliquo virium defectu, consequenter civium laborat, ut finem civitatis per se consequi minime possit. De numero itaque civium non postrema cura est in civitate rite constituenda. Non sufficit nosse, quænam sint media consequendi finem civitatis; sed si eum consequi actu volueris, necesse etiam est, ut ne desint vires mediis istis utendi. Qui quid facere vult, habere debet vires ad faciendum sufficientes, sine quibus ad actum non perducitur, quod intrinsece possibile est.

§. 399.

Quoniam tantus esse debet *civium numerus, qui bono communi civitatis promovendo & defensioni adversus insultus hostiles sufficit* (§. 398.), *ne minor sit*, quam qui huic fini consequendo sufficit, *omni sollicitudine cavendum*, consequenter *etiam dispiciendum, ne desint tales, quales ad hunc vel istum finem particularem consequendum requiruntur.*

De numero civium justo minore.

Utrum numerus civium sufficiens sit, nec ne, æstimandum est ex fine civitatis, quippe qui conjunctis viribus obtinendus. Quamobrem non modo spectanda est simpliciter civium multitudo, verum etiam attendendæ sunt qualitates, quæ pro diversitate finium particularium diversæ esse debent in diversis subjectis. Vires nimirum fini civitatis consequendo non natura insunt omnes, &, si quæ earum natura insint, non tamen singulis inhærent subjectis. Quando autem vires singulorum ordinantur ad communem universorum finem, propter quem in societatem coivere; civitas jam spectatur tanquam persona, quæ viribus fini eidem proposito consequendo sufficientibus instructa.

Digitized by Google

§. 400.

De numero civium justo majore.

Civium numerus non major esse debet, quam ut ne desit sufficiens copia eorum, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem requiruntur cum universim, tum in specie eorum, qui idem vitæ genus sequuntur. Quoniam enim eo fine in civitatem coëunt homines, ut conjunctim sibi parent ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem requisita (§. 4.); necesse omnino est, ut singulis saltem prospiciatur de iis, quæ ad vitæ necessitatem faciunt, si vel maxime commoditati ac jucunditati eodem modo consulere non detur, præsertim cum non omnes eodem modo ad commune civitatis bonum concurrant. Quamobrem cum civium numerus tantus esse debeat, ut fini civitatis consequendo sufficiat; major esse nequit, quam ut ne desit sufficiens copia eorum, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem requiruntur vel universim, vel etiam in specie eorum, qui idem vitæ genus sequuntur.

Nemo alteri obstaculo esse debet, quo minus consequatur ea, quæ ad vitæ necessitatem saltem faciunt, si vel maxime consequi non detur ea, quæ commoditati atque jucunditati inserviunt. Id vero præcaveri nequit, sive universus civium numerus justo major fuerit, sive is in hoc vel isto genere fuerit nimius. Incommoda, quæ inde magno numero sequuntur, quotidiana & obvia loquitur experientia, ut ea recensere prolixum nimis foret atque superfluum.

§. 401.

De numero eorum determinando, qui certum

Quoniam civium numerus non major esse debet in aliquo vitæ genere, quam ut singuli acquirere possint ea, quæ ad necessitatem, immo etiam pro suo vitæ genere ad commoditatem, jucunditatem & decorem faciunt (§. 400.);

in

Digitized by Google

in quolibet vitæ genere determinandus eſt numerus eorum, quibus vitæ genus id ſequi permiſſum. *ſequuntur*

Nihil hic aſſeritur, quod a praxi ſit alienum. Exemplum allegare poteram patriam. Hoc autem monere conſultum duxi, quod hodie non deſint, qui e re civitatis eſſe exiſtimant, ut ad quodlibet vitæ genus admittantur, quotquot idem ſequi voluerint. Per ſe autem patet, in nullo vitæ genere minorem eſſe debere numerum, quam idem requirit finis civitatis: id quod etiam cum eo, quod dictum eſt, conſentit.

§. 402.

Si civium numerus fuerit minor, quam qui ad bonum publicum promovendum ſufficit, inprimis ad defenſionem Reip. adverſus vim hoſtium; de eo augendo ſollicitus eſſe debet ſuperior. Eadem cura ipſum tangit, ſi in aliquo vitæ genere deſint tales, qualium opera ac ſtudio indiget civitas. Etenim non minor eſſe debet civium numerus, quam quantus requiritur ad bonum commune civitatis, ſive publicum (§. 23.), promovendum & Remp. adverſus vim hoſtium defendendum (§. 399.). Quodſi ergo civium numerus minor deprehendatur, quam qui huic fini conſequendo ſufficit; ut is augeatur, curæ omnino eſſe debet ſuperiori. *Quod erat unum.* *De civium numero augenda.*

Similiter diſpiciendum eſt, ne deſint tales, quales ad finem civitatis conſequendum requiruntur (§. 399.). Quamobrem ſi in aliquo vitæ genere deſint tales, qualium opera & ſtudio civitas indiget; ſuperiori utique curæ eſſe debet, ut hic defectus ſuppleatur. *Quod erat alterum.*

Jure naturæ tantummodo oſtenditur, quid fieri debeat: media vero præſcribere, quibus id obtinetur, prudentiæ civilis eſt, de qua ſuo loco acturi ſumus.

Digitized by Google

§. 403.

Quando a civitate discedere licet.

Si civium, aut, si mavis subditorum numerus major fuerit, quam ut omnibus de his prospicere detur, qua saltem ad vitæ necessitatem faciunt; iis discedere licet, quorum opera ad promovendum bonum publicum carere potest Resp. Etenim non major esse debet civium numerus, quam ut ne desit sufficiens copia eorum, quæ ad vitæ necessitatem, tum etiam commoditatem ac jucunditatem, quantum datur, faciunt, in specie etiam eorum, qui idem vitæ genus sequuntur (§. 400.). Quodsi ergo numerus civium major fuerit, quam ut iis de his prospicere detur, quæ saltem ad vitæ necessitatem faciunt; a civitate sine damno ejusdem discedunt, qui abundant. Quamobrem cum civitas sit societas (§. 4.), a societate autem discedere liceat, quando id sine damno societatis fieri potest (§. 187. *part. 7. Jur. nat.*); si civium numerus major fuerit, quam ut iis de his prospicere detur, quæ saltem ad vitæ necessitatem faciunt, tot utique discedere possunt, quot abundant. *Quod erat unum.*

Enimvero si quorum opera & studio Resp. ad bonum publicum promovendum carere nequit, hi non sine ejus damno a civitate discedunt. Quamobrem cum civitas sit societas (§. 4.), a societate autem discedere non liceat cum damno sociorum (§. 186. *part. 7. Jur. nat.*); nec his a civitate discedere licet, quorum opera & studio Resp. maxime indiget. Quamvis ergo si civium numerus major sit, quam ut omnibus prospicere detur de iis, quæ ad vitæ necessitatem faciunt, tot discedere possint, quot superabundant, *per demonstrata;* non tamen discedere licet nisi iis, quorum opera ac studio Resp. ad promovendum bonum publicum carere potest. *Quod erat alterum.*

Ex

Digitized by Google

Ex hoc principio generali in casu quolibet dato facile judicium fieri poterit, num cuidam sit permissum, aut permittendum, ut a civitate discedat. Nimirum quando in civitatem coëunt homines, inter se conveniunt, quod conjunctis viribus parare velint ea, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem faciunt & adversus vim hostium sese defendere (§. 4.). Hinc vero non modo singuli sese obligant universis, quod pro virili conferre velint ea, quæ ad finem civitatis consequendum faciunt; verum etiam universi sese obligant singulis, quod ipsis prospicere velint de iis, quæ saltem ad necessitatem vitæ faciunt, ne scilicet eadem ipsis desint nisi ipsorummet | culpa. Quodsi ergo universi satisfacere nequeunt obligationi suæ, nec singuli pacto stare tenentur, cum omnis obligatio mutua supponat alterutram tanquam conditionem. Quamvis vero ex eo, quod universi præstare nequeunt singulis, quæ vi pacti debentur, his nascatur jus discedendi; nondum tamen hoc jus respectu individuorum determinatum est. Cum enim quilibet pro virili conferre debeat, quantum potest ad bonum publicum promovendum, non omnia autem possint omnes; ideo ut jus discedendi respectu individuorum determinetur, porro considerandum est, utrum eorum, qui discedere volunt, opera atque studio Resp. carere possit, nec ne. Atque inde est, quod jus discedendi saltem restringendum sit ad eos, quorum opera atque studio Resp. carere potest, aut non indiget. Ponamus e. gr. non superfluum esse eorum numerum, qui agros colunt; iis discedendi jus minime competit, etsi in aliis vitæ generibus sint plures, quam quibus de iis prospicere datur, quæ saltem ad vitæ necessitatem faciunt. In casu autem opposito discedere licet agricolis. Hinc patet, quale jus competat superiori in singulos quoad statum manendi.

§. 404.

Quoniam iis discedere non licet a civitate, quorum opera & studio maxime indiget ad bonum publicum promovendum, *De discessu civium.*

Digitized by Google

etiamsi civium numerus abundet (§. 403.), per se autem patet, quod interfit Reip. ne divites ac locupletes discedant, aut pecunia parata exportetur, *civitas permittere non tenetur, ut divites ac locupletes discedant,* seu *pecuniam paratam exportent,* consequenter *si quis dives aut locuples discedere velit,* cum quilibet socius damnum culpa datum resarcire teneatur (§. 179. *part.* 7. *Jur. nat.*), *civitati competit jus exigendi, ut damnum Reip. inde oriturum resarciat.*

Quoniam pecunia omnium simul ad divitias civitatis pertinet, cum ea instar personæ unius consideretur; divitum numero hic accensetur, qui discessurus pecuniam paratam secum aufert, qua in domicilii mutatione ad prospiciendum vitæ necessitati præsenti minime indiget.

§. 405.

De discessu eorum, qui in aliquo vitæ genere alios antecellunt.

Ex eadem ratione liquet, *civitati competere jus prohibendi, ut ne discedat, qui in aliquo vitæ genere præclaram Reip. operam præstare potest.*

Equidem non ignoro, durum subinde videri nonnullis, si manere cogantur, cum alibi fortunam augere possent; non tamen ex eo, quod tibi melius, nascitur jus discedendi a civitate, cum alias permittendum foret, ut quis cum damno ejus discedat, quod utique absurdum (§. 4. *h.* & §. 186. *part.* 7. *Jur. nat.*). Obligatio, qua quis tenetur civitati, minime permittit, ut jus tuum metiaris ex utilitate propria: sola sane utilitas ratio sufficiens juris non est (§. 265. *part.* 3. *Phil. pract. univ.*), quin potius ex obligatione tua nascitur jus civitatis, de quo dictum est in propositione præsente (§. 23. *part.* 1. *Jur. natur.*).

§. 406.

De discessu eorum, quo-

Si quorum opera ad defendendum Remp. adversus vim hostium

Digitized by Google

stium fuerit opus; iis discedere non licet, nisi æque idoneos in lo-rum opera cum sui substituere possint. Etenim cum ad finem quoque civitatis pertineat defensio Reip. adversus vim hostium (§. 4.); eidem utique adversatur discessus eorum, quorum opera ad defensionem Reip. adversus vim hostium necessaria. Quamobrem cum damnum in societate, consequenter in civitate (§. 4.), detur, si quid fit, quod fini consequendo adversatur (§. 177. *part. 7. Jur. nat.*), cum damno autem sociorum a societate discedere non liceat (§. 186. *part. 7. Jur. nat.*); nec discedere licet iis, quorum opera ad defendendum Remp. adversus vim hostium fuerit opus. *Quod erat primum.* *ad defensionem Reip. necessaria.*

Enimvero quoniam a societate recedere licet, si quis socium alium æque idoneum in locum sui substituat (§. 188. *part. 7. Jur. nat.*); si cujus opera ad defendendum Remp. fuerit necessaria, idem tamen alium æque idoneum in locum suum substituat, ei discedere licet. *Quod erat alterum.*

Ne quid difficultatis hic supersit, relegenda sunt ea, quæ alibi annotavimus (*not.* §. 188. *part. 7, Jur. nat.*). Quodsi quæratur, cujusnam sit judicium de idoneitate substituti; facile apparet, judicium esse ejus, cujus est jus exigendi operam ad defensionem Reip. præstandam, minime vero substituentis, ut ideo non opus sit, id demum demonstrari.

§. 407.

Cum consensu superioris quilibet a civitate discedere potest. Jus enim prohibendi, ne quis a civitate discedat, civitatis superiori in eadem competit, cujus quippe solius interest, ut ne quis discedat & cui soli singuli obligantur ad conferendum pro virili, quantum possunt ad finem civitatis consequendum (§. 4.). Quamobrem cum unusquisque jus suum remittere *De discessu cum consensu superioris.*

Digitized by Google

remittere poſſit, quando id fit illæſo jure tertii (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*), civitas autem, aut ſuperior jus remittat, quando in diſceſſum conſentit (§. 95. *part. 3. Jur. nat.*); cum conſenſu ſuperioris quilibet a civitate diſcedere poteſt.

In caſu propoſitionis præſentis non attenditur damnum, quod civitati ex diſceſſu emergit: pro damno enim non habetur jactura ejus, quod quis ſua voluntate amittit.

§. 408.

De gregatim diſcedentibus.

Gregatim ſine conſenſu ſuperioris a civitate diſcedere non licet, niſi ea ſit rerum penuria, ut extremæ vitæ neceſſitati proſpicere diſcedentibus non detur: Etenim per ſe patet, quo major fuerit civium numerus, eo aptiorem eſſe Remp. ad defenſionem ſui adverſus vim externam. Quamobrem cum fini civitatis repugnet, ſi plures gregatim a civitate diſcedant (§. 4.), conſequenter diſceſſu damnum detur civitati (§. 177. *part. 7. Jur. nat.*), cum damno vero ſociorum a civitate diſcedere non liceat (§. 186. *part. 7. Jur. nat.*); gregatim quoque ſine conſenſu ſuperioris a civitate diſcedere non licet. *Quod erat unum.*

Enimvero cum manere in ſocietate ſit damnoſum iis, quibus proſpici nequit de iis, quæ ad extremam vitæ neceſſitatem requiruntur, quod nemo facile in dubium vocaverit, ſocius autem renunciare poteſt ſocietati, ſi eam ſibi fore damnoſam prævidet (§. 190. *part. 7. Jur. nat.*); nemo quoque in civitate manere cogitur, ſi ea ſit rerum penuria, ut extremæ vitæ neceſſitati proſpicere non detur. Quamobrem in tanta rerum penuria gregatim diſcedere licet, in qua diſcedentibus proſpicere non datur extremæ vitæ neceſſitati. *Quod erat alterum.*

Si

Digitized by Google

Si gregatim diſcedatur a civitate, fini civitatis adhuc aliter derogari poteſt, quatenus fieri poteſt, ut deficiant ea, quæ ipſorum opera & induſtria paranda vitæ neceſſitas, commoditas atque jucunditas exigit, vel alio reſpectu ad bonum publicum promovendum requiruntur.

§. 409.

De extraneo in civitatem recipiendo.

A voluntate populi, ſive ejus, qui jus populi habet, voluntate unice dependet, utrum extraneum ſeu peregrinum in civitatem ſuam recipere velit, nec ne, & qua lege eum recipere velit. Civitas enim ſocietas eſt (§. 4.) & populus ſunt ſocii univerſi (§. 5. *h.* & §. 4. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo in ſocietatem recipi poſſit niſi communi ſociorum conſenſu (§. 189. *part.* 7. *Jur. nat.*); a voluntate populi conſequenter ejus, qui jus populi habet, unice dependet, utrum extraneum, ſive peregrinum in civitatem ſuam recipere velit, nec ne. *Quod erat unum.*

Quando quis in civitatem recipitur, per ſe patet in ipſum transferri jus quoddam, quod antea non habeat, & quoniam non recipitur niſi voluntate populi, ſeu ejus, qui jus populi habet, *per demonſtrata*, jus quoddam populus in in ipſum transfert, de quo pro arbitrio ſuo diſponere poteſt. Quoniam itaque jus quoddam noſtrum in alium transferre valemus ea lege, qua voluerimus (§. 11. *part.* 3 *Jur. nat.*); ſi populus extraneum, ſeu peregrinum in civitatem recipit, ab ipſius voluntate unice dependet, qua lege eum recipere velit. *Quod erat alterum.*

Vidimus in anterioribus, populum jus ſuum in alium, vel alios transferre poſſe, ac per conſequens populum feciſſe intelligi, quod facit is, qui jus populi habet. Quæ igitur de populo univerſo qua populo in ſequentibus demonſtrabuntur,

Digitized by Google

ea etiam intelligenda ſunt de eo, vel iis, qui jus populi habent.

§. 410.

De diverſitate receptionis peregrinorum.

Quoniam *a voluntate populi unice* dependet, qua lege *peregrinum* in civitatem recipere velit (§. 409.); a voluntate ipſius unice dependet, *utrum* eum *membris ceteris civitatis ſeu civibus æquiparare, an vero non omnia civium jura eidem conferre, aut ſaltem permittere velit, ut in regione ſua habitet & rem ſuam agat, conſequenter eum tanquam civem ſive æqualem, ſive inæqualem* (§. 78. 79. *part. 1. Jur. nat.*), *an vero tanquam incolam recipere velit* (§. 8.).

Populi eſt ſtatuere de eo, quod e re civitatis ſibi videtur (§. 60. 34.). Peregrino igitur non facit injuriam, ſi eum civibus ſuis æquare nolit, vel ſaltem incolæ jura concedit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Si qui recipiuntur, civibus quoad omnia jura non æquiparentur, membra civitatis minus digna ſunt. Incolæ vero cum proprie loquendo non ſint membra civitatis (§. 8.); tutela ſaltem civitatis fruuntur & ſub ea eſſe dicuntur.

§. 411.

Indigenæ & advenæ quinam ſint.

Indigenas appellamus, qui ex parentibus civibus in ea regione, in qua habitant, nati ſunt. Opponuntur ipſis *Advenæ*, qui aliunde eo veniunt, ubi habitant, vel ex advenis nati ſunt.

Liberi nimirum eodem jure cenſentur, quo utuntur parentes. Quamobrem ſi parentes fuerint cives, ſeu membra civitatis; civium quoque jure fruuntur liberi eorum. Si parentes fuerint membra civitatis minus digna, talia quoque erunt eorundem liberi. Quodſi parentes fuerint ſaltem incolæ, ipſorum quoque liberi tantummodo incolæ cenſentur. *Servius* diſtin-

Digitized by Google

diſtinguit inter indigenas, advenas & convenas. Indigenas vocat, qui ibi, ubi habitant, ſunt geniti; advenas, qui de uno loco in eam regionem venerunt, in qua habitant; convenas denique, qui de diverſis locis venerunt. Quoniam vero reſpectu civitatis perinde eſt, ſive plures ex uno loco, ſive ex diverſis adveniant; advenas a convenis diſtingui non neceſſarium duximus. Et quamvis indigenatus tantummodo a *Servio* referri videatur ad natale ſolum; lubuit tamen ſignificatum reſtringere eo modo, ut cum moderno loquendi uſu conſentiat, praeſertim cum is magis convenire videatur inſtituto præſenti.

§. 412.

Jus civitatis, vel etiam *Indigenatus* dicitur, quo cives fruuntur. Quamobrem *ſi peregrinus tanquam membrum civitatis recipitur, jus civitatis, ſeu indigenatus eidem confertur.* Enimvero quoniam incolæ cives non ſunt (§. 8.); *ſi peregrinus tanquam incola recipitur, eidem jus civitatis, vel indigenatus minime confertur.*

Jus civitatis, vel Indigenatus quid ſit.

Poterat equidem ſubtiliter jus civitatis a jure indigenatus diſtingui, ita ut indigenatus complectatur modum habendi jus civitatis, quaſi per nativitatem; ſubtilitas tamen hæc parum utilitatis habet in præſenti negotio. *Huberus* de Jure Civitatis lib. 2. ſect. 2. c. 1. civibus etiam accenſet incolas: ſed omnis controverſia, num incolæ ſint cives tandem ad logomachiam redit, cum a definitione civis pendeat, quam arbitrariam eſſe nemo in dubium vocabit, niſi qui verba a rebus, quas ſignificant, diſtinguere nondum didicit. Alia vero eſt quæſtio, quinam ſignificatus vocabuli civis naturæ civitatis magis conveniat. Qui ſocietatem civilem ab initio libera voluntate contrahunt, eos eſſe cives, ſeu civitatis membra, nemo in dubium vocaverit. Eos, qui ex ipſis naſcuntur, cum per eosdem civitas conſervetur, civium quoque numero accenſendos

Digitized by Google

esse, nemo itidem negaverit. Peregrini autem cum libera populi voluntate recipiantur, non plus juris acquirere valent, quam populus iisdem concedere vult. Quamobrem si eos æquali jure cum civibus censere velit & ex civibus natis æquiparare; cives utique erunt & pro indigenis habendi. Si vero non tantum juris concedere malit, quantum est civium reliquorum; cives quidem erunt, sed minus digni, ut tanquam advenæ adhuc distinguantur ab indigenis. Si saltem habitationem & jus rem suam agendi in suo territorio concedit; a civibus non male distinguuntur incolæ, nec jus incolatus cum jure civitatis aut indigenatus confunditur. Patet itaque, nos vocabulis eum tribuere significatum, qui rebus a se invicem discernendis maxime convenit. Sed eam, qua nos utimur libertate, lubentes etiam aliis concedimus, nemini loquendi legem præscribentes.

§. 413.

De advenis temporariis.

Advenæ temporarii sunt, qui aliunde non eo animo veniunt, ut perpetuo apud nos habitent, sed saltem aliquo temporis intervallo, ut commorentur, v. gr. negotii cujusdam causa. Unde patet, *advenas temporarios nec civibus* (§. 6.), *nec incolis annumerandos esse* (§. 8.).

Vocantur subinde cives temporarii, sed improprie, vago quodam significatu ob rationem, quæ ex sequentibus constabit.

§. 414.

De natis ex iisdem.

Quoniam advenæ temporarii nec cives, nec incolæ sunt (§. 113.); *qui ex iis nascuntur eo in loco, ubi commorantur, nec ibidem cives, nec incolæ sunt, sed civibus aut incolis ejus loci accensentur, ubi cives vel incolæ sunt parentes.*

Jus civitatis aut incolatus a parentibus cum liberis communicatur

Digitized by Google

nicatur per nativitatem: nihil vero hic confert locus nativitatis. Unde etiam liquet, nos ad indigenatum recte requisivisse, ut quis ex parentibus civibus nascatur (§. 411.), nullo facto discrimine, utrum parentes habeant jus civitatis per nativitatem, an vero concessione populi. Absurdum itaque foret pro Sueco haberi eum, qui ex parentibus Germanis natus est in Suecia negotii cujusdam causa ibidem commorantibus. Quænam enim ratio fingi potest, ut per locum nativitatis ad liberos propagetur aliquod jus, quod parentes minime habent, ad liberos, inquam, quos iidem secum in patriam reduces adducunt, in qua cum ipsis habitant.

§. 415.

An civibus & incolis jus discedendi adimi possit.

Si lege sancitum, ut ne quis civium discedat, vel etiam incola; nec civis, nec incola jus discedendi habet, nec discedere licet, nisi populi consensu. Etenim si specialiter fuerit conventum, ne quis a societate recedere possit, nisi consociorum consensu recedere licet (§. 189. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem cum civitas sit societas (§. 4.), si populus ab initio convenerit, vel postea lege sancitum fuerit, ut ne quis civium discedat, nec is jus discedendi habet, nec ei discedere licet, nisi populi consensu. *Quod erat unum.*

Similiter cum incolæ subjecti sint legibus civitatis, quod per se patet, vel etiam inde intelligitur, quod iis non concedatur jus habitandi & rem suam agendi in hac regione, nisi sub ea conditione, ut imperio civili subjecti sint; si lege cautum sit, vel etiam posthac caveatur, ut ne discedant, nec ipsis competit jus discedendi, neque discedere possunt nisi consensu populi, seu superioris. *Quod erat alterum.*

Ne quid dubii quoad incolas remaneat, notandum est, legem de non discedendo aut ante jam latam esse, quam quis in numerum incolarum admittitur, aut postea demum ferri. In

Digitized by Google

casu priori patet, neminem recipi in numerum incolarum, nisi sub hac conditione, ut ne pro lubitu discedat, seu jus incolatus non accipere quenquam nisi cum onere manendi. Quodsi excipias, lege ista non obstante, posse alicui incolatum conferri salvo jure discedendi; id minime ei, quod diximus, contrariatur: tum enim non discedit nisi superioris consensu, prouti habet propositio præsens. Quodsi lex posthac demum sancitur & habitationem continuat incola, in eam legem consentit, consequenter perinde est ac si sub ea conditione in numerum incolarum receptus fuisset, ut ne liber sit discessus. Dubium itaque tantummodo videri poterat, an cogi possit ad manendum, si statim discedere velit, dum lex de non discedendo fertur. Verius tamen videtur, quod omnino non possit. Qui enim civitati se aggregant, in id consentire intelliguntur, ut ratum habeatur, quod populo, seu Rectori civitatis visum fuerit, consequenter tacite se obligant, quod discedere nolint, si discessus prohibeatur. Accedit, quod Rectori civitatis competat jus de ipsis personis civium certo modo disponendi, si salus publica exigat (§. 113.). Quidni etiam de incolis, quorum minus jus est quam civium? Incolæ non obligatione, sed jure saltem cedunt civibus.

§. 416.

Quando quis civis esse desinat.

Qui a civitate discedit, ex cive fit peregrinus. Qui enim a civitate discedit, membrum illius civitatis esse desinit; quod per se patet. Enimvero qui membrum civitatis nostræ non est, peregrinus est (§. 7.). Quamobrem qui a civitate discedit ex cive fit peregrinus.

Facile patet, propositionem præsentem valere non minus de discessu involuntario, quando quis jussu superioris abire cogitur, quam de voluntario, si quis sua sponte abit.

§. 417.

Digitized by Google

§. 417.

Quoniam qui a civitate discedit, ex cive fit peregrinus (§. 416.) a populi autem voluntate unice dependet, utrum peregrinum in civitatem recipere velit, nec ne, & qua lege eum recipere velit (§. 409.); *si qui recessit reaire velit, populus eum in civium numerum recipere non tenetur*, consequenter *reditu suo jus civitatis non recuperat.* Immo eodem modo patet, *quod, qui fuerat civis, eundem populus ne quidem in numerum incolarum admittere teneatur.* *An reditu jus civitatis recuperetur.*

Aliud nimirum est a civitate discedere, aliud abire cum animo redeundi. Quamvis itaque absentia per aliquod tempus non noceat civi; nocet tamen discessus a civitate, cum discedens animo non redeundi absit, &, si non verbis, ipso tamen facto declarat, quod membrum civitatis esse amplius nolit, nec imperio ejus subjectus esse velit.

§. 418.

Quoniam qui a civitate discedit, ex cive fit peregrinus (§. 416.); *qui post discessum nascuntur liberi, etiam peregrini sunt.* *De liberis post discessum natis.*

Jus enim civitatis per nativitatem a parentibus in liberos transmittitur (*not.* §. 415.). Quodsi ergo illi cives amplius non sint (§. 416.); per eos quoque jus nullum in liberos transmitti potest.

§. 419.

In eum, qui a civitate discessit, civitati nihil amplius juris competit. Etenim qui a civitate discedit, ex cive fit peregrinus (§. 417.), consequenter cum membra tantummodo civitatis singula obligentur universis (§. 6. 28.), obligatio illius, qui discedit, expirat. Quamobrem cum ex hac obliga- *An jus civitati competat in eos qui discesserunt.*

Digitized by Google

obligatione naſcatur jus civitati in civem (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*); quando quis a civitate diſcedit, jus quoque, quod civitati fuerat in eum, expirat, conſequenter eidem in illum nihil amplius juris competit.

Patet ut ante (*not.* §. 416.), propoſitionem præſentem intelligendam eſſe tam de diſceſſu voluntario, quam involuntario. Civitati non competit jus in civem, niſi quatenus membrum civitatis eſt & qua membrum eidem obligatur ad bonum publicum promovendum & civitatem adverſus inſultus hoſtiles defendendum. Quamprimum igitur quis membrum civitatis eſſe definit, nihil quoque juris civitati in eundem remanet, quemadmodum ipſe ad nihil civitati obligatur.

§. 420.

De copia rerum neceſſariarum, & voluptuariarum.

Rectori civitatis curæ eſſe debet, ne deſit rerum ad victum, amictum, habitationem, vitæque commoditatem ac jucunditatem neceſſariarum copia omnibus ſufficiens. Quando enim civitas conſtituitur, univerſi ſeſe obligant ſingulis, quod ſufficientiæ vitæ ipſorum proſpicere velint (§. 28.), conſequenter quod curæ habere velint, ut ea abundent, quæ ad vitæ neceſſitatem, conſequenter ad victum, amictum & habitationem, illiusque commoditatem ac jucunditatem requiruntur. Quamobrem cum Rectoris civitatis ſit determinare ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 42. 60.); eidem curæ eſſe debet, ne deſit rerum ad victum, amictum & habitationem vitæque commoditatem atque jucunditatem neceſſariarum copia omnibus ſufficiens (§. 9. 23.).

In Rep. bene conſtituta abundare debent res tam neceſſariæ quam utiles & voluptuariæ (§. 499. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.*). Si quorundam deprehenditur defectus, ipſa Resp. imperfectione laborat: neque enim finis obtinetur, qui in civitate intenditur

Digitized by Google

ditur (§. 13.). Perfectio autem civitatis, tanquam societatis (§. 4.), non consistit nisi in aptitudine ad finem istum consequendum (§. 171. *part. 7. Jur. nat.*). Equidem non omnium rerum eadem est necessitas, ac ideo res utiles voluptuariis, necessariæ tam voluptuaribus, quam utilibus præferendæ (§. 502. *part. 1. Jur. nat.*); nemo tamen in dubium vocabit, præstare Remp. in qua omnium rerum sufficiens copia adest, altera, qua vitæ saltem necessitati prospicitur, omni commoditate, ne dicam jucunditate procul remota. Si quis ea de re dubitet, is tantummodo conferat genus vivendi populorum incultorum cum vivendi ratione, quæ inter gentes cultiores, veluti inter nos, obtinet: quanta enim sit differentia inter utrumque vivendi genus facile animadvertet, nec ipsi erit animus statum suum cum statu barbarorum commutandi.

§. 421.

Quoniam Rectori civitatis curæ esse debet, ne desit rerum ad victum, amictum & habitationem vitæque commoditatem ac jucunditatem copia omnibus sufficiens (§. 420.), natura autem non res omnes sua sponte profert, neque tanta copia, quanta omnibus sufficit, sed earum proventus industria humana promovendus, & ex rebus pure naturalibus atque industrialibus arte humana parandæ sunt aliæ artificiales (§. 503. *& seqq. part. 1. Jur. nat.*); *superiori curæ esse debet, ut res industriales & artificiales, quantum datur, multiplicentur*, consequenter *ut subditi rerum naturalium proventum industria ac labore suo promoveant & ex iis alias utiles atque voluptuarias conficiant.* *De rebus industrialibus & artificialibus multiplicandis.*

Non est quod dicas, homines sua sponte ferri ad ea, quæ ad vitæ necessitatem faciunt, ut de iis sibi comparandis cogitent; ferri etiam ad ea, quæ vitam commodam atque jucundam faciunt, modo commoditatem ac jucunditatem vitæ cognoscant, cum alias ignoti nulla sit cupido. Neque enim inde sequitur curam parandi res industriales & artificiales nul-

Digitized by Google

lam pertinere ad Rectorem civitatis, quoniam in civitatem coitur, ut unusquisque, quæ huc faciunt, facilius obtinere possit (§. 4.) & ad hanc curam universi se obligaverint singulis si non expresse, saltem tacite (§. 28.). Diximus res industriales & artificiales multiplicandas esse, quantum datur: neque enim solum parantur in usus proprios civium, verum etiam in usum commerciorum, prouti suo loco clarius eluceſcet.

§. 422.

De cura circa laborem. Quoniam Rectori civitatis curæ esse debet, ut subditi rerum naturalium proventum promoveant, quantum datur, labore ac industria sua atque eorum alias utiles & voluptuarias conficiant (§. 421.); *ferendum non est, ut otio diffluant, quibus vires ad laborandum suppetunt, & curandum, ne cuiquam desit labor, qui laborare vult* (§. 395. *h.* & §. 514. 515. *part. 1. Jur. nat.*).

Equidem homines naturaliter obligantur ad laborandum (§. 514. *part. 1. Jur. nat.*) & otium naturaliter prohibitum (§. 515. *part. 1. Jur. nat.*), & hæc obligatio non modo respicit laborantem, sed etiam alios, quibus is utilis esse potest, prouti abunde intelligitur ex iis, quæ alibi demonstrata sunt (§. 506. *& seqq. part. 1. Jur. nat.*); non tamen ideo cura omnis circa laborem removenda est a superiore in civitate, cum ejus sit curare, ut omnes satisfaciant obligationi naturali, qua tenentur aliis (§. 395.), & singuli quoque vi pacti, quo constituta est civitas & quo continuatur, sese obligarunt universis, quod naturali isti obligationi satisfacere velint, ac in universos transtulerint jus a se exigendi, ut satisfaciant (§. 28. *b.* & §. 23. *part. 1. Jur. nat.*); ex adverso vero universi sese obligaverint singulis, quod, quantum datur, ipsis prospicere velint de mediis obligationi isti satisfaciendi (§. 28.).

§. 423.

De cura circa laborem. *Opera danda est, ut quilibet studio ac labore suo tantum acquirere possit, quantum ad res, si non utiles & voluptuarias, saltem neceſſa-*

Digitized by Google

cessarias comparandum sufficit. Quoniam enim Rectori civitatis curæ esse debet, ne desit rerum ad victum, amictum, & habitationem vitæque commoditatem ac jucunditatem requisitorum, consequenter necessariarum, utilium & voluptuariarum (§. 499. *& seqq. part. 1. Jur. nat.*) omnibus sufficiens copia (§. 420.), unicuique autem laborandum est, non otiandum (§. 422.), ut scilicet sibi comparare res, quibus indiget, possit; opera omnino danda, ut quilibet studio ac labore suo tantum acquirere possit, quantum ad res si non utiles & voluptuarias, saltem necessarias comparandum sufficit (§. 502. *part. 1. Jur. nat.*).

Laboramus non alio fine, quam ut acquiramus pecuniam, qua nobis comparemus ea, quibus indigemus, quatenus scilicet laboramus nostri causa. Quamobrem non sufficit, ut Resp. abundet rebus necessariis, utilibus & voluptuariis; sed danda quoque opera est, ut subditi eas sibi comparare possint, consequenter ut labore suo tantum acquirant, quantum ad eas comparandas sufficit. Facile patet, ad eandem curam simul pertinere, ut ubivis locorum prostent res, quibus indigent singuli & quas sibi comparare volunt.

§. 424.

De pretio rerum & laborum determinando.

Quoniam opera danda est, ut quilibet studio & labore suo tantum acquirat, quantum ad res, si non utiles & voluptuarias, saltem necessarias sibi comparandum sufficit (§. 423.); *tam laborum, quam rerum pretia ita determinanda sunt, ut quilibet eas sibi comparare possit, quibus indiget.*

Relegenda hic sunt, quæ de pretio rerum determinando alias demonstravimus (§. 303. *& seqq. part. 4. Jur. nat.*). Hic enim saltem ostenditur, curam determinandi pretia rerum atque laborum ad superiorem pertinere, vi pacti originarii,

Digitized by Google

quo civitates conſtitutæ, & unde manent omnes obligationes ac iura in civitate. Ideo enim in civitatem coitur, ut rectius atque facilius ea fiant, quæ naturaliter fieri debent, in ſtatu autem naturali fieri nequeunt, vel non ita commode fieri poſſunt. Atque inde eluceſcit Reip. utilitas, nec poſtrema ea cenſeri debet, quod ſingulis provideatur cura aliena iidemque conſequuntur, quod per ſe conſequi minime poterant, ſi extra civitatem viverent.

§. 425.

De numero civium in quolibet vitæ genere determinando.

Quoniam opera danda eſt, ut quilibet ſtudio & labore ſuo tantum acquirat, quantum ad res ſi non utiles & voluptuarias, ſaltem neceſſarias ſibi comparandum ſufficit (§. 423.); hinc nova ratione intelligitur, quod ſupra jam oſtendimus (§. 401.); *in quolibet vitæ genere determinandum eſſe numerum eorum, qui idem ſequuntur.*

In iis, quæ ad Remp. ſpectant, haud raro plures ſunt rationes, quarum una ſola ſufficit ad evincendum id, quod fieri debet, aut non. Quando vero plures concurrunt, tanto major eſt neceſſitas, ne negligatur, quoniam negligendo non uno modo peccatur. Noſtrum jam non eſt recenſere incommoda, quæ ex numero civium in eodem vitæ genere juſto majore ſequuntur, tum quod experientia eadem doceat, tum quod diſtincta eorundem cognitio ad prudentiam potius civilem pertineat, quam ad jus publicum univerſale, de quo in præſenti agimus. Omnia autem iſta incommoda, qualiacunque fuerint, fini civitatis repugnant, quatenus adverſantur aliis, quæ eidem conveniunt. Fini nimirum civitatis quoque repugnat, quicquid quomodocunque officiis civium erga ſe invicem contrariatur.

§. 426.

De cura circa notitiam

In Rep. curandum eſt, ut cives ac incolæ inſtituantur de Deo

Digitized by Google

Deo & officiis erga ipsum, tum etiam de officiis erga seipsos & erga eorum, quæ alias, iisque omnibus, quæ in suo vitæ genere ipsis scitu necessaria atque utilia sunt. Etenim lege naturali homines obligantur ad certa officia erga Deum, erga seipsum & erga alios: id quod ex parte prima Juris naturalis abunde patet. Quamobrem cum in Rep. instituenda sint, quæ mediorum vicem præstant officiis satisfacturis & eorundem praxin facilitant (§. 396.), nemo autem officiis istis satisfacere possit, si eadem ignorat, vel, ubi didicit, iterum oblivioni det; in Rep. omnino curandum est, ut cives atque incolæ de Deo & officiis erga ipsum, tum etiam de officiis erga seipsum & erga alios instituantur. *Quod erat unum.*

vendum sit, ad recte vivendum necessaria.

Et quoniam unusquisque hominum eligere debet vitæ genus, ad quod aptus est (§. 533. *part. 1. Jur. nat.*), & quo se utiliorem concivibus suis præbere potest (§. 534. *part. 1. Jur. nat.*), ac præterea sibi comparare tenetur eum facultatum usum, qui ad laborem suum recte obeundum requiritur (§. 530. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter etiam animum imbuere eorum notitia, quæ in suo vitæ genere eidem scitu necessaria atque utilia sunt; ut ante patet, in Rep. curandum esse, ut cives atque incolæ acquirant notitiam eorum, quæ in suo vitæ genere iisdem scitu necessaria atque utilia sunt (§. 396.). *Quod erat alterum.*

Posterius etiam inde colligitur, quod inprimis eam rerum notitiam nobis comparare debeamus, cuius usus in eo, quod sequimur, vel eligimus, vitæ genere magis necessarius (§. 222. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 427.

Qui ad scientias & artes perficiendas apti sunt; ii omni modo juvandi, ut iisdem vacare possint. Si qua enim dantur

De subsidiis eorum, qui ad scientias

Digitized by Google

& artes perficiendas apti.

ad perfectionem hominis statusque ejusdem promovendum necessaria, quæ non in omnium potestate sunt, ad ea consequenda non obligantur nisi ii, quorum in potestate ista sunt (§. 184. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum non quilibet aptus sit ad scientias & artes perficiendas, quod per se patet; ad eas quoque perficiendas non obligantur, nisi ii, qui apti sunt. Quoniam vero qui apti sunt, non semper necessariis subsidiis instructi sunt, ut scientiis aut artibus perficiendis vacare possint; ideo omni modo juvandi, ut possint (§. 396.).

Interest generis humani, ut scientiæ ac artes excolantur, &, quantum datur, perficiantur. In Rep. itaque bene constituta habenda quoque ratio est scientiarum atque artium, ut indies magis magisque perficiantur, & in communem utilitatem vertantur. Dotes animi non æqualiter cum opibus distribuuntur. Quamvis itaque quis aptus fuerit ad scientias & artes excolendas atque perficiendas; non tamen iis vacare datur, cum quærenda sit pecunia primum, ut necessaria vitæ subsidia comparari possint. In civitate conjunctis viribus agendum, ac ideo alii dotes animi, alii opes suas cum aliis communicare tenentur, quasi communione quadam vi pacti, quo societas civilis contracta, introducta. Quamobrem quilibet prodesse debet ceteris iis, quæ possidet, ac propterea qui apti sunt ad scientias atque artes perficiendum, iis suppeditanda sunt necessaria subsidia, ut iisdem vacare possint. Tota civitas corpus quoddam repræsentat humano simile, cujus diversa sunt membra, functionibus suis a se invicem distincta. Quodsi ergo omnia functionem suam debite præstent, & unum alteri adjumento sit, ut præstare possit; toti corpori bene est.

§. 428.

De cura circa vitæ genus quod se-

Similiter qui ad certum vitæ genus apti sunt, iidem omni modo adjuvandi, ut idem sequi possint, inprimis illi, qui præclari quidpiam in eo præstare possunt; parum apti vero omni studio ab eodem

eodem arcendi. Etenim unusquisque hominum eligere debet vitæ genus, ad quod aptus est (§. 533. *part. 1. Jur. nat.*), & quo se utiliorem aliis præbere potest (§. 534. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum non modo in Rep. quilibet juvandus sit, ut naturali obligationi satisfacere facilius possit, quam si extra Remp. sibi soli relictus constitueretur (§. 396.), verum etiam Reip. interest, ne parum apti aliquod vitæ genus sequantur, utpote qui non rite præstare possunt, quod debent, & ne ex adverso idem sequi impediantur, qui præ aliis præclari quiddam in eodem præstare valent; vel saltem necessariis subsidiis ad præclari quid præstandum destituantur; illi omnino, qui ad certum vitæ genus apti sunt, omni modo adjuvandi, ut idem sequi possint, ac illi inprimis, qui præclari quidpiam in eo genere præstare possunt, parum apti vero omni studio ab eodem arcendi. *qui debent subditi.*

Principium hoc admodum foecundum est, cum multa specialia inde fluant; cura autem, quam injungit superiori, seu Rectori civitatis, haud exigua est, nec postrema, cum Resp. vix dici possit bene constituta, nisi quævis vitæ genera sequantur illi, qui ad ea apti sunt. Quodsi contrarium sumatur, facile intelligitur, quænam incommoda inde sequantur, & quam parum finem civitatis consequi detur. Neque difficile est incommoda ista addiscere a posteriori, modo animum advertas ad eos, qui aliquod vitæ genus sequuntur, sive liberalius, sive illiberalius, ad quod parum apti sunt, etsi pro diversitate generis non omnes Reip. noceant eodem modo.

§. 429.

Curandum est, ut liberi absque sumtu parentibus oneroso De cura circonstituantur in iis, quorum notitia ipsis necessaria ac utilis, & ut ad ea institutvitæ genus destinentur, ad quod apti sunt, atque ad idem præparationem liberentur, & ne negligantur illi, quorum parentes sumtus necessarios rorum.

suppe-

Digitized by Google

suppeditare nequeunt. Etenim parentes obligantur ad omnem diligentiam adhibendam, ut liberi rerum cognitu sibi possibilium cognitionem acquirant (§. 648. *part. 7. Jur. nat.*); &, ubi ad usum rationis perveniunt iisdem scientiam boni & mali legumque naturalium, quantum sufficit, instillent & ad bona atque mala vera ab apparentibus discernenda perducant (§. 689. *part. 7. Jur. nat.*), ut mature pietatem consequantur (§. 699. *part. 7. Jur. nat.*) & Deum agnoscant (§. 700. *part. 7. Jur. nat.*). Quoniam itaque vix fieri potest, ut ipsimet per se huic obligationi satisfaciant, tum quod ad instruendum liberos eosque in his singulis instituendum non sint apti, tum quod per alia, quæ ipsis agenda sunt, parum vacat; per alios hoc facere tenentur. Quamobrem cum in Rep. curandum sit, ut ad satisfaciendum officiis lege naturali præscriptis media suppeditentur, & eorum praxis quovis modo facilitetur (§. 396.); curandum utique est, ut liberi absque sumtu parentibus oneroso instituantur in iis, quorum notitia ipsis necessaria atque utilis. *Quod erat primum.*

Similiter cum parentes liberos certo vitæ generi destinare debeant, cui apti sunt & quo se utiliores aliis præbere possunt (§. 719. *part. 7. Jur. nat.*), & mature eosdem ad idem præparare (§. 720. *part. 7. Jur. nat.*), ea vero cura ad Remp. pertinet, ut numerus eorum, qui aliquod vitæ genus sequuntur, determinetur (§. 401.), nec ad aliquod sequendum admittantur parum apti, qui vero apti sunt, omni modo adjuventur, ut idem sequi possint, præsertim si quid in eodem præclari præstare valent (§. 428.); ea quoque cura Remp. tangit, ut liberi a parentibus destinentur vitæ generi, ad quod apti sunt, atque ad idem præparentur. *Quod erat secundum.*

Quodsi

Digitized by Google

Quodſi denique parentes ſumtus facere non poſſint in inſtitutionem liberorum, cum interſit Reip. ne iidem negligantur, in eadem vero conjunctis viribus commune civitatis bonum promovendum (§. 4. 9); liberi quoque negligendi non ſunt, quorum parentes ſumtus neceſſarios ad inſtitutionem eorum ſuppeditare nequeunt. *Quod erat tertium.*

Natura homines ducit ad educationem ſobolis ſuæ, ut liberi, quos genuerunt, vitam hominis vivere poſſint (§. 255. *part.* 7. *Jur. nat.*), ſicque genus humanum conſervetur ac propagetur: In civitate vero educanda proles eſt, ut ex civibus geniti vitam quoque civis vivere poſſint, ſicque genus civium propagetur & civitas conſervetur. Conſervatio civitatis utique ad curam Reip. pertinet. Quamobrem eidem quoque ſubduci nequit educatio liberorum. In his unice poſita eſt ſpes, ut civitas perennet. Itaque ut finis ejus obtineatur non modo pro præſenti, verum etiam futuro tempore, nihil omittendum eſt, quod univerſitas conferre poteſt ad id, ut liberi recte educentur.

§. 430.

Quoniam in Rep. qui ſua ſponte legem naturæ ſervare nolunt, vi adigendi ſunt, ut actus ſaltem externos ad legem naturæ componant (§. 395.), parentes autem ad liberos educandos obligantur (§. 263. *part.* 7. *Jur. nat.*), & in Rep. curatur, ut liberi absque ſumtu parentibus oneroſo inſtituantur in iis, quorum notitia ipſis neceſſaria atque utilis & ut ad vitæ genus, cui deſtinantur, præparentur (§. 429.), conſequenter media educationem facilitandi ſuppeditantur, *parentes vi compellendi ſunt, ut publica inſtitutioni liberos ſuos committant.*

De jure civitatis in educationem liberorum.

In Rep. educatio prolis non modo ad curam parentum, ve-

Digitized by Google

rum etiam civitatis pertinet (*not.* §. 429.). Quamobrem in ea permittendum non eſt, ut educatio a parentibus negligatur, conſequenter ut ii non utantur mediis, quibus liberi in ſpem Reip. educari poſſunt. Quemadmodum vero in Rep. non tollitur obligatio naturalis, quippe in ſe prorſus immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſed ejus adimpletio ſaltem facilitatur & quantum datur, promovetur (§. 395.); ita quoque in educanda prole cura parentum cum cura publica conjungenda, nec illi educationem curæ publicæ ita committere debent, ut ſuam prorſus abjiciant.

§. 431.

Quod omnes legere, ſcribere, computare debeant diſcere.

Similiter quia liberi inſtituendi ſunt in iis, quæ in eo, quod ſequentur, vitæ genere ipſis utile eſt (§. 429.), & parentes compellendi, ut publicae inſtitutioni liberos ſuos committant (§. 430.), in quolibet autem vitæ genere unicuique utile eſt, ut legere, ſcribere ac computare diſcant, quod a poſteriori recte ſumitur; *id inprimis curæ eſſe debet, ut liberi, dum educantur & publice inſtituuntur, legere, ſcribere ac computare diſcant, nec permittendum parentibus, ut in hiſce addiſcendis illos negligant.*

Nemo fateri cogitur, inter defectus Reip. bene conſtitutæ referendum eſſe, ſi deſit occaſio publicæ inſtitutioni tradendi liberos, ut legere, ſcribere & computare diſcant vel ſumtu parentibus non nimis oneroſo, vel absque eorum ſumtu, ſi pauperes fuerint. Pauperum enim in Rep. non minus habenda eſt ratio, quam cererorum, qui proprios in educationem liberorum ſumtus facere poſſunt: in civitate nimirum conjunctis viribus promovetur commune bonum, conſequenter ne quis negligatur in neceſſariis, univerſitati proſpiciendum.

Præceptores quinam ſint.

§. 432.

Præceptores dicuntur, qui pueros & adoleſcentes inſtituunt

Digitized by Google

ſtituunt in iis, quæ ipſis diſcenda ſunt. Sunt autem *publici*, qui publica auctoritate conſtituti ſunt, ut inſtituant: *priuati* autem, ſeu *domeſtici*, quos unusquisque liberis ſuis in domo ſua conſtituit.

Genio ſeculi noſtri, quo vana ambitio hominibus perſuaſit, ut vocari malint, qui non ſunt, vocabulo præceptoris neſcio quid abjecti adhæret, ita ut præceptores domeſtici informatores vel gubernatores appellari malint, quam præceptores. Sed vanitas iſtiusmodi quemadmodum hic, ita nec in aliis, quæ ſequentur, attendenda venit, tantoque minus, quanto certius eſt, eam non eſſe omnibus gentibus cum nobis communem.

§. 433.

Scholæ dicuntur loca, in quibus publica auctoritate inſtituuntur pueri, adoleſcentes atque juvenes in iis, quæ ipſis diſcenda ſunt. *Schola quid ſit.*

Etſi tantummodo ſexus maſculini mentionem faciamus in definitione, brevitatis cauſa; non tamen propterea excluditur ſexus foemininus, quatenus ea, quæ diſcenda ſunt, utrique ſexui communia ſunt. Huc enim ducit commoda interpretatio.

§. 434.

Scholæ inferiores, dicuntur, in quibus pueri atque adoleſcentes inſtituuntur in iis, quæ memoria comprehenduntur. *Schola* autem *ſuperiores* ſunt, in quibus juvenes docentur ea, quæ vi intellectus comprehendenda, conſequenter ad ſcientiam rerum ſcitu neceſſariarum, vel utilium perducuntur. Vocantur hæ apud nos *Academiæ*, vel etiam *Univerſitates*. *Scholarum diſtinctio & quid ſit unitas, ſive Academia.*

Conſtat homines gaudere facultatibus cognoſcendi tam in-

Digitized by Google

ferioribus, quam ſuperioribus (§. 54. 55. *Pſych. empir.*) & ad illas referri ſenſum, imaginationem atque memoriam, ad ſuperiores autem intellectum & quæ ab eodem dependent, prouti ex Pſychologia empirica manifeſtum eſt. Uſus facultatum inferiorum homini natura ineſt, non demum acquirendus (§. 200. *part. 1. Jur. nat.*), uſus autem ſuperiorum minime, ſed demum exercitio acquiritur (§. 199. *part. 1. Jur. nat.*), cumque unusquisque in ſe experiatur ac ex Pſychologia empirica abunde pateat, uſum facultatum ſuperiorum præſupponere ea, quæ uſu inferiorum addiſcuntur; ideo pueris & adoleſcentibus maxime convenit, ut addiſcant ea, quæ uſu facultatum inferiorum addiſci poſſunt, conſequenter quæ memoria comprehenduntur, juvenibus autem, ut ad uſum facultatum ſuperiorum adducantur & ea doceantur, quæ vi intellectus comprehenduntur. Quamobrem me judice Scholas non male diſtinguuntur diverſitate facultatum cognoſcendi, quemadmodum in definitionibus præſentibus fecimus. Cum verò natura non faciat ſaltum, ſed ab uno extremo ad alterum procedat per gradus intermedios, ideo quoque non adeo arcti ſunt limites inter Scholas inferiores, & ſuperiores, quarum quoque idiomate patrio hohe Schulen appellare ſolemus, quin etiam in inferioribus ad uſum facultatum ſuperiorum adduci poſſint adoleſcentes, immo ad hunc uſum præparari pueri, quantum fert ætas. Notandum præterea eſt, nos hic diſcernere ea, quæ a jure nobis proprio veniunt ac moribus, ab iis, quæ juri naturæ conveniunt. Jura enim iſta particularia inſtabilia ſunt, nec ubivis gentium eadem, immo ſæpe variant in gente eadem pro diverſitate temporum: jus vero naturæ, quod tradere nobis propoſitum, immutabile jus eſt & ad id illa conformari debent, ne quid ſtatuatur, quod idem tollat, ſi quidem ratione firma niti debeant.

§. 435.

Profeſſor quinam ſit. Qui in Scholis inferioribus docent, ſeu pueros & adoleſcentes inſtituunt, iis remanſit Præceptorum nomen: qui

Digitized by Google

qui vero in Academiis docent, ſeu juvenes ad ſcientiam rerum ſcitu neceſſariarum & utilium perducunt, *Profeſſores* appellantur.

Profeſſorem definimus, qualis eſſe debet, non vero qualis forſan hic, vel ille eſt, vel ſubinde contingit temporum infelicitate eſſe plurimos. Recolenda nimirum animo ſunt, quæ modo prolixe monuimus (*not.* §. 434.). Jus naturæ non poteſt effingi ad ſimilitudinem morum; ſed mores ex illo dijudicandi ſunt. Diſtinguuntur Scholæ pro diverſitate eorum, quæ in iisdem docentur: Sed ea differentia a conſtituto venit, & parum momenti ad præſens inſtitutum affert. Apud nos *Gymnaſia* medium quendam locum inter Scholas triviales, quæ vocantur, & Academias, ſeu Univerſitates obtinent. In iis adoleſcentes ad ſtudia academica præparantur, immo etiam docentur, quæ in academiis doceri ſolent, ut ideo quoque docentes in claſſe ſuperiori *Profeſſores* recte dicantur. Aſt in jure naturæ, ſeu publico univerſali, illius parte, neceſſe non eſt, ut Gymnaſia ſigillatim conſideremus.

§. 436.

In Rep. ſcholæ & academiæ conſtituendæ ſunt, & in iis conſtituendi Præceptores & Profeſſores, qui probe callent ea, quæ docere debent, dono docendi inſtructi ſunt, omnem in inſtitutione diligentiam adhibent ac moribus ſeſe diſcentibus commendant. Etenim in Rep. curæ eſſe debet Rectori civitatis, ut liberi eorum, qui in Rep. degunt, absque ſumtu parentibus oneroſo inſtituantur in iis, quorum notitia ipſis neceſſaria eſt atque utilis, in eo præſertim vitæ genere, quod ſequi debent, & ne illi quoque negligantur, quorum parentes ſumtus neceſſarios ſuppeditare nequeunt (§. 429.). Quamobrem cum ea, quæ a pueris, adoleſcentibus atque juvenibus diſcenda ſunt, doceantur in ſcholis, partim inferioribus, *De ſcholis & academiis & Præceptoribus atque Profeſſoribus conſtituendis.*

Digitized by Google

partim superioribus, sive Academiis (§. 433. 434.), qui vero in Scholis pueros & adolescentes instituunt, Præceptores, qui juvenes in Academiis, Professores sint (§. 432. 435.); in Rep. scholæ & academiæ sunt constituendæ, & in iis Præceptores ac Professores constituendi. *Quod erat primum.*

Enimvero qui alios docere debet, is ut norit ea, quæ debet docere, necesse est, quod per se patet. Quamobrem cum Præceptores & Professores docere debeant alios (§. 432-435.), Præceptores ac Professores constituendi sunt, qui ea, quæ docere debent, probe callent. *Quod erat secundum.*

Porro cum experientia constet, non omnes esse aptos ad docendum, qui ea, quæ docenda sunt, optime callent; qui docere debet alios, docendi quoque dono instructus esse debet. Unde porro patet, non constituendos esse Præceptores & Professores, nisi qui dono docendi instructi sunt. *Quod erat tertium.*

Quoniam discentes ideo instituendi sunt, ut discant ea, quæ discere debent, quod per se patet; Præceptores quoque & Professores, qui eos instituere debent (§. 432. 435.), nihil eorum omittere debent, quod facere possunt, ut animi discentium notitia eorum imbuantur, quæ ipsi docere, hi discere debent. Quamobrem cum diligentes sint, ubi hoc faciunt (§. 751. *part. 1. Phil. pract. univ.*); Præceptores & Professores constituendi sunt, quorum diligentia indefessa comperta est. *Quod erat quartum.*

Denique cum pueri, adolescentes ac juvenes manuducendi quoque sint ad virtutem & bonos mores (§. 395. 396.), exemplorum vero in eo maxima vis sit (§. 281. *& seqq. part. 2. Phil.*

Digitized by Google

Phil. pract. univ.) præterea constat autoritatem docentium vilescere apud discentes, si illi pravis aut inelegantibus moribus deformentur, eo ipso autem non exiguum obstaculum poni discentibus in discendo; Præceptores atque Professores constituendi sunt, qui moribus sese discentibus commendant. *Quod erat quintum.*

Scholæ & Academiæ sunt Seminaria Reip. in quibus educantur cives futuri in quovis vitæ genere. Quamobrem cum Reip. interest bonos habere cives; haud postrema cura esse debet Rectoris civitatis, ut in scholis & academiis pueri, adolescentes & juvenes rite instituantur. Patet quoque Præceptores & Professores utilissimam Reip. operam præstare & de ea optime mereri, si munere suo rite fungantur, in casu autem oppositio plurimum eidem dare damnum. Unde porro colligitur, maxima circumspectione opus esse, ut munus Præceptoris & Professoris non conferatur in indignos. Qua vero circumspectione hic utendum sit, in Politica doceri debet. Ipsa experientia docet, gentes incultas & barbaras esse, ubi desunt scholæ & academiæ, ac in pejus ruere omnia, si Præceptores & Professores munere suo non rite fungantur.

§. 437.

Curandum est, ut Præceptores & Professores in scholis & academiis munere suo rite fungantur. Constituendi enim sunt *perioris*, ut Præceptores ac Professores, qui rite callent ea, quæ docere *Præceptores* debent, dono docendi instructi sunt, omnem in institutione & *Professo-* diligentiam adhibent ac moribus sese discentibus commen- *res munere* dant (§. 436.). Quoniam vero minime sufficit eos esse *suo rite fun-* muneri, quo fungi debent, aptos; verum ut finis scholarum *gantur.* & academiarum obtineatur, necesse sit ut munere suo actu rite fungantur; curandum quoque est, ut singuli hoc faciant.

Recolenda hic sunt animo, quæ modo annotavimus (*not.* §. 436.).

Digitized by Google

§. 436.). Quomodo vero hac cura fungatur ſuperior, in Politica uberius explicandum. Hic enim ſaltem docetur, quænam ad imperium pertineant in Rep.

§. 438.

De incrementis ſcientiarum & artium promovenda.

In Rep. bene conſtituta curandum eſt, ut ſcientiæ ac artes, quantum datur, nova indies capiant incrementa. Quoniam homines obligantur diſtinctam rerum ſibi cognitu poſſibilium cognitionem (§. 220. *part. I. Jur. nat.*) & artem inveniendi, quantum datur, acquirere (§. 250. *part. I. Jur. nat.*), & cui amplior eſt facultatum, virium ac rerum uſus & auxilium alienum majus, is ad plura præſtanda obligatur aliis (§. 177. *part. I. Jur. nat.*), qui ſcientias & artes novis inventis locupletare, easque perficere valent, ad hoc faciendum obligantur. Quamobrem cum in Rep. ea inſtituenda ſint, quæ mediorum vicem præſtant officiis, ſeu obligationi naturali ſatisfacturis & illorum praxin facilitant (§. 396.); in Rep. bene conſtituta curandum eſt, ut ſcientiæ atque artes nova indies, quantum datur, capiant incrementa.

De toto genere humano bene merentur, qui ſcientiarum & artium incrementa promovent, præſertim ſi veritates detectas ad uſum vitæ transferant. Videbimus autem ſuo loco, ſicuti homo nullus ſibi ſoli vivit, ſed prodeſſe quoque debet aliis, ita quoque civitatem unam, aut, ſi mavis, populum unum aliis prodeſſe debere. Rector itaque civitatis non ſolum de civibus ſuis, ſed de aliis etiam gentibus bene meretur, ſi curet, ut ſcientiæ atque artes excolantur ac indies magis magisque perficiantur. Accedit, eas gentes, apud quas ſcientiæ & artes indies magis perficiuntur & novis inventis locupletantur, inter ceteras gloria emineant & auctoritatem apud eas habeant. Patebit autem ſuo loco, quænam ſit ea in re civitatis obligatio, quando de Jure gentium acturi ſumus.

§. 439.

Digitized by Google

§. 439.

Societates ſcientiarum dicuntur, quæ eo fine inſtituuntur, ut ſcientiæ ac artes perficiantur & novis inventis locupletentur. Vocantur etiam *Academiæ Scientiarum*. *Societas ſcientiarum quid ſit.*

Oſtendimus alibi, cum de jure & officiis eruditorum ageremus, eruditos conjunctis viribus rerum cognitionem ac ſcientiam promovere debere (§. 863. *part. 6. Jur. nat.*). Huic officio non rectius ſatisfieri poteſt, quam ſi ſocietates ſcientiarum inſtituantur: in hiſce enim conjunctis viribus tenditur ad communem finem (§. 1. *part. 7. Jur. nat.*). Ex iis autem, quæ de ſocietate in genere demonſtravimus c. 1. part. 7. deducenda ſunt ea, quæ ad ſocietates ſcientiarum ſpectant, habita ratione finis earundem, quippe ex quo obligationes & jura ſociorum metienda ſunt, non neglectis iis, de quibus ſpecialiter conventum eſt (§. 10. *part. 7. Jur. nat.*). Non probanda hic eſt coeca imitatio ſocietatum iſtiusmodi alibi inſtitutarum, cum etiam hic valeat pervulgatum iſtud, duos, cum faciunt idem, non facere idem. Imitatio rationalis eſſe debet (§. 208. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ad quam manu ducit theoria de ſocietate in genere modo laudata.

§. 440.

Quoniam in Rep. bene conſtituta curandum eſt, ut ſcientiæ ac artes, quantum datur, nova indies capiant incrementa (§. 438.), per ſocietates autem ſcientiarum ſcientiæ ac artes perficiuntur & novis indies inventis locupletentur (§. 439.); *in Rep. inſtituenda eſt ſocietas ſcientiarum.* Cum vero in civitate omnia referenda ſint ad finem civitatis (§. 4.); *opera* quoque *danda eſt, ut ſocietas ſcientiarum ea detegere ac perficere ſtudeat, quæ e re civitatis ſunt.* *De ſocietate ſcientiarum in Rep. inſtituenda.*

Officium boni civis eſt conferre ea pro virili, quæ ad bonum publicum promovendum conferre poteſt (§. 24.). Ea

Digitized by Google

obligatio non tollitur, quando quis fit membrum ſocietatis ſcientiarum, ſed potius augetur, cum publici boni promovendi cauſa publica autoritate ac ſumtu publico inſtituantur ſocietates ſcientiarum. Non ſufficit præclare mereri de ſcientiis atque artibus, ſed etiam præclare mereri tenentur membra ſocietatis de Rep. Quamvis in veritatibus indagandis non ſemper ratio haberi poſſit utilitatis, quippe quæ non ſemper prævideri poteſt; ſollicite tamen diſpiciendum, ut veritates inventæ ad uſum Reip. quovis modo aptentur, & ut ſocietas ſe utilem eidem præbeat, quantum poteſt, ſique prævidet, quænam veritates eidem utiles eſſe poſſint, in iis detegendis aſſiduam collocet operam. Minime verendum, ne præjudicium utilitatis obſtet progreſſui in veritate invenienda, & ne eodem veritates plurimæ, præſertim illæ, quæ non ſunt ad captum niſi paucorum, immo pauciſſimorum, tanquam ſteriles damnentur. Qui enim finem civitatis intime perſpicit, prouti eundem in anterioribus explicavimus, qui omnem obligationem naturalem emenſus eſt, quam in parte prima enodavimus, qui principium generale conſtituendæ Reip. paulo ante traditum (§. 395.) ad animum revocat, qui denique utilitatem rite æſtimare didicit, nec judicium de ea ſuum deproperat; is ſocietatem ſcientiarum intra arctiores limites minime coërcebit, quam par eſt. Nullum hic eſt judicium eorum, qui ea mentis perſpicacia deſtituuntur, ſine qua verum videri nequit. Nullibi magis peccatur, quam ubi de veritatum utilitate ſtatuendum, propterea quod judicium de ea nimis arduum atque difficile ac nimium tribuatur præjudiciis pro diverſitate perſonarum plurimum variantibus.

§. 441.

Finis ſocietatis ſcientiarum diſtinctius explicatur.

Quoniam *ſocietas ſcientiarum* eo fine inſtituitur, ut scientiæ atque artes perficiantur & novis inventis locupletentur (§. 439.); eadem *veritates tum per ſcripta publici juris facta, tum inter homines diverſa vitæ genera ſequentes diſperſas colligere,*

Digitized by Google

colligere, in rationes earum inquirere easdemque observationibus & experimentis comprobare, ad certitudinem perductas in ordinem redigere atque cum aliis connectere, ex iis, quæ inventa sunt, alias deducere ac omni diligentia errores & defectus in scientiis & artibus obvios corrigere ac supplere tenetur, quantum datur.

Tempus fallitur, si iis inveniendis opera navetur, quæ dudum ab aliis inventa fuerunt. Quamobrem qui animum ad veritatem inveniendam appellunt, nosse debent ea, quæ jam ab aliis inventa sunt: id quod etiam hunc usum præstat, ut alia detegere valeant, de quibus alias non cogitassent. Interest autem, ut verum a falso, certum ab incerto separetur, & ad hoc multum præsidii affert rationis & experientiæ connubium perpetuum. Errores corriguntur, si veritates in eorum locum substituantur, nec opus est, ut serra contentionis reciprocetur cum hominibus rixosis, quibus veritas parum curæ cordique est. Societas scientiarum veritatis amans & studiosa agere debet quod suum est, officiorum, quæ decent eruditos, tenax. Ceterum finem, cujus gratia instituitur, distincte explicare debuimus, ut suo loco appareat, quibusnam mediis idem obtineatur.

§. 442.

Præses societatis scientiarum dicitur is, cujus curæ demandatum est, ut omnia recte fiant in societate, consequenter cui imperium in societate delatum est (§. 194. *part. 7. Jur. nat.*). *Præses societatis scientiarum quidnam sit.*

Idem ergo est, quem in genere Rectorem societatis diximus (§. 218. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem quæ de Rectore societatis in genere demonstravimus (§. 224. *part. 7. Jur. nat.*), ea ad Præsidem societatis scientiarum facile applicantur, habita saltem ratione finis, qui eidem proprius est, nec neglecta differentia, quæ inter societatem intercedit, quæ ab imperante in civitate instituitur, & eam, quam socii sua sponte,

Digitized by Google

seu proprio motu per se contrahunt: Quæ nimirum sunt universitatis partes in societate privata, eadem sunt Rectoris civitatis in societate ab ipso instituta. Quemadmodum itaque in societate omnia determinanda sunt communi sociorum consensu, ita in societate scientiarum a Rectore civitatis instituta omnia determinanda sunt juxta voluntatem instituentis, a qua pendet, quantum juris in Præsidem scientiarum conferre velit. Quemadmodum in civitate imperium non uno modo conferri potest in superiorem; ita quoque idem ad illius similitudinem diversis modis conferri potest in Præsidem scientiarum. Sufficit itaque indicare fontes, unde haurienda est theoria societatis scientiarum, cum nobis permissum non sit in præsenti ea tradere ex instituto.

§. 443.

Qualis esse debeat Præses scientiarum.

Quoniam Præses societatis scientiarum curæ habere debet, ut omnia recte fiant in societate (§. 442.), societas vero veritates jam detectas colligere, in rationes earum inquirere easdemque observationibus & experimentis comprobare, ad certitudinem perductas in ordinem redigere, atque cum aliis connectere, ex iis, quæ inventæ sunt, alias deducere ac omni diligentia errores & defectus in scientiis & artibus obvios corrigere ac supplere tenetur, quantum datur (§. 441.), inprimis autem operam dare, ut ea detegat & perficere studeat, quæ e re civitatis sunt (§. 440.); *Præses scientiarum in omni scientiarum & artium genere probe versatus esse debet, aut ei adjungendi sunt Directores in diversis scientiis atque artibus excellentes.*

Quatenus eruditi conjunctis viribus rerum cognitionem ac Scientiam promovere debent (§. 863. *part. 6 Jur. nat.*); ipsa naturæ lege societas quædam inter ipsos constituta est (§. 1. *part. 7. Jur. nat.*), qualem ipsa natura inter homines omnes instituit (§. 142. *part. 7. Jur. nat.*). Et hinc intelligitur, quo

Digitized by Google

quo sensu admitti possit, dari *Remp. literariam.* Societas hæc regitur sola lege naturali, cum careat Præside, cui imperium in socios concessum. Unde ea observanda in eadem sunt, quæ de officiis atque jure eruditorum demonstravimus integro capite in parte septima Juris naturæ. Enimvero sicuti non omnes homines, tanquam membra societatis illius naturalis magnæ, quamdiu in statu naturali vivunt, officio suo satisfaciunt & unicuique jus suum tribuunt; ita quoque non omnes eruditi officii omnes partes adimplent, ut boni sint cives in Rep. literaria. Eadem igitur de causa instituendæ sunt societates scientiarum in Rep. qua de causa in civitatem coitur statu naturali relicto. Ac ideo porro in societate scientiarum in Rep. instituta rectius satisfieri potest officiis eruditorum & præcaveri, ne unus jus alterius violet, quam in vulgo sic dicta Rep. literaria, in qua proh dolor! haud raro valet proverbium Germanorum, quo quis dicitur eo perversior, quo doctior, je gelehrter, je verkehrter: fit ita, quod etiam Rector civitatis coërcere debeat perversos eruditorum mores & intra limites officii eosdem continere (§. 395.).

§. 444.

Societas scientiarum suas habere debet leges. Etenim quælibet societas suas habere debet leges (§. 46. *part* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem societas quoque scientiarum leges suas habere debet (§. 439.).

De necessitate legum in societate scientiarum.

Vide, quæ alias de necessitate legum in qualibet societate annotavimus (*not.* §. 46. *part.* 7. *Jur. nat.*).

§. 445.

Leges *societatis Statuta* ejusdem appellantur. In genere enim leges particulares universitati cuidam in specie præscriptæ *Statuta* vocari solent.

Statuta quid sit.

In civitate statuta distinguuntur a legibus non tam re, quam

Digitized by Google

nomine, cum utrisque definitio legis in genere competat (§. 131. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quatenus scilicet leges omnibus promiscue civibus feruntur, quodcunque tandem vitæ genus sequantur, statura vero universitati cuidam particulari propria sunt, quippe quorum ratio desumta est ex certo vitæ gegenere, aut ex aliis circumstantiis particularibus.

§. 446.

De materia statutorum societatis scientiarum.

Quoniam statuta societatis leges sunt, ad quas membra societatis actiones suas componere tenentur (§. 445.) leges autem in qualibet societate præscribunt media, quibus finis societatis obtinetur (§. 49. *part. 7. Jur. nat.*); *statuta* quoque *societatis scientiarum præscribere debent media, quibus finis ejusdem obtinetur.*

Probe hic perpendenda sunt, quæ in eam rem in genere alibi annotavimus (*not.* §. 49. *part. 7. Jur. nat.*).

§. 477.

De libertate philosophandi societati scientiarum concedenda.

Societati scientiarum concedenda est philosophandi libertas. Etenim societas scientiarum veritates ab aliis detectas colligere & ad certitudinem perducere debet, ac novas detegere (§. 441.). Quamobrem cogi nequit, ut aliorum de rebus philosophicis sententiam defendat tanquam veram, utut contrarium ipsi videatur; sed permittendum est, ut suam de iis sententiam publice proponat, sive ea receptis vulgo opinionibus conformis sit, sive contraria. Quoniam itaque liberas philosophandi consistit in permissione publice proponendi suam de rebus philosophicis sententiam (§. 151. *Disc. prælim.*); societati scientiarum concedenda est philosophandi libertas.

In societate scientiarum facilius præcaveri potest, ne libertas

Digitized by Google

tas philoſophandi vertatur in licentiam ſentiendi, ex qua damnum redundare poſſit in Remp. quatenus diſſeminantur opiniones religioni & bonis moribus, vel ſtatui civili adverſæ, cum ſuas habeat leges (§. 444.), quas ut ſtricte obſervent ſingula membra Præſes curæ habere debet (§. 442.), quippe cuſtos legum. Contradictorium eſt, committere alicui veri inquiſitionem atque inveſtigationem & eidem præſcribere, ut quædam ſine inquiſitione ſumat tanquam vera & ex iis deducat, quæ inde conſequuntur, iisdemque conformet, quæ ſtatuit. Diffiteri non poſſumus, promiſcuam libertatem philoſophandi ſua habere incommoda, & haud raro Reip. eſſe damnoſam. Sed talia vix metuenda ſunt, ſi libertas philoſophandi concedatur ſocietati ſcientiarum ſuis non modo legibus munitæ, verum etiam iſtiusmodi membris inſtructæ, quæ uſum ab abuſu ſeparare norunt, præſertim cum de omnibus communi ſociorum conſenſu ſtatuatur.

§. 448.

Præſidi curæ eſſe debet, ut concordia ſociorum conſervetur, diſcordiis vero locus non relinquatur. Etenim ſocii quilibet concordes eſſe debent (§. 136. *part.* 7. *Jur. nat.*). Ergo etiam ſocii in ſocietate ſcientiarum concordes eſſe debent. Et quoniam Præſes ſcientiarum curæ habere debet, ut omnia recte fiant in ſocietate (§. 442.); conſequenter etiam ut ſocii ſint concordes *per demonſtrata*; curæ omnino eidem eſſe debet, ut ſociorum concordia conſervetur. *Quod erat unum.* *De concordia ſociorum conſervanda.*

Enimvero quoniam concordes eſſe nequeunt ſocii, ſi diſcordiæ relinquatur locus (§. 132. 133. *part.* 7. *Jur. nat.*), præſidi autem curæ eſſe debet, ut concordia ſociorum conſervetur, *per demonſtrata n.* 1. idem quoque diſcordiis locum nullum relinquere debet. *Quod erat alterum.*

Leges

Digitized by Google

Leges societati præscriptæ tendunt etiam ad concordiam sociorum conservandam & discordiis omnem aditum in societatem præcludendum. Præses societatum custos legum est, nec permittere debet, ut aliquis sociorum committat eidem adversa (§. 442. 446.). Præses itaque permittere non debet, quæ discordiis in societate locum faciunt.

§. 449.

De cura societatis scientiarum circa oeconomiam ruralem, artes manuarias & opificia.

Societas scientiarum inquirere debet in ea, quæ ad oeconomiam ruralem, veluti rem agrariam, hortensem & pecuariam pertinent, nec non ad artes manuarias & opificia, præsertim ea, quæ ad cognitionem naturæ aliquid conferunt & ope Matheseos perfici possunt. Societas enim scientiarum inquirere debet in omnes veritates inter homines diversa vitæ genera sequentes dispersas (§ 441.) operamque dare, ut ea detegat atque perficiat, quæ e re civitatis sunt (§. 440.). Quamobrem inquirere quoque debet in ea, quæ ad oeconomiam ruralem, veluti rem agrariam, hortensem & pecuariam, nec non ad artes manuarias & opificia pertinent. *Quod erat unum.*

Et quoniam cognitio naturæ & cultus Matheseos societati scientiarum curæ esse debet (§. 439.), ad naturæ autem cognitionem non parum confert notitia eorum, quæ in re rustica & variis opificiis atque artibus manuariis obvia sunt, prouti a posteriori abunde constat, nec minus notum est, artes manuarias & varia in re rustica ope Matheseos perfici posse; societas scientiarum utique in ea potissimum inquirere debet, quæ ad cognitionem naturæ aliquid conferre, vel etiam ope Matheseos perfici possunt. *Quod erat alterum.*

Quamvis unicuique sociorum permittendum sit, ut in eo genere veritatum ingenii sui vires exerceat, ad quas amplificandas

Digitized by Google

candas & propagandas maxime aptus est, cum nihil faciendum sit invita Minerva; propterea tamen negligenda non sunt, quæ manifestam in Rep. utilitatem spondent (§. 440.). Eligenda nimirum quoque sunt membra, quæ in hoc genere veritatum operam suam non inutiliter collocant. Physica & Mathesis non in sola speculatione subsistere debet; sed reddenda quoque est generi humano utilis. Omnis enim theoria propter praxin est, etsi non semper immediate ad eandem tendat. Qui alto supercilio contemnunt ea, quæ vulgo prodesse videntur, tanquam vulgaria, abjecta & excelsis ingeniis minus digna; illi vano quodam fastu ducuntur, ut ad pompam magis, quam ad utilitatem generis humani philosophari malint: in quo sane non uno modo peccant, quod facile pervidere est iis, qui in Jure naturæ versati sunt.

§. 450.

Quoniam societas scientiarum inquirere debet in ea quæ ad omnem rem rusticam, ad artes manuarias & opificia pertinent (§. 449.); *historiam accuratam omnis rei rusticæ, rei rusticæ, omnium artium & opificiorum conscribere & in rationes singulorum, artium & quæ ubivis occurrunt, sollicite inquirere & quanam ulterius perfici opificiorum possint disquirere debet* (§. 439.).

De historia scientia

Dudum agnovit *Robertus Boyle*, quantum adjumenti afferant ad naturæ cognitionem notiones ex re rustica, & artium atque opificiorum officinis desumtæ & nostram ea de re sententiam diximus alibi in præfatione ad opus quoddam de Venatione idiomate Germanico conscriptum ab *Henrico Wilhelmo Doebelio*. Notiones autem foecundas inde derivare non licet, nisi accurata prostet singulorum in re rustica & omni artium ac opificiorum genere descriptio. Insunt singulis notiones generales, quæ ab eo, qui sufficiente acumine utitur, abstrahi & instar notionum communium in veritate investiganda adhiberi possunt. Historiam huic usui aptam condere

Digitized by Google

non est cujusvis, nec unius hominis. Artes perficere atque opificia absque istiusmodi historia, immo scientiam earundem tradere ea nondum supposita minime licet. Artem perficere velle nisi penitus perspectam ausus temerarius est. Non desunt exempla, quæ in medium adduci poterant, nisi famæ virorum in suo genere alias optime meritorum parcendum esset (§. 893. *part. 6. Jur. nat.*). Quodsi mihi liceret esse adeo felici, ut ea, quæ de arte inveniendi animo concepi, in ordinem redigere possem; modum derivandi notiones foecundas ex iis, quæ vulgo obvia sunt, expositurus & exemplis confirmaturus essem. Sed hæc a providentia divina dependent.

§. 451.

De iis, quæ ad prudentiam civilem spectant.

Societas scientiarum inquirere debet in omnia, quæ ad civitatem rite constituendam, gubernandam, conservandam & perficiendam requiruntur. Omnes enim artes, consequenter etiam liberales (§. 871. *part. 6. Jur. nat.*), quas inter principem quendam locum obtinet ars Remp. rite constituendi, gubernandi & conservandi, perficere debet, & novis inventis locupletare (§. 439.), ac inprimis operam dare, ut ea detegantur ac perficiantur, quæ e re civitatis sunt (§. 440.). Dubitandum igitur non est, quin etiam ad societatem scientiarum pertineat inquirere in ea omnia, quæ ad eam rite constituendam, gubernandam, conservandam atque perficiendam requiruntur.

Nostram de theoria negotiorum publicorum sententiam diximus in Horis subsecivis Marburgensibus. Et per ea, quæ ibidem fusius exposita sunt, propositionis præsentis veritas clarius elucescit. Quantum defectu istiusmodi theoriæ peccetur, tum quod qui publicis negotiis præsunt non ea pollent mentis vi, qua ad prolixas discussiones agendorum opus est, aut propter multitudinem negotiorum istiusmodi discussionibus vacare

Digitized by Google

care nequeunt, tum quod plerumque alios imitentur, non vero ſemper ſatis feliciter, niſi ante imitanda ad rationis trutinam rite exigantur. Non curamus dubia, quæ forſan moveri poterant. Neque enim alia eſſe poterunt, quam quæ parit ignorantia modi, quo ſocietas ſcientiarum huic labori par eſſe poſſit. Eum vero exponere non eſt hujus loci, quamvis nonnulla jam prævidere detur per ea, quæ de artibus & opificiis perficiendis modo tradidimus (§. 450.).

§. 452.

De ſocietatibus artium.

Societates artium dicuntur, quæ eo fine inſtituuntur, ut educentur artifices in arte, quam profitentur, exercenda excellentes. Vocantur etiam *Academicæ artium.* Qui igitur *in ſocietatibus vel Academiis artium educati ſunt artifices, tirones in urbibus optime inſtituere poſſunt.* Iſtiusmodi Academiæ ſunt *Academia Pictorum*, in qua ars pingendi exercetur: *Academia Architectorum*, in qua architectura docetur: *Academia Muſicorum*, in qua Muſica docetur.

Quamvis artium perficiendarum curam ad ſocietatem ſcientiarum retulerimus (§. 449. 450.); diverſa tamen ſunt ſocietatis ſcientiarum & ſocietatis ſive academiæ artium munia. Illa enim acquieſcit in hiſtoria atque ſcientia artium (§. 450.); hæc vero praxin artis docet. Unde mutuis conſiliis ſe invicem juvare & ſibi mutuo prodeſſe poſſunt.

§. 453.

Quod in Rep. inſtituenda.

Quoniam in academiis artium educantur artifices excellentes, qui tirones in urbibus optime inſtituere poſſunt (§. 452.), intereſt autem Reip. ut artes rite exerceantur, quod ſumere licet, & ipſa obligatio naturalis ad laborem ſuum recte perficiendum inſinuat (§. 522. *part. I. Jur. nat.*);

Digitized by Google

ideo *in Rep. bene constituta instituenda quoque sunt societates, seu academiæ artium.*

Rector civitatis curæ etiam habere debet ea, quæ ad vitam commode atque jucunde transigendam requiruntur (§. 420.). Quamobrem absonum videri minime debet, si illius cura etiam extendatur ad educandum artifices, qui operam suam huc conferre valent. Quemadmodum vero in hoc universo omnia inter se admirando prorsus modo connexa sunt; ita quoque scientiæ atque artes fororio quodam vinculo cohærent, ut mutuis auxiliis indigeant ad sui perfectionem, nec ea, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem faciunt, ita a se invicem separata sunt, ut non haud raro a se invicem dependeant. Otiosus spectator est rerum humanarum, qui dependentiam istam nondum animadvertit. Absit itaque ut tibi persuadeas, artibus carere posse Remp. quæ tantum ad jucunditatem facere videntur, vel etiam iis, quæ commoditati consulunt ad vitam beatam minime facienti. Istiusmodi judicia, etsi bonis animis sese subinde commendent, qui vanitatis spirant contemtum, deproperantur tamen ab hominibus, qui hebetiores sunt, quam ut rerum omnium nexum penitus perspicere valeant. Sed demus exemplum, ut illorum hominum, quorum laudanda est voluntas, sed acumen deficit, ἀβλεψίαν quodammodo juvemus. Sine arte pictoria rite exculta artem sculptorum procul abesse a perfectione sua patet. Ecquis vero est, qui nesciat, quantum interfit in omni Historia naturali, in philosophia experimentali, in astronomia, in architectura, in anatomia, in mechanica practica aliisque multis disciplinis, ut tabulis æneis accurate incidantur, quæ, cum oculis subjici deberent, subjici autem non possint, accurata imagine repræsentanda veniunt. Rerum autem istarum ideæ animo infiguntur tum in scientiæ, tum in vitæ usum.

§. 454.

De cura ut opifices la-

Rectori civitatis curæ esse debet, ut omnes opifices labore suo

Digitized by Google

ſuo rite fungantur. Etenim naturaliter opifices omnes obligantur laborem ſuum recte perficere (§. 522. *part. 1. Jur. nat.*), eodemque ita perfungi, ut finem per eum intentum ex aſſe conſequantur (§. 523. *part. 1. Jur.*). Quamobrem cum Rector civitatis operam dare debeat, ut obligationi naturali ſatisfaciant cives (§. 395.); eidem quoque curæ eſſe debet, ut opifices labore ſuo rite fungantur. *labore ſuo rite fungantur.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Rectori civitatis curæ eſſe debet, ut res artificiales in uſum civium multiplicentur (§. 421.), & nemo non ultro concedet, eas debere eſſe ad uſum, cui deſtinantur, maxime aptas. Quamobrem cum opifices parent res artificiales, & eædem ad uſum, cui deſtinantur, maxime aptæ deprehendantur, ſiquidem illi laborem ſuum recte perficere eodemque ita perfungi ſtudeant, ut finem per eum intentum ex aſſe conſequantur; rectori civitatis curæ etiam eſſe debet, ut omnes opifices labore ſuo rite perfungantur.

Non ignotæ ſunt querelæ civium, ſi opifices deſiderentur, qui labore ſuo rite perfungi neſciunt, aut per negligentiam, vel malitiam nolunt. Neque ignota ſunt damna, quæ incurrunt cives, ſiquidem opifices res artificiales non rite faciant. Talia cum obvia ſint, prolixe recenſeri non eſt opus; ſufficit attentionem ad ea excitaſſe.

§. 455.

Quoniam Rectori civitatis curæ eſſe debet, ut omnes opifices labore ſuo rite fungantur (§. 454.), nemo autem labore ſuo rite fungi poteſt, niſi qui novit, quomodo eodem rite fungi debeat & habitum eodem rite fungendi ſibi comparavit, quod per ſe patet; *neceſſe eſt ut ſint opifices ex-* *Cura iſta porro expenditur.*

Digitized by Google

cellentes, qui alios instituere possunt & curandum ut fideliter instituant, nec in numerum eorundem recipiantur, nisi apti, nec ferendum, ut in opificio quis desiderari patiatur industriam suam.

Paucis hic multa complectuntur sive opificia in genere spectes, sive in specie, & in Politica latum campum aperiunt, ubi de mediis dispiciendum, quibus illa obtinentur.

§. 456.

De cura superioris circa virtutem.

Curæ esse debet Rectori civitatis, ut subditi sint virtute dediti, & ne a virtutis tramite ad vitia deflectant, & qui deflectunt a vitiis revocentur & in viam rectam reducantur. Etenim in civitatem quoque ideo coëunt homines, ut sint felices (§. 4.). Aſt sine virtute nemo felix esse, nec felicitas a virtute sejungi potest (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vitio vero deditus felix esse nequit (§. 403. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Rectori itaque civitatis curæ esse debet, ut subditi sint virtute dediti & ne a virtutis tramite ad vitia deflectant, qui vero deflectunt, ab iisdem in viam rectam revocentur.

Ostenditur etiam hoc modo. In Rep. constituenda opera danda est, ut qui ad legem naturæ servandam proni sunt juventur, nec ab aliis impediantur, ceteri autem vi adigantur, ut minimum actus externos ad legem naturæ componant (§. 395.). Quamobrem cum in habitu actiones suas legi naturali conformiter dirigendi actiones suas virtus (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), in habitu contrario vitium consistat (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & continuo committendo actiones legi naturæ conformes virtus (§. 324. *part. 1. Phil. pract. univ.*), continuo autem committendo actiones legi naturæ contrarias vitium conservetur & augeatur (§. 325. *part. 1. Phil. pract. univ.*); Rectori civitatis curæ esse debet, ut subditi sint virtuti dediti & ne a virtutis tramite

Digitized by Google

mite ad vitia deflectant, & qui deflectunt a vitiis revocentur & in viam rectam reducantur.

Non deerunt forſan, qui exiſtimaturi ſunt, quod in Rep. ratio ſaltem habenda ſit honeſtatis externæ, ut ſcilicet actus ſubditorum externi legi naturæ conveniant, actionum vero internarum, quæ ad virtutem requiruntur (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*), minime. Enimvero decipit eos error, quod vident, in Rep. actus ſaltem externos puniri, non vero cogitationes. Alia vero quæſtio eſt, quinam actus in Rep. ſint puniendi; alia vero, quibusnam ſubditi adſuefieri debeant. Accedit quod honeſtas externa non ſufficiat ad arcendas injurias omnes, cum interna honeſtate carentes non deſiſtant a machinationibus occultis & aliis clam nocere non vereantur. Virtute vero non certius contra injurias quasvis præſidium eſt. Quodſi fieri poſſet, ut ſubditi omnes efficerentur virtuoſi, curam omnem honeſtatis externæ abjiceret Rector civitatis, cum ea virtutem ſua ſponte comitetur: aſt quoniam illud fieri nequit, honeſtas ſaltem externa promovetur, quantum datur.

§. 457.

De pietate promovenda.

Inprimis Rectori civitatis curæ eſſe debet, ut ſubditi ſint pii. Etenim Rectori civitatis curæ eſſe debet, ut ſubditi ſint virtuti dediti, nec ab ejus tramite ad vitia deflectant (§. 456.). Enimvero ſi pietas cum virtute conjungitur, ea facilius acquiritur & conſervatur (§. 344. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem Rectori civitatis inprimis curæ eſſe debet, ut ſubditi ſint pii.

Qui pietatem cum virtute conjungit, actiones legi naturæ conformes committit, difformes omittit, quia Deus illas committi, has omitti vult (§. 341. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ſola voluntas Dei motivum ſufficiens eſt actiones alias committendi alias omittendi (§. 887. *Pſych. empir.*), ſi vel maxime quis non capiat actionum intrinſecam bonitatem & malitiam, quæ alias motiva

Digitized by Google

motiva agendi & non agendi sunt (§. 337. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Et quoniam Deus in omnibus actionibus colendus (§. 1124. *part. 1. Jur. nat.*), hoc autem facit, qui pius est (§. 1127. *part. 1. Jur. nat.*), virtus omnis absque pietate imperfecta est. Immo qui pius non est, ei facile persuadet utilitas, ut a virtutis tramite deflectat.

§. 458.

De cultu divino promovendo.

Rectori civitatis curæ esse debet, ut subditi Deum colant. Etenim homines obligantur per ipsam essentiam atque naturam suam colere Deum (§. 1122. *part. 1. Jur. nat.*) & ut Deum colant præceptum legis naturalis est (§. 1123. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum Rector civitatis operam dare debeat, ut subditi actiones suas ad legem naturæ componant (§. 395.); eidem quoque curæ esse debet, ut Deum colant.

Ostenditur etiam hoc modo. Rectori civitatis curæ esse debet, ut subditi sint pii (§. 457.). Quamobrem cum pius actiones suas determinet vi motivorum ab attributis divinis & providentia divina desumtorum (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter edat actiones, quas editurus non esset, nisi pro certo haberet dari Deum, Deum autem colit, qui certas edit actiones, quia agnoscit Deum esse, eas non editurus, nisi eundem agnosceret (§. 511. *part. 2. Theol. nat.*); Rectori civitatis curæ esse debet, ut subditi Deum colant.

Poterat idem probari adhuc aliter; sed opus non est, ut simus prolixiores in re satis manifesta. Pertinent ad cultum divinum officia omnia erga Deum (§. 1234. *part. 1. Jur. nat.*). Quodsi ergo Rector civitatis providere debet, ut Deus colatur; nihil eorum omittere tenetur, quæ conferre potest ad hoc, ut subditi officiis erga Deum satisfaciant.

§. 459.

Digitized by Google

§. 459.

Doctores publici dicuntur, qui publica autoritate constituuntur, ut eos, qui in civitate degunt, de Deo & voluntate ejus, de virtute ac vitiis & cultu divino instituant, ad virtutem incitent & a vitiis revocent. Quoniam Rectori civitatis curæ esse debet, ut subditi sint virtuti dediti, nec ab jus tramite ad vitia deflectant, & qui deflectunt, eos ab iisdem in viam rectam revocentur (§. 456.), ut sint pii (§. 457.), & Deum colant (§. 458.); consequenter officiis erga Deum satisfaciant (§. 1234. *part. 1. Jur. nat.*), *Doctores publici in Rep. sunt instituendi.* *De Doctoribus publicis.*

Doctores publicos hic vocamus nomine generali, qui populum publice docent & ea curant, quæ ad cultum divinum spectant. Modus colendi Deum religio vocatur (§. 512. *part. 2. Theol. nat.*). Cum gentes omnes non eodem modo colant Deum; religio non eadem est apud omnes. Diversitas religionum diversa quoque peperit nomina eorum, quibus cultus divini cura commissa est. Ita apud Protestantes *Ministri Ecclesiæ* dicuntur. Vocantur etiam subinde *sacerdotes*, quamvis non satis apte, certe alio sensu, quam apud Catholicos; nonnunquam etiam *Concionatores*. Sed in Jure naturæ, ubi de iis potissimum agitur, quæ ex principiis rationis deducuntur, ea attendenda non sunt, quæ ex alio fonte derivantur & denominationem suam inde accipiunt.

§. 460.

Quoniam *doctores publici* populum instituere debent de Deo & voluntate ejus, de virtute colenda ac vitiis fugiendis atque cultu divino, eundemque ad virtutem incitare & a vitio revocare (§. 459.); *necesse est, ut notitia Dei & voluntatis ejusdem, & tam eorum, quæ ad theoriam, quam praxin* *Quales illi esse debeant.*

Digitized by Google

virtutum & vitiorum, omnemque cultum divinum pertinent, sint instructi & ad docendum apti. Quoniam vero alios exemplo noſtro virtutes docere & ad earum ſtudium incitare debemus (§. 639. *part. 1. Jur. nat.*), exempla bona aliis præbentes, mala vero non prodentes (§. 930. *part. 1. Jur. nat.*), inprimis etiam exemplum Deum rite colendi (§. 1242. *part. 1. Jur. nat.*), exemplorum etiam magna vis eſt (§. 299. *& ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*), præſertim ſi præbeantur ab iis, qui alios docere debent, ac inprimis penes plebem imperitam, quod indies experimur; *doctores publici in virtutis quolibet genere ac cultu divino prater alios excellere debent.*

Si in religione naturali ſubſiſtamus, quemadmodum in Jure naturæ fieri debet, quod non progreditur ultra ea, quæ beneficio rationis cognoſcuntur, ex iis, in quibus doctor publicus populum inſtituere debet, patet, eum in Theologia naturali, in Jure naturæ, in philoſophia morali & civili, ſeu Ethica atque Politica, & in Hiſtoria naturali & Phyſica, quatenus ad cognitionem Dei a poſteriori acquirendum facit, verſatum eſſe debere. Et quia Theologia inprimis naturalis ſupponit Ontologiam, Pſychologiam & Coſmologiam generalem, Philoſophia autem moralis Ontologiam & inprimis Pſychologiam empiricam; eundem quoque Ontologiæ, Cosmologiæ & Pſychologiæ empiricæ non imperitum eſſe debere, ut vero in addiſcendis ſcientiis iſtis inoffenſo pede progrediatur, & facultatibus cognoſcendi rite utatur, Logicæ quoque & Matheſi puræ methodo veterum pertractatæ operam aſſiduam navare. Religio naturalis a revelata ſeparari nequit. Quamobrem ſi vel maxime hæc in civitate introducta; doctores tamen publici omnibus iſtis ſcientiis operam dare debent, nec ad Theologiam revelatam accedere, niſi iſtis præmiſſis. Atque hinc intelligitur, ex quibusnam judicium fieri poſſit, num quis ad munus doctoris publici obeundum ſit aptus, ſi a religione revelata diſcedas, quæ præterea alia adhuc requirit iſtis ſuper-

Digitized by Google

superaddenda, sed a foro nostro aliena. Per se autem patet, nobis hic non esse sermonem nisi de iis, quorum notitia imbutus esse debet animus doctoris publici, quæ tamen omnem aptitudinem nondum absolvit. Cum populum docere debeat & ad virtutis studium, vitiorum fugam incitare; non destitui debet iis dotibus, quæ ad docendum requiruntur, tam naturalibus, quam exercitio acquisitis: qua de causa arte quoque oratoria carere nequit. Et quatenus exemplo quoque populum docere debet agenda & non agenda ac modum Deum sincere colendi; ad aptitudinem omnino pertinet, probis moribus ac pietate esse conspicuum. Non sine ratione disertius dicere libuit, quæ propositio præsens in se continet. Ad ea enim non modo animum attendere debent, qui ad munus doctoris publici sese præparant; verum etiam illi, quibus demandata est cura constituendi Professores. Quodsi Professores desiderentur, qui ea tradere rite valent, quæ ad doctoris publici munus adspiranti cognitu necessaria sunt; fieri vix poterit, ut Resp. habeat doctores publicos, qui munere suo rite fungantur. Caret igitur etiam fructu, quem ab iis sperare poterat.

§. 461.

Templa dicuntur ædificia eo fine extructa, ut in iis conventus cultus divini gratia celebrentur. Dicuntur etiam *Templum quid sit. Ædes sacræ*, vel *Ædes Dei*; idiomate vernaculo Kirchen.

Apud Romanos adjiciebantur nomina Deorum, quibus ædes istæ erant dicatæ, ut ædes Jovis, ædes Mercurii, ædes concordiæ: templum vero sine adjectione dicebatur ædificium sacris usibus destinatum.

§. 462.

Quoniam homines natura obligantur ad conventus cultus divini gratia celebrandos (§. 1251. *part. 1. Jur. nat.*), in civitate vero cura etiam habenda, ut Deus colatur (§. *De templis in Rep. constituenda.* 458.);

Digitized by Google

458.); eo quoque fine extruenda ſunt ædificia, ut in iis conventus cultus divini gratia celebrentur, conſequenter cum hæc ædificia templa ſint (§. 461.), *in Rep. templa ſunt condenda.*

Sunt qui templorum extructionem ad ſuperſtitionem referunt, quaſi in ædibus privatis conventus cultus divini gratia celebrari poſſint. Atque nullus dubito fore, ut iidem exiſtiment, abſurdum eſſe, ut templorum in Rep. exſtructio ad Jus naturæ referatur. Enimvero perpendant velim, nos eorum extruendorum neceſſitatem non aliunde, quam ex principiis Juris naturæ deduxiſſe, quæ ipſimet in dubium vocare minime poſſunt. Quod vero ex indubiis Juris naturæ principiis neceſſaria conſequentia deducitur, id utique Juris naturæ eſt.

§. 463.

Quod in iis munere ſuo fungi debeant doctores publici.

Doctores publici munere ſuo fungi debent in templis. Etenim in templis celebrantur conventus cultus divini gratia (§. 461.). Enimvero in his conventibus docendi ſunt qui conveniunt, quinam ſit Deus, quænam ſit ejus de actionibus noſtris determinandis voluntas, quomodo ſit colendus, & adhortandi, ut Deum colant, quæque his gemina ſunt (§. 1241. 1252. *part. 1 Jur. nat.*). Quamobrem cum hoc munus demandatum ſit doctoribus publicis (§. 459.); doctores publici munere ſuo fungi debent in templis.

Conſtituuutur doctores publici populi inſtituendi cauſa (§. 459.), & templa conduntur, ut cultus divini gratia, cujus illa inſtitutio pars haud poſtrema eſt (§. 1241. *part. 1. Jur. nat.*), convenire poſſit populus. In Rep. igitur conſtituuntur doctores publici, ut in templis populum doceant, & in iis cultus divini cauſa convenire debeat populus. Ita ſane obtinetur, ut unus multis inſtruendis ſufficiat, & vel omnes, qui in eodem loco habitant, vel certe multi ſimul cultui Dei externo vacare poſſint.

§. 464.

Digitized by Google

§. 464.

Quoniam doctores publici munere ſuo fungi debent in templis (§. 463.), *officio eorum parum convenit in ædibus ſuis privatis conventus privatos inſtituere cultus divini cauſa*, conſequenter *Rector civitatis id ferre non tenetur.* *De conventiculis privatis in ædibus doctorum publicorum.*

Turbant ordinem Reip. qui conventus privatos inſtituunt cultus divini cauſa, qui celebrari debent in templis ex conſtitutione Rectoris civitatis, & ipſimet ſi hoc faciant doctores publici munus ſuum ſuſpectum reddunt populo, vel eum ſuperſtitioſum efficiunt, quaſi cultus iſtiusmodi privatus melior ſit cultu publico. Pietatis pompoſæ cultores conventicula privata vel cultui divino publico præferunt, vel eidem jungunt, ut aliis videantur ſanctiores. Aſt cum inde plurima mala in Remp. redundent, in Rep. bene conſtituta recte non tolerantur. Nihil vero abſurdius cogitari poteſt, quam ſi doctores publici, qui in templis populum inſtituere debent, & quibus tempus abunde ſufficit, ut quæ docenda ſunt ipſum doceant, in contemtum muneris ſui conventiculis privatis delectentur. Sed quidni ab initio hominibus bonæ mentis perſuadet inſcitia, quod deinceps alii vel coeco impetu, vel ob rationes a veritate alienas imitantur?

§. 465.

Templa ita extruenda ſunt, ut ſint cultui divino apta. Conduntur enim eo fine, ut in iis conventus cultus divini gratia celebrentur (§. 461.). Quamobrem cum neceſſe ſit, ut qui in iis conveniunt cultui divino commode vacare poſſint; ita extruenda ſunt, ut cultui divino apta ſint. *De figura templorum.*

Ædificium recte extructum dici nequit, niſi fini, cujus cauſa extruitur, ſit aptum. Quamobrem nec templum recte extructum dici poterit, niſi aptum ſit fini, cujus cauſa extruitur, cultui nimirum divino (§. 461.). Lex naturæ nos obligat

Digitized by Google

ligat ad actionum omnium rectitudinem (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), immo etiam ut recte laborem noſtrum perficiamus (§. 522. *part. 1. Jur. nat.*), ac ideo operam demus, ut ne res artificiales, quarum in numero templa ſunt, ſua careant perfectione (§. 525. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter ſingula in iisdem diſtinguenda determinentur per finem, cujus gratia fiunt (§. 524. *part. 1. Jur. nat.*). Nihil igitur hic præcipitur, quod ſit a principiis Juris naturalis alienum, etſi hoc minime videant, qui nexum veritatum ad Juris ſcientiam pertinentium minime perſpexerunt. Architecti vero eſt ex hoc fine deducere, quomodo templa extruenda ſint, ut pateat ſtructuræ a ſtructura aliorum ædificiorum differentia. Et quid conveniat, ad prudentiam civilem pertinet.

§. 466.

Dies feſti quinam ſint.

Dies feſti dicuntur, qui cultui divino publico deſtinantur.

Ita in Rep. Hebræorum Moſes diem ſeptimum hebdomadis cultui divino deſtinaverat, qui dicebatur *ſabbathum*. Unde hodienum dies iſte, qui *Saturni dies* dici ſolet, etiam *dies Sabbathi* appellatur. Apud Chriſtianos dies primis hebdomadis, qui *dies Solis* vocatur, cultui divino publico dicatus, ac ideo *Dies* quoque *Dominica*, vel ſimpliciter *Dominica* dicitur. Fuere apud Judæos feſti dies etiam alii, qui *Feſtorum* nomine inſigniuntur, ob rationes peculiares inſtituti, quales etiam apud nos celebrantur.

§. 467.

Quod ſint in Rep. inſtituendi.

In Rep. inſtituendi ſunt dies feſti. Etenim ipſa lege naturali homines obligantur conventus cultus divini gratia celebrare (§. 1251. *part. 1. Jur. nat.*), ac eorum cauſa (§. 461.) condenda ſunt in Rep. templa (§. 462.) & doctores publici conſtituendi (§. 459.), qui munere ſuo in iisdem fungun-

Digitized by Google

fungúntur (§. 463.). Quamobrem necesse est, ut certi determinentur dies, in quibus cultui divino publico vacandum, consequenter cum dies cultui divino publico destinati sint dies festi (§. 466.); dies festi in Rep. sunt instituendi.

Patet itaque juris naturalis esse, ut certi dies cultui divino destinentur, etsi ratio naturalis nulla dari possit, cur dies præcise septimus, vel ex septem unus illi sit dicandus. Ideo Sabbathum dici potest juris naturalis, quatenus est dies cultui divino dicatus, non vero quatenus dies est præcise septimus. Et ea de causa in locum diei septimi a Christianis surrogari potuit dies primus hebdomadis concursum cum Judæis evitaturis, ut libertate tam naturali, quam christiana usi ipso facto comprobarent, se lege Mosaica non teneri: id quod Ecclesiæ quoque placuit in celebrando Paschate. Quodsi Sabbathum esset juris naturalis, ob immutabilitatem hujus juris (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*) in ejus locum surrogare non licuisset diem primum hebdomadis, seu diem solis. Non est quod excipias, diebus festis non esse locum nisi in Rep. seu in statu civili, consequenter eos esse non posse juris naturalis, cum status civilis non a natura sit institutus, sed demum hominum facto introductus (§. 4.). Etenim in statu naturali non modo Paterfamilias in domo suo dies festos instituere potuit sed & debuit; verum etiam plures patresfamilias in ædibus vicinis habitantes inter se convenire possunt, quod cultus divini causa convenire velint, ac ideo eidem certos dies destinare. Eo enim ducit obligatio naturalis ad celebrandos conventus cultus divini gratia (§. 1251. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 468.

In diebus festis a labore consueto & negotiis ordinariis vacare debemus, nisi qua sine neglectu officiorum naturalium differri non possunt. Etenim dies festi cultui divino publico destinantur (§. 466.), consequenter in iis instituendi sumus de Deo *dum.*

An in diebus festis omni labore sit vacandum.

Digitized by Google

Deo & voluntate ejus, de actionum noſtrarum eidem conveniente determinatione & modo eum colendi, adhortandi etiam ſumus, ut Deum rite colamus in omnibus noſtris actionibus, virtuti ſtudeamus, vitia fugiamus (§. 1241. 1124. *part. I. Jur. nat.* & §. 459. 463. *h.*). Quamobrem cum eorum meminiſſe debeamus, quando occaſio agendi offertur, & voluntatem efficere conſtantem ac perpetuam ea agendi, quæ docti ſumus; neceſſe omnino eſt, ut ea ſtatim animo recolamus, eadem perpendamus, & ad nos applicemus, ne cogitationes aliæ animum ab iis avertant. Quoniam itaque hoc fieri nequit, niſi in diebus cultui divino deſtinatis a labore conſueto & negotiis ordinariis vacemus, quod per ſe patet; in diebus feſtis a labore conſueto & negotiis ordinariis vacare debemus. *Quod erat unum.*

Enimvero cum officia naturalia lege naturali præſcribantur (§. 225. *part. I. Phil. pract. univ.*), quæ vero ab hac lege venit obligatio neceſſaria & immutabilis ſit (§. 142. *part. I. Phil. pract. univ.*); officia quoque naturalia negligere non licet. Quamobrem cum ea, quæ nunc fieri debent nec differri poſſunt, utique præferenda ſint iis, quæ alio quoque tempore fieri poſſunt, eorum autem meditatio, quæ in conventibus publicis edocti ſumus, in aliud quoque tempus differri poſſit, immo cultus divinus non unice reſtringatur ad diem feſtum, ſed hominis tota vita cultus divinus eſſe debeat (§. 1253. *part. I. Jur. nat.*); in diebus feſtis non illicita ſunt negotia ordinaria, quæ ſine neglectu officiorum naturalium differri minime poſſunt. *Quod erat alterum.*

Rigor legis moſaicæ de Sabbatho non eſt juris naturalis, quemadmodum ex demonſtratione partis primæ propoſitionis præſentis liquet: hoc tamen non obſtante tacitam ea lex habet

Digitized by Google

bet exceptionem, quam in parte altera expreſſimus, ipſo Chriſto interprete, cum die Sabbathi hydropicum curaret. Quousque vero eundem extendere debeat Rector civitatis, prudentiæ ipſius relictum (§. 456. *& ſeqq.*).

§. 469.

Dies feſti differunt pro diverſitate dogmatum, quæ in iis publice proponuntur. Etenim dies feſti in eo conveniunt, ut in iis cultui publico vacemus (§. 466.) & populum in templis inſtituant de Deo & voluntate ejus, de cultu Numini exhibendo & de theoria & praxi virtutum (§. 459. 463.). Quamobrem cum dogmata alia ſint aliis magis ardua, veluti ea, quæ agunt de ſummis Dei beneficiis; ideo dies feſti differre nequeunt niſi diverſitate dogmatum, quæ in iis proponuntur.

De diverſitate feſtorum.

Convenit hoc moribus Chriſtianorum, apud quos feſtis magnis annumerantur feſta nativitatis, reſurrectionis Chriſti, atque miſſionis ſpiritus S. cum ſumma Dei beneficia ſint, quæ ad oeconomiam ſalutis pertinent. Et quoniam dogma Trinitatis myſterium maxime arduum eſt, a quo tota oeconomia ſalutis dependet; feſtum quoque Trinitatis illis accenſetur, & ob eandem rationem in Eccleſia Romana feſtum Corporis Chriſti. Utile vero eſt, differentiæ feſtorum ideam habere populum, præſertim plebem, quæ ſenſu magis & imaginatione, quam ratione ducitur, ne ſuam deſiderari patiatur attentionem, quam ad ardua dogmata percipienda & ponderanda afferre debet, & ut devotio ejus magis excitetur ac conſervetur. Convenit hoc gratiarum actioni, quam Deo debemus (§. 1212. *part. 1. Jur. nat.*) & celebrationi nominis divini (§. 1204. *part. 1. Jur. nat.*) nobis præceptæ (§. 1205. *part. 1. Jur. nat.*). Quamvis vero in Rep. feſta ab hominibus inſtituantur, non tamen propterea habenda ſunt pro inſtituto mere humano, cum ex demonſtrationibus anterioribus abunde

Digitized by Google

pateat, ea non istitui nisi ipsa lege naturæ jubente (§. 467.), consequenter voluntati divinæ convenienter (§. 284. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quod, Deo volente, immo jubente, instituitur, pro instituto divino utique habendum, quatenus ejus voluntati convenit: quo sensu etiam Rectores civitatis a Deo constituti dicuntur, etsi populus jus, quod habent, in eos contulerit, ut ideo in sacris literis ordinationi divinæ refragari dicantur, qui ipsis refractarios se præbent.

§. 470.

De conventibus in templis diebus festis non negligendis.

Conventus publicos in templis diebus festis negligere non debemus. Etenim in templis conventus celebranttur diebus festis cultus divini causa (§. 461. 466.), ac ideo in Rep. templa condenda (§. 462.), festa instituenda sunt (§. 467.). Quamobrem cum ipsa natura obligentur homines conventus cultus divini causa celebrare (§. 1251. *part. 1. Jur. nat.*), ut is conjunctim peragatur (§. 1252. *part. 1. Jur. nat.*), in civitate autem Rector ejusdem curare debeat, ut Deus colatur (§. 458.); conventus publicos in templis diebus festis negligere non debemus.

Non est quod excipias, te jam nosse ea, quæ in istis conventibus docentur. Etenim refricanda quoque est memoria eorum, ut eorundem meminerimus, quorum meminisse debemus, incitandi sumus ad studium virtutis, & odium vitiorum fovendum in animis nostris: inprimis vero exempla bona præbenda sunt (§. 1242. *part. 1. Jur. nat.*), & cultus publicus, si rite sese habet, plurimum utilitatis unicuique affert, cui pietas & infucata virtus curæ cordique est. Hæc omnia satis aperta sunt, etsi intra cancellos religionis naturalis subsistamus, nec μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος committamus, Theologis ultro relinquentes ea, quæ ipsorum sunt.

§. 471.

Digitized by Google

§. 471.

Quoniam conventus publici in templis diebus festis non negligendi (§. 470.), Rector autem civitatis curæ habere debet, ut Deus colatur (§. 458.), ac eo fine templa condere (§. 462.) & dies festos instituere (§. 467.), immo in præstandis officiis negligentes vi adigere, ut minimum actus externos ad legem naturæ componant (§. 395.); *Rector quoque civitatis adigere vi potest subditos, ut conventibus publicis in templis diebus festis intersint, nec eos temere negligant.*

De non ferendo neglectu cultus divini publici.

Quid hic fieri conveniat, ne superior officio suo desit, & ne jure suo abutatur, ad prudentiam civilem pertinet. Quamobrem insuper quoque habemus objectiones, quæ a nonnullis moveri posse facile prævidemus. Nobis hic sufficit nihil asseruisse, nisi quod ex principiis evidentibus intulimus, quæ nemo in dubium vocare potest, nisi qui nexum veritatum in Jure naturæ demonstratarum intime non perspexit. Homines plerumque de iis, quæ ad philosophiam moralem pertinent, judicium ei conformant, ad quod eos ducit appetitus ipsorum. Ceterum non sine ratione addimus, neglectum minime ferendum temerarium esse debere. Quemadmodum enim vacuitas a labore in diebus festis admittit exceptionem (§. 468.); ita quoque necessitas, ut quis cultui publico interfit, non ea est, quæ omni prorsus exceptione caret.

§. 472.

Quoniam *in Rep.* ferendum non est, ut quis cultum publicum Numinis temere negligat (§. 471.); ita *multo minus ferendus est contemtus religionis* (§. 512. *part. 2. Theol. nat.*).

De contemtu religionis minime ferendo.

Differt utique neglectus cultus divini a contemtu ejusdem Quemadmodum enim, qui intermittit alteri deferre honorem debitum, non ideo eundem contemnit (§. 538. 787. *& seqq. part. 1. Jur. nat.*); ita quoque qui cultui divino publico

Digitized by Google

non intereſt ejus contemtoribus propterea ſtatim accenſendus. Contemnit religionem, qui nullum ei pretium ſtatuit ac irreverenter de eadem loquitur, vel factis quibuscunque declarat, ſe eam pro re nihili habere (§. 787. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 473.

De atheismo & Deismo non propagando.

Cum in Rep. ferendus non ſit contemtus religionis (§. 472.), athei vero omnem religionem pro figmento habeant (§. 516. *part. 2. Theol. nat.*), & Deiſtæ irreligionarii ſint (§. 564. *part. 2. Theol. nat.*), qui vi erroris ſui religionem pro re nihili habent (§. 529. 512. *part. 2. Jur. nat.*); *in Rep. tolerandum non eſt, ut atheismus & deismus diſſeminetur.* Immo cum *in Rep.* Rector civitatis vi adigere poſſit ſubditos, ut cultui divino publico interſint, nec eum temere negligant (§. 471.); in eadem quoque *athei & Deiſtæ, qui atheismum & Deismum publice profitentur*, ſeu *ſe tales eſſe declarant*, hoc eſt vel exiſtere Deum, vel eum curare res humanas aperte negant (§. 411. 529. *part. 2. Theol. nat.*), & obligationem divinam quoad legem naturæ tollunt (§. 539. *part. 2. Theol. nat.*), *tolerandi non ſunt.*

Athei & Deiſtæ confundendi non ſunt cum iis, qui Deum exiſtere vel curare res humanas ignorant, aut num exiſtat, vel res humanas curet, dubitant. Hi enim quamvis ignorent dari religionem, vel num detur dubitent; non tamen ideo eandem contemnunt, cum illi de re ſibi ignota prorſus non cogitent, hi vero eandem in medio relinquant. Facile autem intelligitur, ignorantiam ſimplicem exiſtentiæ divinæ non cadere in eum, qui in Rep. vivit, ubi Deus colitur.

§. 474.

De ſuſpicione atheismi fiores habentur, atheismi ſuſpecti reddantur: immo ipſi quoque ſibi

Ferendum non eſt, ut qui acumine pollent, vel aliis acu-

Digitized by Google

sibi cavere debent, ne seipsos in suspicionem atheismi aut Deismi adducant. Etenim si illi, qui acumine pollent, vel aliis acutiores habentur, atheismi suspecti reddantur; facile inde nascitur præjudicium, quasi acumine pollentes assensum præbere nequeant propositioni, quod detur Deus, consequenter quod perspiciant, existentiam Dei probari sufficienter minime posse. Quamobrem porro facile contingit, ut qui præjudicio hoc capiuntur, vel in dubitationem de existentia Dei adducantur, vel sibi persuadeant, probabilius esse, non dari, quam dari Deum, ut ideo ad atheismum via sternatur. Quoniam itaque in Rep. ferendum non est, ut atheismus disseminetur (§. 473.); ideo nec ferendum, ut qui acumine pollent, vel aliis acutiores habentur, atheismi aut Deismi suspecti reddantur. *Quod erat unum.* *& Deismi vitanda nec virtus claris importanda.*

Et quia idem verendum est, si qui acumine præstant & aliis acutiores habentur, ipsimet sese atheismi, aut Deismi suspectos reddant, nemo autem aliis exempla mala præbere debet (§. 930. *part. 1. Jur. nat.*); qui acumine præstant & inprimis si & ab aliis acutiores ceteris habentur, sollicite sibi cavere debent, ne seipsos in suspicionem atheismi, vel etiam Deismi adducant. *Quod erat alterum.*

Nihil magis solenne est, quam ut consequentiarii mathematicos & philosophos ea defendentes, quæ opinionibus ipsorum contrariantur, atheismi, aut minimum Deismi suspectos reddant. Immo sunt, qui putant, Matheseos studium & intimiorem rerum naturalium cognitionem ad atheismum, vel Deismum seducere sui cultores. Quemadmodum vero consequentiariorum licentia refraenanda; ita error de Matheseos accuratiori studio & intimiori rerum naturalium cognitione evidenter refutandus. Quoniam vero non omnes capiunt demonstrationes, sine quibus error refutari nequit; ideo qui

Digitized by Google

Matheſi ac Phyſicæ operam navant, omnium maxime operam dare debent, ut omnem atheismi atque Deismi ſuſpicionem a ſe depellant.

§. 475.

De opinionibus religioni & bonis moribus adverſis non diſſeminandis.

Permittendum non eſt, ut publice diſſeminentur opiniones religioni & bonis moribus adverſæ. Tolerandum enim non eſt, ut religio in contemtum adducatur (§. 472.), ſed curæ potius habere debet Rector civitatis, ut Deus colatur (§. 458.). Quamobrem cum opiniones religioni adverſæ eandem in contemtum adducant, adeoque cultui divino obſint; ut errores religioni adverſæ publice diſſeminentur, permittendum non eſt. *Quod erat unum.*

Similiter cum Rectori civitatis curæ eſſe debeat, ut ſubditi ſint virtuti dediti, nec a virtutis tramite ad vitia deflectant (§. 456.), a virtutis autem tramite ad vitia abducantur, ſi eorum animi opinionibus bonis moribus adverſis imbuantur, quod per ſe patet; permittendum quoque non eſt, ut publice diſſeminentur opiniones bonis moribus adverſæ. *Quod erat alterum.*

Contradictorium eſt conſtituere doctores publicos, qui populum inſtituant de Deo & voluntate ejus, de cultu divino, de virtutibus ac vitiis, eundem ad virtutem colendam incitent & a vitiis avocent, ac permittere, ut ab aliis publice diſſeminentur opiniones, quæ religioni & bonis moribus adverſantur, Illud cum fieri debeat (§. 459.); hoc utique permittendum non eſt. Quamvis vero hæc ſatis manifeſta ſint; in praxi tamen multæ ſeſe offerunt difficultates, non facile ſuperandæ; ſupponimus hic religionem eſſe veram, hoc eſt, Deum coli eo modo, quo colendus eſt. Supponimus bonitatem morum æſtimari lege naturæ, conſequenter eam absque errore cognitam eſſe atque perſpectam. Aſt non ubique viget vera religio-

Digitized by Google

gio; haud raro erroneæ opiniones in Jure naturæ communi quodam conſenſu receptæ ſunt. Contingit itaque, ut religioni adverſari putetur, quod apprime eidem convenit, & ut bonis moribus minime adverſum exiſtimetur, quod pravis accenſeri debet. Quodſi jam non permittatur, ut diſſeminentur opiniones religioni & bonis moribus adverſæ; fovendi erunt errores de Deo & cultu ejusdem, non emendandi mores pravi, quibus populus infectus eſt. Ecquis vero non videt, hæc repugnare iis, quæ curæ habere debet Rector civitatis per ea, quæ antea demonſtravimus, nec convenire officiis lege naturali ſpræſcriptis? Enimvero quamvis ſingulis permittendum non ſit, ut diſſeminent opiniones religioni receptæ & bonis moribus adverſæ; non tamen hinc ſequitur, Rectorem civitatis omnem abjicere debere curam, ne perverſæ de Deo & cultu ejus foveantur opiniones & pro bonis moribus reputentur, qui pravis potius accenſendi. Sed horum diſcuſſio ad Politicam potius ſpectat, quam ad Jus naturæ.

§. 476.

Quoniam permittendum non eſt, ut diſſeminentur opiniones religioni & bonis moribus adverſæ (§. 475.); ideo *permittendum non eſt, ut imprimantur libri, vel alibi impreſſi vendantur, qui continent opiniones religioni & bonis moribus preſſo & adverſas.* Et quoniam in civitate nil admittendum, quod fini ejusdem repugnat (§. 22. 9. 13.), conſequenter *nec permittendum, ut diſſeminentur opiniones fini civitatis adverſæ, ea de cauſa nec permittendum erit, ut imprimantur libri, vel alibi impreſſi vendantur, qui continent opiniones fini civitatis, ſeu ſtatui publico adverſas.*

Quorum-nam libro-rum impreſſio vendatio prohibenda.

Hæc quidem apud nos uno probantur ore; praxis tamen ab iis longe recedit. Sub prætextu libertatis philoſophandi aut ſentiendi licentia quædam ſentiendi invaluit, quæ plurimum obeſt religioni. Nec pudet eruditos, qui libros publici juris

Digitized by Google

juris faciunt, peſſimos, quibus delectantur, prodere mores. Immo apud nos turpibus moribus non accenſetur, aliorum bene meritorum famæ detrahere, & eorum contemtum ad gloriam vertere.

§. 477.

De Cenſoribus librorum.

Cenſores librorum dicuntur perſonæ, quibus demandatum eſt, ut ne permittant imprimi libros, opiniones religioni, bonis moribus & ſtatui publico adverſas continentes. Quoniam permittendum non eſt, ut libri imprimantur, qui continent opiniones religioni, bonis moribus & ſtatui publico adverſas (§. 475.); *in Rep. cenſores librorum ſunt conſtituendi, nec permittendum, ut ſine cenſura libri imprimantur, ac omni modo curandum, ut munere ſuo rite fungantur cenſores.*

Cenſores non rite funguntur munere ſuo, ſi vel legere ea negligunt, de quibus judicium ferre debent, vel ſi ea non ſatis perpendunt, vel denique ſi amori & odio in cenſendis libris plurimum tribuunt, vel etiam aliis de cauſis, in quos prolixe inquirere non eſt noſtri inſtituti. Nihil vero magis dedecet cenſores, quam ſi invidia ſe eo adduci patiantur, ut libellos famoſos approbent, imprimi permittant, tendentes ad eos infamandos, quorum famam tueri non uno nomine obligantur. Dolendum omnino eſt, quod, qui eruditi nomine ſuperbire volunt, nondum didicerint, quinam eſſe debeant eruditi mores eumque commendent. Scripta inprimis eriſtica moribus iſtis contrariantur, cum dudum invaluerit mos convitiis inter ſe certandi: qui etſi turpis foetus impotentis animi ſit, a cenſoribus tamen pro laudabili habetur. Sed quomodo coërcenda ſit cenſorum negligentia & malitia, in Politica disquirendum.

§. 478.

Digitized by Google

§. 478.

Superiori curæ esse debet, ut in cultu divino publico cere- De ceremo-
moniæ aptæ & convenienter instituantur, atque iisdem recte utatur niis in cul-
populus, ut abrogentur, quæ majorem habent abusum, quam usum tu divino.
& si quæ nullo fine adhibentur, iis significatus conveniens, siquidem
detur, imponendus. Etenim ipsa lege naturali obligamur instituere ceremonias in cultu divino externo (§. 1249. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum cura cultus publici pertineat ad superiorem civitatis (§. 458. *& seqq.*); eidem quoque curæ esse debet, ut ceremoniæ in cultu divino publico instituantur. Et quoniam ceremoniæ aptæ esse debent ac convenientes (§. 488. *part. 2. Phil. pract. univ.*); eidem omnino curæ esse debet, ut in cultu divino publico ceremoniæ instituantur aptæ ac convenientes. *Quod erat primum.*

Enimvero ceremoniæ instituuntur propter usum (§. 507. *part. 2. Phil. pract. univ.*), sine quo actus temerarii forent, cum nullo fine adhiberentur (§. 277. *part. 3. Jur. nat.*), & revera nullæ forent (§. 465. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum perinde sit, ac si ceremoniæ non fuissent institutæ, si quæ institutæ sunt, nullæ fuerint, temere autem nil quicquam sit faciendum (§. 278. *part. 3. Jur. nat.*), & omnis actio recta esse debeat (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*); superiori, qui curæ habet ceremoniarum institutionem *per demonstrata*, curæ quoque esse debet, ut populus iisdem recte utatur. *Quod erat secundum.*

Cum a ceremonia sit abstinendum, quæ maiorem admittit abusum, quam usum habet (§. 508. *part. 2. Phil. pract. univ*), superiori autem curæ esse debeat, ut populus ceremoniis recte utatur, *per demonstrata n. 2.* eidem quoque curæ esse debet, ut ceremoniæ abrogentur, quæ majorem

Digitized by Google

abusum admittunt, quam usum habere possunt. *Quod erat tertium.*

Quia vero ceremonia non ideo abroganda, quod nulla est, si significatus conveniens eidem imponi possit (§. 466. *part. 2. Phil. pract. univ.*), superiori autem incumbit, ut ceremoniæ aptæ & convenientes instituantur, *per demonstrata n. 1.* eidem quoque curæ esse debet, ut ceremoniis, quæ nullo fine adhibentur, consequenter nullæ sunt (§. 465. *part. 2. Phil. pract. univ.*), significatus conveniens imponatur. *Quod erat quartum.*

Quænam de ceremoniis sint tenenda, prolixe demonstravimus in parte altera Philosophiæ practicæ universalis, quæ ad institutum præsens facile applicantur & applicari debent. Ne vero superiori plus juris tribuere videamur, quam par est, circa sacra; probe perpendenda sunt, quæ de diverso modo transferendi imperium in unam, vel plures personas in superioribus demonstravimus. Addenda etiam sunt alia, quæ de regimine inferius demonstrabuntur. Hic tantummodo docetur, quænam fieri debeant, ut civitas recte constituatur, ut appareat, quænam jura imperio contineantur. Quinam vero singula jura exerceri debeant, cum id non uno modo constitui possit, a constituto venit, quemadmodum jam supra annotavimus (*not.* §.).

§. 479.

De officio doctorum publicorum circa ceremonias.

Quoniam populus ceremoniis recte uti debet (§. 478.), ceremoniæ autem sunt signa artificialia (§. 451. *part. 2. Phil. pract. univ.*), consequenter vim significandi a voluntate instituentis habent (§. 958. *Ontol.*), ac ideo necesse est, ut populus significatum norit, *doctores* autem *publici* docere debent ea, quæ ad cultum divinum spectant (§. 459.); iidem quoque *ceremoniarum significatum populo inculcare,*

Digitized by Google

inculcare, cumque eædem se habeant ad actiones, quibus inserviunt, per modum medii ad finem (§. 464. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & per ea intendatur omnimoda actionum rectitudo (§. 456. *part. 2. Phil. pract. univ.*), *ad rectum illarum usum populum incitare debent.*

Poterat idem etiam inde inferri, quod ceremoniarum significatum eos docere debeamus, quorum interest, ac sedulo iisdem inculcare (§. 457. *part. 2. Phil. pract. univ.*), doctorum autem publicorum in civitate sit docere populum ea, quæ ad cultum divinum spectant (§. 459.). Quemadmodum vero ceremoniarum introductarum significatum unicuique amplificare licet (§. 455. *part. 2. Phil. pract. univ.*), consequenter extendere ad ea, de quibus minime cogitavit instituens (§. 452. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ita quoque doctores publici significatum illarum amplificare possunt: hoc ipso nimirum ceremoniæ fiunt utiliores, ut finem per eas intentum rectius consequi detur.

§. 480.

Cum ceremoniæ pertineant ad cultum divinum (§. 479.) consequenter in contemtum cultus divini, adeoque religionis (§. 512. *part. 2. Theol. nat.*), facile vergat, si ceremoniæ contemnantur, in Rep. autem ferendus non sit contemtus religionis (§. 472.); ideo *nec ferendum est, ut ceremoniæ contemnantur*, consequenter *ut publice exagitentur & eraducantur* (§. 787. *part. 1. Jur. nat.*). *De contemtu ceremoniarum non ferendo.*

Qui ceremonias omnes promiscue damnant easque a cultu divino abesse debere contendunt, quid sint ceremoniæ & quinam sit earundem usus, nondum intelligunt. Neque etiam naturam mentis humanæ intime perspiciunt, nec omnem legis naturalis amplitudinem animo comprehendunt. Non ignota loquor iis, qui in Philosophia nostra satis sunt versati

Digitized by Google

& animum ſciendi cupidum ad ſingula, quæ in ea demonſtrantur, attenderunt. Equidem qui ceremonias exagitant atque contemnunt, ſe plusquam ceteros ſapere arbitrantur; oppido tamen falluntur. Accidit iis, quod communiter accidit vituperatoribus, ut de re, quam nondum intelligunt, judicium deproperent. Vulgus ceremonias ab eſſentialibus cultus divini non diſtinguit, atque ideo illarum traductio facile vergit in contemtum religionis. Non obeſt vulgo ac iis, qui ea in re non altius vulgo ſapiunt, defectus acuminis ad ceremonias ab eſſentialibus religionis diſtinguendum requiſiti, modo iisdem rite utantur. Qui enim ceremoniis rite utitur, vi earum id conſequitur, ut abundantius ſatisfaciat iis, quæ ad cultum divinum ita pertinent, ut ſine iis ſubſiſtere nequeat (§. 442. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quodſi objicias, dari etiam ceremonias abſurdas (§. 450. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & has eſſe abrogandas, neminem fore, qui diffiteatur; dari etiam indecoras (§. 481. 482. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & has eſſe rejiciendas (§. 480. *part. 2. Phil. pract. univ.*); præterea vulgus imperitum, cum ceremonias ab eſſentialibus cultus divini non diſtinguat, in iisdem utpote in ſenſus incurrentibus omnem cogitationem ſuam defigere, & ideo facile ſibi perſuadere, quaſi in hisce omnis cultus divinus conſiſtat, ac per conſequens a vero Numinis cultu avocari; eas igitur majorem admittere abuſum, quam uſum habere, conſequenter ab iis eſſe abſtinendum (§. 508. *part. 2. Phil. pract. univ.*); has autem rationes omnes urgere, ut abſurditas & indecorum ceremoniarum oſtendatur, & inevitabilis earundem abuſus demonſtretur; quod repono, non unum habeo. Nimirum, ſi quæ ſunt ceremoniæ abſurdæ, vel prorſus indecoræ; ſuperior informandus, ut eas abroget (§. 478.): ne vero ad abuſum trahantur, de vero earundem uſu inſtituendus populus (§. *cit.*). Utrumque fieri poteſt absque publica illarum traductione. Nemo in civitate ſibi ſumere debet, quod eſt alterius, involando in jus alteri competens, ac omnia ita fieri debent in

Rep.

Digitized by Google

Rep. ne animi ſubditorum perturbentur in iis, quæ agenda ſunt.

§. 481.

Res ſacræ dicuntur, quæ cultui divino publico dicata ſunt. Unde *loca ſacra* dicuntur, quæ eidem dicata ſunt. Et *uſum ſacrum* vocamus, qui præbetur cultui divino. Quamobrem cum *res ſacræ* cultui divino publico dicentur, eæ *alium uſum præter ſacrum non habere* debent, ac per conſequens *iisdem abutitur, qui eas ad alium uſum transfert.* *Res ſacræ quænam ſint.*

Ita apud Chriſtianos vaſa ſacra ſunt, quæ in adminiſtratione ſacræ cœnæ ac baptismatis adhibentur; res ſacræ ſunt altaria & eorum ornatus; veſtes ſacræ ſunt, quibus utuntur ſacra adminiſtrantes in functionibus ſacris. Nemini autem competit jus rebus ad certum uſum ſacrum dedicatis aliter utendi, quam ad quem eædem dedicatæ ſunt. Ita calice non uti licet in conviviis, cujus uſus ſaltem eſſe debet in ſacra cœna. Non eſt quod excipias, inſtrumenta muſica, quibus utimur in templis, etiam extra templa in cauponis & aliis locis profanis adhiberi. Ea enim non ſunt dedicata ad cultum divinum. Sane ſi ſupponamus dedicata eſſe, nec iis uti licet extra cultum divinum. Ipſa nimirum ratio naturalis ſuadet, neminem ſibi arrogare poſſe uſum rei non ſuæ, qui ipſi conceſſus non eſt.

§. 482.

Res profanæ dicuntur, quæ ſacræ non ſunt, conſequenter quæ ad cultum divinum publicum non ſunt dedicatæ (§. 486.). Et eodem modo *uſus* dicitur *profanus*, qui ſacer non eſt, conſequenter cultui divino non præbetur (§. *cit.*). Hinc *profanari* dicitur *res ſacra*, ſi ad alium, quam ad ſacrum uſum adhibetur. *Res profanæ quænam ſint.*

Digitized by Google

Ita profanatur calix, si pastor ecclesiæ eodem uti velit in conviviis; non vero profanantur instrumenta musica, si iisdem utaris tam in templo, quam in cauponis, quia ea ad cultum divinum dedicata non sunt, consequenter usum profanum habere possunt. Hino & *nomen Dei profanari* dicitur, si aliter, quam ipsius colendi gratia adhibetur. Similiter dies festus profanatur, cum cultui divino dicatus sit (§. 466.) actibus cultui divino tam externo, quam interno contrariis. Non progredimur hic, quemadmodum in ceteris, ultra ea, quæ juris tantummodo naturalis sunt, sepositis iis, quæ a religione revelata veniunt.

§. 483.

Consecratio quid sit & quomodo fiat.

Consecratio est actus, quo res quædam cultui divino publico dicatur. Quoniam itaque *consecratione res* cultui divino dedicatur, eadem *ab omni usu profano separatur, & ad usum sacrum unice dedicatur.* Quamobrem *si res quædam ad usum sacrum Ecclesiæ offertur, vel ab ea comparatur; naturaliter consecratur, quando primum in cultu divino publico usurpatur eo animo, ut in posterum non alium prater hunc habere debeat usum.* Et quia cura cultus divini, consequenter eorum omnium, quæ ad eundem quomodocunque spectant, ad Rectorem civitatis pertinet (§. 458.); *si ritibus quibusdam consecratio fieri debeat, eos Rector civitatis determinare debet* (§. 307. *part. 6. Jur. nat.*).

Naturaliter consecratio nihil aliud requirit, quam ut in cultu divino publico actu adhibeatur, nec peculiari quodam ritu opus est. Ita si quis rem, cujus usus esse potest in cultu divino publico, Ecclesiæ donet eo fine, ut in cultu divino publico adhibeatur; quando ea primum adhibetur, ab usu quolibet alio, quem habere poterat, separatur & voluntati donatoris conformiter usui sacro actu dicatur, atque ita consecratur. Quodsi vero rationes nonnullæ suadeant, ut ritus quidam accedant,

Digitized by Google

consecratio efficitur solennis. Ita olim apud Gentiles res sacræ publica autoritate a consule, aut alio magistratu per solemnia verba, vel per Principem ipsum consecrabantur, & hodie in Ecclesia Romana ab antistite & Episcopo cujusque loci, vel qui alias pontificalia celebrare potest. Consecrationem solemnem, quæ non sine ritibus fit publice non sapere superstitionem per se, ex ipsa superstitionis definitione intelligitur (§. 1255. *part. 1. Jur. nat.*), vi cujus quod superstitioni debetur facile separatur ab eo, quod ab illa alienum est, sicuti cultus divinus superstitiosus a vero discernitur. Effectus autem consecrationis est, ut re consecrata non aliter uti liceat quam in cultu divino publico, nec ab usu sacro ad profanum transferri ea possit ab iis, qui ministerio sacro funguntur, vel etiam aliis.

§. 484.

De Ecclesia & ejus membris.

Ecclesia dicitur cœtus hominum eodem modo Deum colentium, consequenter eidem religioni addictorum (§. 212. *part. 2. Jur. nat.*). Vocatur autem *Ecclesia particularis*, quæ in loco quodam particulari est, veluti in una urbe, vel certa ejus parte, aut in uno pago. *Universa* autem *Ecclesia* est multitudo omnium hominum eodem modo Deum colentium, seu eidem religioni addictorum, per quæcunque terrarum loca fuerint dispersi. Homines vero singuli dicuntur *Membra Ecclesiæ.*

Sumimus vocabulum Ecclesiæ in significatu generali, qui convenit Juri naturæ. Præcipit lex naturæ, ut Deus colatur verus eo modo, qui essentiæ atque attributis ipsius convenit, prouti in parte prima abunde demonstravimus. Modus hic colendi verum Deum, cujus agnitio ex Theologia naturali petenda, religionem naturalem constituit (§. 512. *part. 2. Jur. nat.*). Quemadmodum itaque de cultu divino agentes non progredimur ultra ea, quæ religionis naturalis sunt; ita etiam in

Digitized by Google

in definienda Ecclesia non habetur religionis revelatæ ratio. Quæ de ecclesia christiana qua tali tenenda sunt, ad Theologiam revelatam pertinent. Religio tamen naturalis cum conservetur in revelata, nisi quod hæc alia adhuc superaddat; Ecclesiæ significatus generalis etiam convenit Ecclesiæ christianæ cum in genere spectatæ, tum etiam in specie, quatenus quoad religionem christianam non omnes idem sentiunt. In significatu generali *Ecclesia vera* est, quæ Deum colit eo modo, qui attributis ac voluntati ejus convenit.

§. 485.

Res vel Bona Ecclesia quænam sint.

Res ecclesiasticæ, vel *Ecclesiæ* dicuntur, quæ ad usum quendam Ecclesiæ pertinent, non tamen directe & simpliciter ad cultum divinum dedicantur. Universim sumtæ *Bona Ecclesiæ* vocantur Kirchen-Gütter. Quamobrem cum res sint vel corporales, vel incorporales (§. 496. 497. *part. 1. Jur. nat.*); *Bona ecclesiæ tam in rebus incorporalibus quam corporalibus consistere possunt.*

Ita ædificia destinata ad habitationem ecclesiæ ministrorum, vel aliarum personarum, quibus certa quædam functio in cultu divino publico competit, sunt res ecclesiasticæ & ad bona Ecclesiæ pertinent. Similiter prædia, agri, prata, pascua, horti, vineæ, piscinæ, sylvæ, quarum reditus ad sustentationem ministrorum ecclesiæ & aliarum personarum, quibus certa quædam functio competit, reparationes templorum & ædificiorum ecclesiasticorum, aliisque istiusmodi usibus impenduntur, consequenter quæ ad usum quendam Ecclesiæ destinata sunt, res Ecclesiæ sunt, & bonis ecclesiasticis annumerantur. Huc etiam pertinent jura, veluti jus venandi, aucupandi & piscandi, si eodem fine concessum, item census ex certis prædiis annuatim præstandi & si qua alia sunt, quæ ad augendos reditus Ecclesiæ faciunt.

§. 486.

Digitized by Google

§. 486.

Imagines, quæ attributa & beneficia insignia Dei, itemque exempla singularia pietatis in memoriam revocant, in templis collocare licet. Illæ enim faciunt ad agnitionem Dei, quod per se patet; hæ autem ad pietatem invitant (§. 277. *part. 2. Phil. pract. univ.*), atque Dei attributa & beneficia, nec non motiva pietatis memoriæ firmiter infigunt, quod a posteriori sumitur. Quamobrem cum pietas & agnitio Dei ad cultum divinum pertineat (§. 1234. *part. 1. Jur. nat.*), cultus divini autem gratia templa frequententur (§. 461.); quin imagines, quæ attributa & beneficia Dei insignia, itemque exempla singularia pietatis in memoriam revocant, in templis collocare liceat, dubitandum non est. *An imagines in templis tolerandæ.*

Præter omnem itaque rationem contenditur, imagines omnes ex templis ejiciendas esse. Falluntur etiam qui eas pro superfluo templorum ornatu habent, vel easdem cultui divino adversari statuunt. Ipsa religio naturalis earum in templis utilitatem defendit. Christiani semper meminisse debent Christi crucifixi & a mortuis resurgentis. Jure igitur non reprehenduntur, si imaginem Christi crucifixi, vel resurrectionis ejusdem in templis suis collocent. Nulla est consequentia: cultus divinus subsistit sine usu imaginum. Ergo eædem non sunt tolerandæ in templis. Quæritur enim, num imaginum aliquis usus fieri possit in cultu divino? id quod vi demonstrationis præsentis in dubium vocari nequit. Doctores publici in templis funguntur munere suo (§. 463.), consequenter populum docent ea, quæ de Deo & voluntate ipsius, de virtute & vitiis atque cultu divino nosse debent, & eum ad virtutem incitant, a vitiis revocant. Quamobrem cum imagines, quæ attributa & beneficia insignia Dei, itemque exempla singularia pietatis in memoriam revocant, idem præstent; si in templis collocentur, doctorum publicorum munere fungun[illegible]

Digitized by Google

§. 487.

Quales sint res.

Imagines in templis sunt res sacræ. Usus enim imaginum facit ad cultum divinum publicum *vi demonstrationis præcedentis*, consequenter si in templis collocantur, cultui divino publico dicantur. Quamobrem cum res sacræ sint, quæ cultui divino publico dicantur (§. 481.); imagines in templis sunt res sacræ.

Eodem jure imagines rebus sacris annumerantur, quo candelabra argentea in altaribus collocata in earum numerum referuntur. Usus harum ad ceremonias pertinet: ostendimus vero jam alias imaginum usum ceremoniarum loco esse (§. 1263. *part. 1. Jur. nat.*). Et quoniam naturaliter res consecrantur, quando primum in cultu divino publico usurpantur eo animo, ut in posterum alium usum præter hunc habere non debeant (§. 483.); imagines quoque dum in templis collocantur, naturaliter eo ipso consecrantur. Ponamus imaginem, qualem in templis collocare licet (§. 486.), a te offerri, ut in templo collocetur; non alium ejus intendere potes usum, quam quem in templo habere potest ac debet, & eam ad perpetuum hunc usum destinatam esse vis. Quodsi imago hæc acceptatur, & in templo actu collocetur, sane non alio animo templo inferri potest, quam ut posthac non alium, quam istum usum habere debeat. Naturaliter itaque imago a te Ecclesiæ oblata consecratur. Non dubito fore haud paucos, quibus id paradoxum videbitur, ut ne quid gravius dicam. Sed hi erunt, qui non satis accurata mentis trutina, quæ huc pertinent, pensitarunt singula. Nos veritatis cupidi verum a falso secernimus, nec si vero falsi quid adhæret, plane ac simpliciter rejicimus. Nostrum est ostendere, quid rationi conforme sit: quod eidem consentaneum est, id tanquam erroneum rejicere non possumus.

§. 488.

Digitized by Google

§. 488.

Res, quas quis ad cultum divinum privatum adhibet, sacra non sunt. Res enim istæ cum tuæ sint, de earum usu pro lubitu disponere potes (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*), nec per hoc, quod sic, vel aliter de eo disponas, desinunt esse tuæ, cum dominium earum ideo non transferas in alium (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*). De earum igitur usu aliter disponere potes, quam nunc dispositi (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter si eam ad cultum divinum privatum adhibes, eam non perpetuo ad eundem adhibere teneris. Quamobrem cum res sacra non sit, nisi quæ ad cultum divinum eumque publicum dedicatur (§. 481.), & licet ad cultum privatum adhibeatur semper tamen manet res tua, adeoque privata; res, quæ ad cultum divinum privatum adhibentur, sacræ non sunt. *Quales sint res ad cultum divinum privatum adhibitæ.*

Ponamus te in conclavi tuo habere imaginem argenteam omniscientiam Dei hieroglyphice repræsentantem, ut hujus constanter memineris & ea tanquam motivo in actionibus tuis determinandis utaris. Non tamen ideo res sacra erit, sed privata tua, quamvis sacra sit, si eandem in templo collocari cures (§. 487.).

§. 489.

Ex distantibus constare dicitur ens si quæ simul sumta unum efficiunt, a se invicem separata manent. *Coherentia* autem vocantur, quorum partes junctura in unum sunt coactæ. *Seneca* significatu strictiori *composita* appellat: alii quoque *connexa* dicunt. *Ex distantibus quænam constent, quænam coherentia sint.*

Seneca composita distinguit ab iis, quæ corpore continua sunt, sicuti homo, animantia bruta, plantæ; Composita vero ipsi sunt navis, domus, horologium. Sed in hanc distinctio-

Digitized by Google

nem jam non ſubtiliter inquiremus, cum proprie ad philoſophiam primam pertineat disquiſitio.

§. 490.

Quale ens ſit populus & eccleſia.

Quoniam populus eſt multitudo hominum in civitatem conſociatorum (§. 5.), per ſe autem patet, ſingulos homines, qui civitatis membra ſunt, a ſe invicem ſeparatos manere, & ex diſtantibus conſtat ens, ſi, quæ ſimul ſumta unum efficiunt, a ſe invicem ſeparata manent (§. 489.); *populus eſt ens, quod ex diſtantibus conſtat.* Et ſimiliter cum *eccleſia* ſit coetus hominum eodem modo Deum colentium, ſeu eidem religioni addictorum (§. 484.); ea quoque *ex diſtantibus conſtat.*

Dantur plura iſtiusmodi entia, veluti exercitus, ſenatus, miniſterium eccleſiaſticum, collegia Profeſſorum, artificum, opificum.

§. 491.

Principium unionis quid ſit.

Principium unionis eſt, quod ex multis efficit unum. Quamobrem quia principium in ſe continet rationem alterius (§. 866. *Ontol.*), conſequenter *principium unionis continet rationem ſufficientem unionis*, ex ratione autem ſufficiente intelligitur, cur aliquid ſit (§. 56. *Ontol.*); *ex principio unionis intelligitur, cur multa ſimul efficiant unum.*

Eſt itaque principium unionis veluti vinculum, quod plura a ſe invicem diſtincta continet, ut certo quodam modo conjuncta ſint.

§. 492.

Quodnam ſit in populo & eccleſia.

Quoniam principium unionis eſt, quod ex multis efficit unum (§. 491.), populus autem conſociatione in civitatem

Digitized by Google

vitatem unus efficitur (§. 5.), & ecclesia communione religionis, inprimis particularis ejusdem in individuo cultus divini externi communione (§. 484.); *principium unionis in populo est consociatio in civitatem, in ecclesia communio religionis,* inprimis *in particulari ejusdem cultus divini publici in individuo communio.*

Eodem modo patet in corporibus cohærentibus principium unionis esse juncturam, veluti in domo coagmentationem lapidum, tignorum aliarumque partium. Nec abſimili modo principium unionis in vocabulis dici potest coagmentatio syllabarum, in syllabis literarum.

§. 493.

Quæ ex distantibus constant, eadem manent, quamdiu idem manet principium unionis. Cum enim principium unionis ex multis efficiat unum (§. 491.), quamdiu idem manet principium unionis, ea, quæ a se invicem separata sunt, eodem modo uniuntur, consequenter eadem manent (§. 181. *Ontol.*). Quoniam itaque ex distantibus constant, quæ simul sumta unum efficiunt, a se invicem tamen separata manent (§. 489.); quæ ex distantibus constant, eadem manent, quamdiu idem manet principium unionis. *Quamdiu eadem manent, quæ ex distantibus constant.*

Non enim propter ea, quæ a se invicem separata sunt, ens unum fit, si ea simul sumuntur; sed quia illa inter se certo quodam modo uniuntur, etiamsi per se separatim existant.

§. 494.

Quoniam principium unionis idem manere potest, etiamsi ea, quæ distant, commutentur, aliis decedentibus, aliis in locum decedentium succedentibus, quamdiu vero idem manet principium unionis, *quæ ex distantibus constant,* eadem manent (§. 493.); hæc eadem *manent, etiamsi decedenti-* *Idem porro expenditur.*

Digitized by Google

dentibus aliis alia in eorum locum ſuccedant, ſalvo nimirum principio unionis.

§. 495.

Quamdiu populus idem, eccleſia eadem maneat.

Cum quæ ex conſtantibus conſtant, eadem maneant, etiamſi decedentibus aliis alia in eorum locum ſuccedant (§. 494.), populus autem & eccleſia ex diſtantibus conſtent, ſalvo nimirum principio unionis (§. 490.); *populus idem manet, eadem manet eccleſia, etiamſi decedentibus aliis hominibus alii in eorum locum ſuccedant, ſalva nimirum conſociatione in caſu priore, communione religionis ſeu cultus divini publici in individuo in caſu poſteriore* (§. 492.).

Entia moralia in eo imitantur naturam. Hæc enim idem conſervat corpus humanum, etiamſi particulæ materiæ, ex quibus conſtat, in continuo ſint fluxu, quod aliis decedentibus alias in earundem locum ſuccedentes eodem modo unit. Quamviscorpus noſtrum non ſemper ex eadem numero materia conſtet; hoc tamen non obſtante omnes uno ore fatentur, idem numero eſſe corpus, quod per omnem vitam habemus. Dudum hoc obſervarunt veteres. Hinc *Seneca* epiſt. 58. Nemo noſtrum, ait, idem eſt in ſenectute, qui fuit juvenis; nemo eſt mane, qui fuit pridie. Corpora noſtra rapiuntur fluminum more. *Ariſtoteles* populum flumini comparat, quod ſemper idem vocatur, quanquam alia ſubeat conſtanter aqua, alia decedat.

§. 496.

De interitu quomodocunque compoſitorum.

Sublato principio unionis, tum quæ ex diſtantibus conſtant, tum quæ coharentia ſunt, intereunt. Etenim cum principium unionis ex multis efficiat unum (§. 491.); eodem ſublato, etiamſi ſingula adhuc ſubſiſtant, eadem tamen ſimul ſumta non amplius unum efficiunt. Eas igitur iſtud, quod ex diſtanti-

Digitized by Google

stantibus, vel etiam cohærentibus constabat, non amplius subsistit. Quamobrem patet sublato principio unionis cum ea, quæ ex distantibus constant, tum quæ cohærentia sunt, interire (§. 489.).

Quando ædes diruuntur, partium coagmentatio tollitur consequenter principium unionis, quo efficiebantur ens, quod ædium nomine compellabatur. Ædes autem tum interire evidens est. Similiter quando corpus humanum post mortem putrefactione corrumpitur, solutione mixti junctura particularum tollitur, ac per consequens principium unionis. Corpus vero humanum tum interire liquet.

§. 497.

Quoniam sublato principio unionis, quæ ex distantibus constant, intereunt (§. 496.), populus autem ex distantibus constat (§. 490.) & principium unionis est consociatio in civitatem (§. 492.); *populus interit, sublata consociatione in civitatem.* Et quoniam consociatio hæc subsistere nequit, si singuli, qui consociati erant, intereunt, vel tam pauci superstint, qui civitatem constituere, vel populum facere nequeunt; *populus* quoque *interit, si singuli intereunt, vel tam pauci ex iis supersunt, ut populum facere nequeant.*

Quando populus intereat, & in specie per sublationem partium.

Singulos, qui populum faciunt, interire simul posse, aut certe plurimos, ut tam pauci supersint, qui populum facere nequeunt, pro impossibili non habendum. Fieri enim potest, ut populi mari abripiantur, quorum exemplum ex *Platone* refert *Plinius* Hist. nat. lib. 2. c. 90. alia *Tertullianus* in libro de pallio, vel ut terræ motu penitus hauriantur, quorum exempla refert *Ammianus Marcellinus* lib. 17. rer. gest. *Seneca* epist. 92. *Plinius* lib. 2. c. 92. hist. nat. Huc etiam referendum, si quis populus se ipsum internecioni dat, quod de Saguntinis narrat

Digitized by Google

narrat *Livius* lib. 21. c. 14. de Sidoniis *Justinus* lib. 18. c. 3. Absit itaque, ut existimes, in corollario secundo sumi, quod non dabile.

§. 498.

De interitu populi ob sublatam corporis rationem.

Quoniam populus interit, sublata consociatione (§. 497.), hæc autem tollitur, si quacunque de causa a societate discedant, aut vi ita distrahantur, ut coire non possint; *populus interit, si quacunque de causa a societate discedant, aut vi ita distrahantur cives, ut coire non possint.*

Discessus a societate civili dividitur in spontaneum, & invitum. Sponte discedit*ur*, quando inexpectata incommoda oriuntur, quæ obstant, quo minus vitæ necessitati, commoditati, vel etiam jucunditati prospicere detur, veluti ob pestem, sterilitatem, animalia nocua, seditionem. Exempla vide apud *Plinium* Hist. nat. lib. 8. c. 29. Huc etiam refer, quod olim facilius, quam hodie, accidere poterat, si relictis sedibus veteribus passim novas quærunt cives, quas putant istis meliores. Inviti discedunt, si vi belli victi in alias regiones abducuntur, vel ex terris suis ejiciuntur. Exemplum luculentum habemus in eversione Reip. Judaicæ. Quamvis enim hodienum Judæi superstint & genus suum propagent, ita tamen inter gentes per orbem terrarum dispersi sunt, ut coire nequeant. *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 9. populum interire dicit sublata corporis ratione, si ita interit, quia qui populum fecerant & facere poterant, adhuc supersunt, non tamen amplius populum faciunt, societate earum civili sublata. Ast in casu propositionis præcedentis populum interire ait, sublatis partibus, hoc est, personis, quæ populum fecerant.

§. 499.

De interitu speciei.

Cum consociatio, quæ fecerat populum, etiam tollatur, si vel singuli servitutem personalem subire coguntur, vel

Digitized by Google

vel retenta libertate personali leges peregrinas & magistratum peregrinum recipere, ut sint multitudo sine imperio; *populus* quoque *interit, qui fuerat, si aut singuli servitutem personalem subeant, aut universi imperio privantur, seu libertas civilis ipsis auferatur.*

Grotius loc. cit. hoc modo speciem interire dicit: qua intereunte populus idem non manet. Exempla interitus sublata libertate personali adducit idem [redacted]*stino* lib. 8. c. 3. & lib. 11. c. 3. 4. ex *Gellio* in Noct. At[redacted] lib. 10. c. 3. exemplum autem interitus posterioris ex *Livio* lib. 26. Referenda huc quoque est redactio in formam provinciæ Romanis usitata, cujus exempla vide apud *Vellejum Paterculum* lib. 2. c. 38.

§. 500.

Cum etiam ecclesia ex distantibus constet (§. 490.), & principium unionis in ecclesia sit religionis ac inprimis in particulari cultu divini publici numero ejusdem communio (§. 492.), quæ autem ex distantibus constant, intereunt sublato principio unionis (§. 496.); *ecclesia interit, sublata communione ejusdem religionis & particularis interit sublata communione cultus divini publici numero ejusdem.* *Quando ecclesia interit.*

Multitudo hominum per se non facit ecclesiam, sed quatenus certo quodam modo Deum colunt. Et hoc pacto membra fiunt ecclesiæ ejusdem universalis. Quando autem membra plura cohabitant, ecclesiam particularem non ideo faciunt, deficiente nimirum principio unionis, quo efficitur ecclesia particularis, ut singuli fiant membra ecclesiæ particularis; sed quatenus eundem cultum publicum communem habent. Atque hinc obvium est, ecclesiam universalem interire, seu nullam amplius esse, si modus colendi Deum hoc modo prorsus tollatur in omni terrarum orbe; particularem vero, si qui co-

Digitized by Google

habitant non amplius eidem numero cultui publico conjunctim vacare possint, ut ante.

§. 501.

Quando intereat sublato corpore.

Quoniam communio ejusdem cultus divini publici tollatur, si omnes intereunt, qui conjunctim in eodem loco cultui divino publico vacant, quod per se patet, sublata autem hac communione, *ecclesia particularis* in eo loco interit (§. 500.); [illegible]*interit, si omnes eidem religioni addicti extirpentur, aut casu quodam funesto intereant.*

Vide, quæ antea annotavimus de interitu populi, sublato corpore (*not.* §. 497.).

§. 502.

De interitus ecclesiæ sublata corporis ratione.

Similiter cum ejusdem cultus publici communio tollatur, si non amplius permittitur, ut eidem conjunctim vacent, sicuti antea consueverant, vel vi expellantur, aut distrahantur, ut non amplius convenire possint, sublata autem communione cultus divini publici in eodem loco, *ecclesia particularis*, quæ ibidem fuerat, interit (§. 500.); eadem *interit, si non amplius permittitur, ut membra ejusdem sicuti ante cultui divino publico vacent, vel vi expellantur, aut distrahantur, ut non amplius cultus divini publici causa convenire possint.*

Non est, quod excipias, qui cultui divino publico in eodem loco vacabant, manere eidem religioni addictos, consequenter membra ecclesiæ manere: immo conjunctim adhuc convenire posse in loco quodam vicino cum aliis, qui eodem modo colunt Deum. Etenim membra manent ecclesiæ universalis, quæ non interiit, etsi interierit particularis, & qui cum aliis eidem religioni addictis in loco vicino conveniunt cultus

Digitized by Google

cultus divini publici causa non sunt membra ecclesiæ istius particularis, quæ in loco isto est, sed spectantur tanquam extranei, quibus aditus ad cultum divinum publicum permittitur, sicuti non cives sunt, quibus commerciorum causa aditus conceditur in terras nostras, sed extranei. Aliud est esse membrum ecclesiæ universalis, aliud vero membrum ecclesiæ particularis. Qui membrum ecclesiæ particularis est, is etiam membrum ecclesiæ universalis est, non vero ex adverso membrum ecclesiæ particularis est, qui universalis est membrum. Quamobrem qui desinit esse membrum ecclesiæ particularis, manere adhuc potest membrum ecclesiæ universalis, & per consequens intereunte licet ecclesia particulari, singuli tamen, qui fuerant ejusdem membra, manent membra ecclesiæ universalis, propterea vero non fiunt membra ecclesiæ cujusdam particularis alterius. Hæc satis manifesta sunt, modo animum attendas ad ea, quæ de differentia ecclesiæ universalis & particularis antea diximus (§. 484.).

§. 503.

Similiter cum communio ejusdem cultus publici in aliquo loco tollatur, si qui fuerant huic religioni addicti aliam amplectantur, aut ad eam amplectendam vi adigantur (§. 112. *part.* 2. *Theol. nat.*), sublata autem communione cultus publici in eodem loco, intereat *ecclesia particularis* (§. 500.) ea etiam *interit, si qui fuerant ejus membra, religionem aliam amplectantur, vel ad eam amplectendam vi aut metu adigantur*, seu brevius, *mutata religione in aliquo loco, ecclesia particularis interit, quæ antea ibidem fuerat.*

De interitu ecclesiæ particularis.

Ita e. gr. ecclesia Lutherana aliquo in loco interit, si qui fuerant eidem addicti catholicam amplectantur. Quamvis enim tum adhuc eodem in loco adhuc subsistat ecclesia quædam particularis, non tamen ea est, quæ fuerat antea. Neque eandem ecclesiam faciunt iidem homines, sed quia eidem religioni addicti eodem in loco communem cultum divi-

Digitized by Google

num publicum habent. Notandum vero in genere, non inutilibus accenſenda eſſe, quæ de interitu populi & eccleſiæ cujusdam demonſtravimus. Patebit enim in ſequentibus, inde alia definienda eſſe, quæ in Jure publico univerſali tradenda.

§. 504.

Mutatis ſedibus manet populum.

Si loco migraverit populus, & ſedes ab imperio vacuas occupat; populus manet. Etenim ſi loco migraverit populus & alias ſedes vacuas ab imperio occupat; conſociatio non tollitur, nec alieno imperio ſubjicitur, quod per ſe patet. Enimvero conſociatio civilis efficit populum (§. 5.). Quamobrem ſi loco migraverit & alias ſedes ab imperio vacuas occupat, populus manet.

Nihil refert, utrum populus loco migret ſua ſponte, an vero coactus, veluti ſi vi expellatur: differentia enim hæc in demonſtratione non attendenda. Similiter patet, parum referre, utrum ſedes ab imperio vacuæ ſint, quia a nulla gente adhuc occupatæ, an vero ideo, quod vetères incolæ fuerint expulſi, aut ſedes ſuas mutare coacti. Aliter ſe res habet, ſi in loca ſecedant, in quibus occupatum eſt imperium, & eidem ſeſe vel ſponte ſubjiciunt, vel ſubjicere coguntur. Tum enim fiunt acceſſio alterius populi, per ſe autem populus non manent. Quoniam vero alieno imperio non eodem modo ſubjici poſſunt; ideo quoque de eorum jure idem in omni caſu non licet pronunciare.

§. 505.

An mutata forma Reip. idem maneat populus.

Mutata forma Reip. populus idem manet. Quamvis enim forma Reip. hoc eſt modus exercendi imperii, ſeu gubernandi Remp. mutetur, conſociatio tamen civilis, quæ facit populum (§. 5.), propterea non mutatur, conſequenter principium unionis non tollitur (§. 491.), nec forma Reip.

Digitized by Google

Reip. quicquam in imperio quod inde oritur, mutat (§. 152.). Quamobrem cum populus ex distantibus constet (§. 490.), quæ vero ex distantibus constant eadem manent, quamdiu idem manet principium unionis (§. 493.); populus quoque idem manet, etsi forma Reip. mutetur.

Pendet a populi voluntate, num imperium per se, an per alium exercere velint (§. 36.), consequenter quamnam Reip. formam introducere (§. 131. *& seqq.*). Consociatio efficit populum, antequam de forma Reip. eligenda deliberet atque decernat: unum tamen eligat necesse est. Quamcunque igitur elegerit formam, nihil in ipsa consociatione mutatur, consequenter nec alius fieri potest populus, si hanc potius, quam aliam elegerit. Facit populus, quod vi juris sui facere potest. Esse hunc populum & esse hanc Reip. formam a se invicem minime dependent. Alia longe est ratio, cur mutata religione mutetur ecclesia: neque enim religio, seu modus colendi Deum (§. 912. *part. 2. Theol. nat.*) conferri potest cum forma Reip. seu modo exercendi imperium. Qui in unam ecclesiam coeunt, in hunc modum colendi Deum, consequenter in hanc religionem consentiunt & non alio fine consociantur, quam ut hoc modo colant Deum, non alio. Quamobrem si religio mutatur, perinde est, ac si, qui hoc fine consociati fuerant, nunc alio consocientur: quod sane idem est, ac a societate pristina discedere & aliam novam inire. Dispar igitur omnino ratio est, si in civitate forma Reip. in ecclesia religio mutetur. Sicuti non eadem manet Resp. si imperium hoc, vel alio modo exerceatur; ita nec eadem manet ecclesia, si hoc modo colatur Deus, vel alio. Quamobrem patet, cum ecclesia comparandam esse Remp. minime autem civitatem, vel populum. Resp. civitatis ordinatio est (§. 26.), & hæc diversa evadit pro diverso modo exercendi imperium, quemadmodum diversitas ecclesiæ oritur ex diverso modo colendi Deum. Si totum coetum religionariorum tanquam eas unum ex distantibus constans consi-

Digitized by Google

derare velis in oppositione ad irreligionarios, eum cum populo comparare posses, & tunc dici poterat, mutata religione eos, qui nunc alii religioni addicti sunt, coetum religionariorum manere. Ast istiusmodi abstractiones ab usu loquendi abhorrent, quamvis in præsenti attendendæ sint, ut nebulæ penitus dispellantur, ne caligine mentem obfuscent.

§. 506.

De statu democratico in regnum mutato.

Quoniam mutata forma Reip. idem manet populus (§. 505.), Resp. vero vel democratia, vel aristocratia, vel monarchia est, vel ex hisce quomodocunque mixta (§. 151. *& seqq.*); si sublata democratia introducatur monarchia, vel status mixtus ex democratia & monarchia, aut aristocratia, consequenter *si populus liber sibi imponit Regem, qualemcunque voluerit* (§. 139.), *idem manet & contra.*

Populus Romanus non eandem semper habuit Reip. formam: alia enim fuit sub Regibus, alia sub consulibus, alia sub imperatoribus. Idem vero semper fuit populus, non sub Regibus alius, alius vero sub consulibus, alius sub imperatoribus. Non est, quod objicias, populum interire, consequenter non manere eundem, si universi cives servitutem civilem subeant (§. 499.): etenim tum modus exercendi imperium non mutatur, quemadmodum contingit, si populus sibi Regem imponit & contra, sed ipsum imperium aufertur & quæ fuerat civitas sui juris juri alieno subjicitur.

§. 507.

Cujusnam sint res sacræ & ecclesiasticæ.

Res tam sacræ, quam ecclesiasticæ naturaliter sunt ecclesiæ particularis in certo quodam loco. Res enim sacræ cultui divino publico dicantur (§. 481.), ecclesiasticæ vero ad usus alios ecclesiæ spectant (§. 485.). Quamobrem cum ecclesia particularis cultum divinum publicum in eodem loco com-

Digitized by Google

communem habeat (§. 484.); rebus tam sacris, quam ecclesiasticis indiget. Necesse igitur est, ut vel communi sumtu comparentur, vel liberalitate membrorum quorundam ecclesiæ, aut aliorum ipsis donentur. Enimvero si proprio sumtu comparentur, per se patet, eas ecclesiæ particularis in isto loco esse, & quoniam res donata donatarii est (§. 48. *part. 4.* & §. 675. *part. 2. Jur. nat.*), si res sacræ & ecclesiasticæ libertate aliorum ecclesiæ donentur, eædem quoque ipsius sunt. Patet itaque res tam sacras, quam ecclesiasticas naturaliter esse ecclesiæ particularis in aliquo loco.

Ita templum in pago & res, quæ ad usum cultus divini in eodem dicatæ sunt, ecclesiæ sunt, quæ in isto pago est. Similiter ædes habitationi pastoris ecclesiæ in eodem destinatæ, & agri atque prata ad sustentationem ejus destinata sunt ecclesiæ istius. Huc etiam pertinent certa jura eodem fine ecclesiæ concessa, quorum exercitium pastori confertur.

§. 508.

An semper maneant ecclesiæ.

Quoniam ecclesia eadem manet, etiamsi alii homines decedant, alii in loca decedentium succedant, salva nimirum communione cultus divini publici in eodem loco (§. 495.); *res autem tam sacræ, quam ecclesiastica naturaliter* sunt ecclesiæ particularis in certo quodum loco (§. 507.); eædem *manent ecclesiæ* istius *particularis, etiamsi nemo eorum amplius in vivis sit, qui erant ecclesiæ membra, cum ea comparavrentur, aut quomodocunque acquirerentur.*

Ecclesia persona moralis est, quæ non moritur, etiamsi singuli, qui præsenti tempore eius membra sunt, moriantur, sed tamdiu vivere intelligitur, quamdiu vivunt homines eodem modo consociati, seu eidem cultui divino publico in eodem loco conjunctim vacantes. Quemadmodum itaque quilibet

Digitized by Google

quilibet dominium retinet in ſuis rebus, quamdiu vivit, ita etiam res ſacræ atque eccleſiaſticæ manent ejus eccleſiæ, cujus ab initio fuerant, quamdiu ſupereſt. Nihil in hiſce difficultatis eſt, modo perſonam moralem cum perſona phyſica non confundas & animum ad ea attendas, quæ differentiam eorum, quæ ex diſtantibus conſtant a cohærentibus faciunt (§. 489.)

§. 509.

Quale ſit jus eccleſiæ in rebus ſacris & eccleſiaſticis.

Eccleſiæ non competit jus rebus ſacris & eccleſiaſticis aliter utendi, quam ut adhibeantur ad eum uſum, cui deſtinatæ ſunt. Etenim res ſacræ ad cultum divinum dedicantur, nec uſum alium, quam ſacrum habere debent cum ex intentione eorum, qui eas eccleſiæ donant, tum membrorum eccleſiæ nunc viventis, quæ communi ſumtu easdem comparant (§. 481.), & cum res eccleſiaſticæ ad alios uſus eccleſiæ deſtinentur (§. 485.), eodem modo intelligitur, quod eosdem non alios uſus eædem habere debeant. Quamobrem eccleſiæ non competit jus rebus ſacris & eccleſiaſticis aliter utendi, quam ut adhibeantur ad eum uſum, cui deſtinatæ ſunt.

Quamvis naturaliter res tam ſacræ, quam eccleſiaſticæ ſint eccleſiæ (§. 507); dominium tamen earum reſtrictum eſt, quatenus uſus earum definitus, quem habere debent. Neque hoc ſingulare eſt. Etenim poſſum tibi donare rem quandam, ea lege, ut ne eadem uti poſſis niſi quemadmodum voluero. Etſi itaque alium quoque uſum habere illa poſſit, ab eodem tamen abſtinendum, quia tibi permiſſus non eſt. Transtuli in te dominium reſtrictum, aut ſi mavis, limitatum: acceptatione igitur tua jus aliud acquirere non potuiſti. Similiter ſi volui, ut jus in te translatum per te transmitti debeat ad alium, nonniſi jus eo, quem ſtatui, modo transmiſſibile acquirere potuiſti.

§. 510.

Digitized by Google

§. 510.

Ecclesia res sacras & ecclesiasticas pro lubitu alienare nequit. Etenim ecclesiæ non competit jus rebus sacris & ecclesiasticis aliter utendi, quam ut adhibeantur ad eum usum, cui destinatæ sunt (§. 409.), cumque usus iste subsistat, etiamsi singuli moriantur, qui nunc membra ecclesiæ sunt, & iisdem mortuis ecclesia non intereat, sed adhuc superstit (§. 495.), & res tam sacræ, quam ecclesiasticæ ejusdem maneant (§. 508.); neutrum autem eorum fieri possit, si alienentur (§. 662. *part. 2. Jur. nat.*); ecclesia quoque res sacras & ecclesiasticas pro lubitu alienare nequit.

An res sacræ & ecclesiasticæ ab ecclesia alienari possint.

Videndum omnino est, quale jus in rebus sacris & ecclesiasticis acquisiverit ecclesia, cum ejusdem propriæ factæ sunt. Quæ non destinata sunt ad temporarium usum, eundem ecclesiæ subducere nequeunt, qui in præsenti ecclesiam faciunt. Idem accidit circa res sacras & ecclesiasticas, quod obtinet in translatione imperii, ut qui nunc sunt ecclesiæ membra eas habeant jure usufructuario, non vero pleno jure proprietatis, proprietate nimirum manente apud ecclesiam totam, quæ etiam membra futura complectitur, sicuti Rex in regno successorio jure usufructuario habet imperium, quod ad successores transmittendum, proprietate revera manente apud populum, etsi exercitium juris suspendatur, ac quodammodo restringatur. Quod est ecclesiæ, non est hominum, qui nunc ecclesiam faciunt. Etsi enim qui nunc vivunt ecclesiam nunc faciant; cum tamen iidem non faciant omni tempore, qui nunc faciunt, ecclesiæ contra distinguendi sunt, quatenus spectatur tanquam ens perpetuo duraturum, aut, si mauis, interitu successivo membrorum præsentium non interiturum.

§. 511.

Qui nunc ecclesiam faciunt de rebus sacris & ecclesiasticis disponere non possunt in præiudicium ecclesiæ pro tempore futuro.

De restrictione jure in rebus

Digitized by Google

sacris & ecclesiasticis.

turo. Res sacræ & ecclesiasticæ naturaliter sunt ecclesiæ particularis in certo loco (§. 507.) & ejusdem manent, etiamsi singuli, qui nunc ejus membra sunt, moriantur (§. 508.). Quamobrem cum tam sacræ (§. 481.), quam ecclesiasticæ destinatæ sint ad certum usum (§. 485.), nec ecclesia aliter iisdem vti debet, quam ad hunc usum, cui destinatæ sunt (§. 509.); qui in posterum ecclesiam facient, iisdem idem usus competit, consequenter qui nunc ecclesiam faciunt illis, qui in posterum eandem facient, pro lubitu eundem auferre minime possunt (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque id fieret, si in præiudicium ecclesiæ pro futuro tempore disponerent; qui nunc ecclesiam faciunt de rebus sacris & ecclesiasticis disponere non possunt in præjudicium ecclesiæ pro futuro tempore.

Usus rerum sacrarum & ecclesiasticarum pertinet ad ecclesiam, quæ manet, etiamsi singuli, qui nunc eam faciunt, fuerint mortui (§. 494.). Præsentia igitur membra violant jus ecclesiæ, si quomodocunque de rebus istis disponant, ut futuro tempore ecclesia eundem usum habere non possit, consequenter injuriam faciunt iis, qui futuro tempore ecclesiam facient (§. 859. *part. 1. Jur. nat*). Quamobrem injustum est, quicquid disponitur de rebus sacris & ecclesiasticis in præjudicium ecclesiæ pro tempore futuro (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoties ecclesia dicitur, non intelliguntur homines, qui nunc eandem faciunt, etiamsi omnes simul sumantur (§. 494.). Iura igitur ecclesiæ spectanda non sunt tanquam hominibus hisce competentia.

§. 512.

De rebus sacris in usum eccle-

Si res sacræ superfluæ adfuerint, rerum ecclesiasticarum vero penuria; illas vendere & in usus alios Ecclesiæ necessarios pecuniam inde collectam impendere naturaliter licet. Quodsi enim res quædam sacræ fuerint superfluæ, cum rerum sacrarum usus

Digitized by Google

uſus in cultu divino ſit (§. 481.), absque iis cultus divinus celebrari poteſt (§. 239. *part. 4. Jur. nat.*), conſequenter iis carere poteſt eccleſia. Quodſi vero rerum eccleſiaſticarum fuerit penuria, ad uſus alios eccleſiæ neceſſarios minime ſufficiunt, quod per ſe patet. Quamobrem cum tam res ſacræ, quam eccleſiaſticæ ſint eccleſiæ (§. 507.) quæ iisdem ita uti debet, ut eccleſiæ omni modo proſpiciatur (§. 481. 485.); naturaliter nil obſtat, quo minus res ſacras, quibus carere poteſt in cultu divino, impendat in alios uſus Eccleſiæ neceſſarios ad cultum divinum directe non ſpectantes, ejus tamen cauſa faciendos; Naturaliter igitur res ſacras ſuperfluas vendere licet, ſi rerum eccleſiaſticarum fuerit penuria, & pecuniam inde collectam in alios uſus Eccleſiæ impendere licet. *ſiæ impendendis.*

E. gr. ponamus ædes habitationi miniſtrorum eccleſiæ deſtinatas eſſe reficiendas, ne collabantur, reditus autem eccleſiaſticos reficiendis minime ſufficere; ſi res ſacræ ſuperfluæ adfuerint, quia eas alienare & pecuniam inde collectam in refectionem ædium eccleſiaſticarum impendere naturaliter liceat, dubitandum non eſt. Idem intelligitur eo in caſu, ſi reditus eccleſiæ caſu quodam imminui contingat, ut ad ſuſtentationem miniſtrorum eccleſiæ non amplius ſufficiant. Miniſtris eccleſiæ carere nequit eccleſia, ſi cultus divinus publice celebrari debet; rebus autem ſacris, ſi quæ ſuperfluæ fuerint, carere poteſt. Intereſt igitur eccleſiæ, ut miniſtris eccleſiæ de habitatione & ſuſtentatione proſpiciatur, aſt parum intereſt, ut res ſacras ſuperfluas habeat. Quamobrem cum res ſacræ ad cultum diuinum publicum dedicarentur, caſus propoſitionis præſentis tacite exceptus intelligitur. Quemadmodum eleemoſynam petere non licet iis, qui labore ſuo tantum acquirere valent, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit (§. 220. *part. 4. Jur. nat.*); ita nec eccleſia aliorum opem implorare debet,

Digitized by Google

debet, quamdiu ipſamet neceſſitati ſuæ proſpicere valet. Ceterum in caſu propoſitionis præſentis non disponi de rebus ſacris in præjudicium eccleſiæ pro tempore futuro, quod facere minime licet (§. 511.), nemo non videt.

§. 513.

De rebus ſacris, quæ inutiles factæ.

Si res quædam ſacræ factæ fuerint inutiles; eas alienare & pecuniam inde redactam vel in uſum ſacrum, vel eccleſiaſticum impendere licet, prout caſus tulerit. Etenim ſi res quædam ſacræ inutiles factæ fuerint, in cultu divino publico nullum amplius uſum habere poſſunt (§. 481.). Quoniam tamen eccleſiæ ſunt (§. 507.); ea de iis in utilitatem eccleſiæ disponere poteſt: quod cum fiat, ſi alienentur & pecunia inde redacta in uſum ſive ſacrum, ſive eccleſiaſticum impendatur, prouti is, vel hic magis neceſſarius; quo minus hoc fiat, quoniam non diſponitur in præjudicium eccleſiæ pro futuro tempore, quod facere minime licet (§. 511.), nihil omnino obſtat. Quamobrem ſi res quædam ſacræ factæ fuerint inutiles, eas alienare & pecuniam inde redactam vel in uſum ſacrum, vel eccleſiaſticum impendere licet, prout caſus tulerit.

Non obſtat, quod res ſacræ alium uſum, præter ſacrum, habere non debeant (§. 481.), nec eccleſia easdem ad alium uſum adhibere poſſit, quam cui deſtinatæ ſunt: id enim intelligitur, quamdiu uſum iſtum habere poſſunt. Non eo fine ab eccleſia, quæ nunc eſt, comparantur, aut eidem ab aliis offeruntur, ut nullum habeant uſum, conſequenter ut inutiles factæ aſſerventur. Res omnes ſunt uſus gratia & hujus cauſa comparantur. Stultum eſt aſſervare res, quæ nulli uſui ſunt, & carere rebus, quæ uſui eſſe poterant.

§. 514.

Digitized by Google

§. 514.

Si temporum calamitate reditus ecclesiastici ita imminuantur, ut sustentationi ministrorum ecclesiæ non sufficiant, aut ob intolerandam famem pauperum vitæ succurrendum, vel in aliis sacrarum necessitatibus subveniendum sit miseris; res sacras alienare licet. Etenim res sacræ ad cultum divinum dedicatæ sunt (§. 481.), consequenter cultu divino sublato, earum usus expirat. Quamobrem si temporum calamitate reditus ecclesiastici ita imminuantur, ut sustentationi ministrorum ecclesiæ non sufficiant, cum sine his cultus divinus publicus subsistere non possit (§. 459.); res sacras hujus conservandi causa alienare licet. *Quod erat unum.*

De alienatione rerum ob extremam necessitatis.

Quodsi intoleranda fames ita premat pauperes, ut vitæ eorum sit succurrendum; eidem succurrere opus misericordiæ est (§. 255. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum misericordes esse debeamus erga eos, qui a malo, quo affliguntur, se ipsos liberare nequeunt (§. 259. *part. 4. Jur. nat.*), & ut hoc faciamus, Deus velit (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), obedientia vero Deo præstita sit pars cultus divini interni (§. 1234. *part. 1. Jur. nat.*); cultui divino interno repugnat malle servare res sacras cultus externi splendidioris causa, quam vitæ pauperum subvenire. Quoniam itaque in casu collisionis cultus Dei internus præferendus splendori cultus externi, qui eo carere potest, cum ille sit indispensabilis necessitatis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); si ob intolerandam famem vitæ pauperum succurrendum, res sacras alienare licet. *Quod erat secundum.*

Idem eodem modo intelligitur, si in aliis necessitatibus subveniendum miseris. *Quod erat tertium.*

Temporum calamitate imminui posse reditus ecclesiasticos,

Digitized by Google

ut ſuſtentationi miniſtrorum eccleſiæ non ſufficiant, in dubium reuocari nequit. Contingere poteſt iſtiusmodi imminutio, tum copiis hoſtilibus terras infeſtantibus, tum annonæ caritate per multum temporis continuata. Operibus vero miſericordiæ eſſe etiam locum in alio caſu, quam in quo fames intoleranda premit pauperes, exemplum *a Juſtiniano* in Inſtitutionibus de Rer. div. §. 8. loquitur, ſi ejusdem religionis conſortes ab hoſtibus capti redimendi ſint & nihil aliud ſuppetat, unde redimantur. Et quamvis hic potiſſimum habenda ſit ratio eorum, qui ejusdem eccleſiæ particularis fuerunt membra; non tamen ad hæc ita reſtringuntur opera miſericordiæ, ut non extendenda ſint etiam ad membra eccleſiæ univerſalis. Conſona hæc ſunt principiis Juris naturæ, etiamſi hic ſeponamus ea, quæ a religione chriſtiana veniunt. Quamvis vero qui res ſacras eccleſiæ donarunt, vel pecuniam ad eas comparandas, eas dedicaverint ad cultum divinum publicum & præciſe ad eum uſum, quem in eodem habere poſſunt, vel quem ipſimet expreſſe dixerunt; non tamen dici poteſt, a voluntate ipſorum alienum eſſe, ut in caſu neceſſitatis inde ſubveniatur vitæ miniſtrorum eccleſiæ, vel pauperum, aut miſeris aliis ſuccurratur: huc enim ducit bona interpretatio (§. 515. *part. 6. Jur. nat.*).

§. 515.

De nexu Iuris oppignorandi cum jure alienandi.

Qui rem alienare poteſt, eam etiam oppignorare poteſt. Qui enim rem oppignorat, in creditorem transfert jus conditionatum eandem vendendi (§. 1145. *part. 5. Jur. nat.*), conſequenter dominium transferendi (§. 939. *part. 4. Jur. nat.*), adeoque alienandi (§. 662. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem cum jus alienandi in alterum transferre poſſit, qui habet, ſeu rem alienare poteſt; qui rem alienare poteſt, eandem etiam oppignorare poteſt.

Quando res oppignoratur, periculo alienationis exponitur (§. 1144.

Digitized by Google

(§. 1144. *part. 5. Jur. nat.*). Unde oppignoratio via ad alienationem esse dicitur. Quamobrem facile patet jus oppignorandi rem ita cohærere juri alienandi, ut sine hoc concipi non possit, cumque minus sit rem periculo alienationis exponere, quam actu alienare, non minus patet, qui rem actu alienare potest, eundem quoque eam periculo alienationis exponere, consequenter oppignorare posse.

§. 516.

Quoniam qui rem alienare potest, eam etiam oppignorare potest (§. 515.); facile intelligitur, *res sacras & ecclesiasticas eo in casu oppignorari posse, in quo eas alienare licet.* *De oppignoratione rerum sacrarum & ecclesiasticarum.*

Non igitur opus est, ut figillatim demonstretur, quandonam res sacræ & ecclesiasticæ oppignorari possint.

§. 517.

Si res sacras & ecclesiasticas oppignorando necessitati parere datur; eadem alienanda non sunt. Etenim si res sacras & ecclesiasticas oppignorando necessitati parere datur; ut alienentur, nulla necessitas urget. Quamobrem cum ecclesiæ non competat jus res sacras & ecclesiasticas pro lubitu alienandi (§. 510.), consequenter nec eas absque urgente quadam necessitate alienare debeat; si eosdem oppignorando necessitati præsenti parere detur, alienandæ non sunt. *Quando oppignoratio alienationi præferenda.*

Si res oppignorando necessitati parere datur, cum spes reluendi pignus ecclesiæ supersesse, tum adesse debet, qui pecuniam sub pignore, vel hypotheca credere velit. Quodsi oppignoratione necessitati præsenti parere detur, alienatio fit in præjudicium ecclesiæ pro futuro tempore: id quod fieri minime debet (§. 511.). Non est quod objicias, spem reluendi pignus esse fallacem, cum futura prævidere non liceat, & qui ecclesiam nunc faciunt plus sperare posse de facultatibus

Digitized by Google

bus ecclesiæ, quam in iis est: etenim si spes fallat, alienationi via minime præcluditur, quæ vero actu alienata sunt, ea recuperare haudquaquam datur. Quamobrem inprimis probe dispiciendum, ne res immobiles ecclesiasticæ alienentur, quamdiu oppignorando servari possunt. Hæc quamvis ad prudentiam ecclesiæ spectare videantur, in jure tamen naturæ etiam attendenda veniunt, quia qui nunc ecclesiam faciunt de rebus sacris & ecclesiasticis disponere non debent in præjudicium ecclesiæ pro futuro tempore. Aliter prorsus sese res habet, si qui de re disponit pleno jure sit dominus, ut de ea disponere possit pro lubitu (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*), & ipsi quoque permittendus sit juris sui abusus (§. 169. *part. 2. Jur. nat.*), cum nihil faciat in præjudicium tertii (§. 120. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 518.

De rebus sacris necessariis.

Res sacræ necessariæ dicuntur, sine quibus cultus divinus publicus locum habere non potest, aut saltem commode habere nequit. Quoniam templa sunt rebus sacris accensenda (§. 461. 481.); sine iis autem cultui divino publico vacare non liceat, aut saltem minus commode (§. 461.); *templa rebus sacris necessariis annumeranda veniunt.*

Enumeratio rerum sacrarum necessariarum fieri nequit, cum cultus divinus publicus variet pro diversitate religionum, ita ut non in omni Ecclesia earundem rerum indispensabilis sit usus. Ita Christiani in sacra coena, quæ ad cultum divinum publicum spectat, opus habent calice, quo carere possunt qui alii quam christianæ religioni addicti sunt. Templa annumeravimus rebus sacris necessariis. Quamvis enim qui eidem religioni addicti sunt, cultus divini celebrandi causa in ædibus etiam privatis, immo in locis quibuscunque aliis convenire possint; nemo tamen diffiteri potest, si ingens membrorum ecclesiæ fuerit multitudo, id parum commode fieri

Digitized by Google

fieri poſſe non modo ob anguſtias loci, verum etiam ob cauſas alias, quas experientia facile ſuggerit.

§. 519.

Res ſacræ utiles dicuntur, quæ etſi neceſſariæ non ſint, cultum tamen divinum promovent, aut facilitant. Quamobrem cum ceremoniæ in memoriam nobis revocent ea, quorum in cultu divino meminiſſe debemus (§. 442. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *res ſacræ ceremoniis ſervientes rebus ſacris utilibus annumerandæ.* Et eodem modo patet, *imagines* quoque *in templo collocatas, quæ attributa & beneficia inſignia Dei, itemque ſingularia pietatis exempla in memoriam nobis revocant, in eundem cenſum venire.* *De rebus ſacris utilibus.*

Ad res ſacras utiles referendæ ſunt apud chriſtianos veſtes ſacræ, quibus utuntur ſacerdotes in euchariſtiæ adminiſtratione, candelabra in altaribus poſita, imagines Chriſti crucifixi in iisdem collocatæ. Pertinent enim res iſtæ ad cultum divinum ceremonialem, cultus interni incitamenta: id quod in dubium vocari nequit, modo animum attendere velis ad ea, quæ in parte ſecunda Philoſophiæ practicæ univerſalis prolixe demonſtravimus.

§. 520.

Res pretioſæ dicuntur, quæ magno pretio comparantur; *minus pretioſæ* vero, quæ exiguo, vel vili pretio comparari poſſunt. Quoniam rerum pretium æſtimatur cum ex materia, ex qua conſtant, tum ex artificio, quo perficiuntur; *res ſacræ tam neceſſariæ, quam utiles & pretioſæ, & minus pretioſæ* eſſe poſſunt (§. 518. 519.). *De rebus ſacris pretioſis & minus pretioſis.*

Calices ſunt res ſacræ neceſſariæ (*not.* 518.): aſt quis eſt, qui neſciat, argenteos & auratos pretioſiores eſſe ſtanneis, & gemmis textos eſſe pretioſiores argenteis, qui iisdem deſtituun-

Digitized by Google

tur. Similiter tabularum pictarum pretium infigniter auget artificium, & ornatum altarium tam materia, quam artificium pretioſum facit. Tabulæ autem pictæ & quæ ad ornatum altarium pertinent rebus ſacris utilibus accenſentur (§. 519.).

§. 521.

Effectus pretioſitatis rerum ſacrarum.

Pretioſitas rerum ſacrarum eſt incitamentum magnificationis Dei. Cum enim rebus ſacris in cultu divino publico utamur; ſi fuerint pretioſæ, eo ipſo indigitamus, nos Deum maximi facere debere, conſequenter magnitudinis ejus ideam in animo ſuſcitant, ad quem colendum accedimus. Quoniam itaque omnis cogitationum noſtrarum ſeries a ſenſu incipit (§. 64. *Pſych. nat.*); rerum ſacrarum pretioſitas appetitum movet ad Deum maximi faciendum, conſequenter magnificationis Dei incitamentum eſt.

Qui rerum ſacrarum pretioſitatem damnant, vel vili pendunt, quia ad cultum Numinis internum non facit, quod pura ſaltem mente colendum; naturam mentis humanæ ignorant, aut ſaltem non cognoſcunt diſtincte. Neque enim perpendunt, nos ſenſu duci ad actus internos, in quibus cultus divinus internus conſiſtit. Quamvis vero ſint, qui pretioſitatis rerum ſacrarum non faciunt uſum, quem habere debent; neglectus tamen uſus non tollit uſum, ſicuti nec abuſus eundem tollit, ſi qui cultum internum ab externo ſeparantes in hoc ſolo acquieſcunt. Nec eſt, quod objicias, fieri non poſſe, ut in omni Eccleſia res ſacræ ſint pretioſæ, conſequenter cultum divinum deficere in nonnullis, ubi minus pretioſæ ſunt. Homines enim de pretioſitate rerum ſacrarum ſtatuunt ex pretio rerum ſuarum. Quamobrem quæ alicubi pretioſæ habentur, alibi viles æſtimantur. Sufficit itaque res ſacras pretio diſtingui a rebus, quibus nos utimur, præſertim ad decorem. Ipſa experientia veritatem propoſitionis præſentis confirmat

Digitized by Google

firmat non modo in vulgo imperito, verum etiam in aliis, qui vulgo altius ſapiunt.

§. 522.

In pretioſitas rerum ſacrarum conveniat juri naturæ.

Quoniam pretioſitas rerum ſacrarum eſt incitamentium magnificationis Dei (§. 521.), Deum autem maximi facere debemus (§. 1181. *part. 1. Jur. nat.*) & ejusdem magnificatio ad cultum divinum internum ſpectat (§. 1234. *part. 1. Jur. nat.*), ab externo minime ſeparandum (§. 1254. *part. 1. Jur. nat.*); *rebus ſacris*, quæ cultui divino publico unice dicatæ ſunt (§. 481.), *recte utimur pretioſis*, conſequenter *earum pretioſitas juri naturæ convenit* (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Cum lex naturæ regat omnes actus humanos; abſonum minime videri debet, quod etiam diſponat de pretioſitate rerum ſacrarum, de qua multa adhuc dici poterant, quæ eandem commendant, niſi hic ſufficeret earum convenientiam cum Jure naturæ eſſe evictam. Illud tantummodo probe adhuc inculcandum, nos pretioſitatis rerum ſacrarum eum facere debere uſum, quem ea habere debet, & ut facere valeamus, magnitudinem Dei eſſe agnoſcendam & propoſitum eam maximi faciendi animo firmiter eſſe infigendum, tunc enim ideam illius conſpectus rerum ſacrarum pretioſarum ex templo ſuscitabit & ad exequendum propoſitum magnificationis divinæ ducet: id quod proderit in omni cultu divino reliquo & inprimis faciet, ne internum ab externo ſeparemus.

§. 523.

De pretioſitate in alienatione rerum ſacra-

Si neceſſitas res ſacras alienare cogit, pretioſa præſertim utiles potius alienandæ, quam minus pretioſa, & in locum neceſſariarum ſubſtituendæ ſunt minus pretioſæ. Etenim cum res pretioſæ utiliter quidem in cultu divino adhibeantur (§. 521.),

rum attendenda.

ſine iis tamen cultus divinus ſubſiſtat, & alienatione pretioſarum facilius proſpiciatur neceſſitati præſenti, quam minus pretioſarum, quod per ſe patet, ac præterea earundem alienatio id præſtet, ut rectius perpendatur calamitas præſentis temporis, quæ alienandi neceſſitatem imponit, quod utilitate ſua non caret, pro diverſitate circumſtantiarum haud difficulter æſtimanda; ſi neceſſitas res ſacras alienare cogit, pretioſæ potius alienandæ ſunt, quam minus pretioſæ. *Quod erat primum.*

Quoniam ſine rebus utilibus cultum divinum celebrare poſſumus, non vero ſine neceſſariis (§. 518. 519.), utut neceſſe non ſit ut neceſſariæ ſint pretioſæ, cum magnificationis Dei adhuc alia dentur incitamenta, quam rerum pretioſitas, in quo uſus ejus conſiſtit (§. 521.), immo ſi neceſſariæ fuerint pretioſæ, eæ eundem uſum habeant quam pretioſæ utiles; ſi rerum ſacrarum alienationem neceſſitas quædam unget, alienandæ potius ſunt res utiles, quamvis pretioſæ, quam neceſſariæ. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum rebus neceſſariis carere nequeamus in cultu divino publico (§. 518.); ſi res pretioſæ neceſſariæ alienentur, in earum locum utique ſubſtituendæ ſunt ſimiles minus pretioſæ. *Quod erat tertium.*

Non diffiteor, plura ſubinde attendenda eſſe, ſi decerni debeat, quænam ex rebus ſacris ſint alienandæ, ſive ea ſpectes, quæ alienandi neceſſitatem imponunt, ſive res ipſas ſacras: nimis tamen prolixum foret ſingulorum rationem excutere. Quæ igitur in caſu emergente perpendenda, prudentiæ alienantium relinquenda. Immo nec huic ſemper locum facit neceſſitas, cui parendum. Ita ſæpe deeſt occaſio alienandi, quæ velis, & tunc alienanda ſunt, quæ retinere malles.

§. 524.

Digitized by Google

§. 524.

Si ecclesia interit, res sacræ & ecclesiasticæ fiunt res nullius. Etenim cum res sacræ & ecclesiasticæ ad cultum divinum publicum & usum quendam ecclesiæ spectent (§. 481. 485.), & naturaliter ecclesiæ particularis sint (§. 507.); si hæc interit, nemo amplius est, qui eas tanquam sibi debitas prætendere possit. Quamobrem cum res nullius sit, quam nemini hominum jus proprium competit (§. 6. *part.* 2. *Jur. nat.*); si ecclesia interit, res sacræ & ecclesiasticæ fiunt res nullius. *Cujusnam sint res sacræ & ecclesiasticæ ecclesia intereunte.*

Eodem modo sese res habet, ac si moriatur homo, cui hæres nullus existit. Quoniam enim post mortem ejus dominium, quod habuit, in alium non transit; res, quas habuit, dominio vacuæ sunt, ac per consequens nullius. Quando vero ecclesia interit, perinde est ac si moreretur, & per se patet, neminem esse, cui competat jus in bona ejus succedendi. Erunt igitur res sacræ atque ecclesiasticæ dominio itidem vacuæ, ac per consequens nullius. Non dubito fore haud paucos, quibus paradoxum hoc videbitur; sed hi erunt, qui præjudiciis capti quod naturale est cum eo confundunt, quod a voluntate hominum venit. Nobis vero propositum est ostendere, quod naturale est.

§. 525.

Quoniam res sacræ & ecclesiasticæ nullius fiunt, ecclesia intereunte (§. 524.), res autem nullius statim fiunt occupantis, si jus occupandi nemini adhuc proprium fuerit, si autem proprium factum, ejus, cui hoc jus proprium est (§. 317. *part.* 2. *Jur. nat.*); *ecclesia intereunte, res sacræ & ecclesiasticæ ab eo acquiruntur, qui eas occupat, si jus occupandi nemini adhuc proprium factum, in casu autem opposito ejus fiunt, cujus occupandi proprium est.* *Cujusnam fiant res sacræ & ecclesiasticæ ecclesia intereunte.*

Digitized by Google

Non obſtat, quod res ſacræ ad alium uſum adhiberi non debeant, niſi ad ſacrum (§. 481). Etenim hæc obligatio eccleſiam tantummodo tangit, quamdiu exiſtit (§. 509.). Quodſi ea non amplius exiſtat, nullus quoque amplius illarum rerum ſacer uſus eſt, cultu divino publico ceſſante, ac per conſequens quæ fuerant res ſacræ, ſacræ eſſe deſinunt. Idem quoque intelligitur de rebus eccleſiaſticis.

§. 526.

Quando eas Rector civitatis acquirat.

Quoniam eccleſia intereunte res ſacræ & eccleſiaſticæ fiunt ejus, cui jus occupandi res dominio vacuas competit, ſeu proprium factum eſt (§. 525.); *Si hoc jus in Rectorem civitatis fuerit translatum, aut alio modo ei proprium factum, Rectoris civitatis fiunt res ſacræ & eccleſiaſticæ, eccleſia intereunte,* conſequenter *de iis diſponere poteſt, prouti viſum fuerit* (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*)

Jus occupandi res dominio vacuas a Rectore civitatis alio adhuc modo acquiri poſſe, quam ut a populo in eum transferatur, ſuo loco patebit.

§. 527.

De rebus ſacris & eccleſiaſticis mutata religione.

Si eccleſia religionem mutat, nec jus occupandi res dominio vacuas Rectori civitatis competit; res ſacræ & eccleſiaſticæ eorum fiunt, qui novam eccleſiam faciunt, ſeu manent eccleſiæ novæ: quodſi vero ſuperiori civitatis competat jus occupandi res dominio vacuas, de iis diſponere debet in uſum eccleſiæ novæ, prouti neceſſarium videbitur. Quodſi enim eccleſia religionem mutet, interit (§. 503), conſequenter res ſacræ & eccleſiaſticæ fiunt nullius (§. 524). Quamobrem ſi jus occupandi res dominio vacuas non competat Rectori civitatis, qui novam eccleſiam faciunt, jus res ſacras & eccleſiaſticas eccleſiæ intereuntes occupandi habent. Fiunt igitur, mutata religione, ipſorum res iſtæ (§. 525). *Quod erat primum.*

Enimvero

Digitized by Google

Enimvero qui novam eccleſiam faciunt, iidem ſunt, qui priorem faciebant, quod per ſe patet. Quamobrem cum eorum ſint res ſacræ & eccleſiaſticæ, mutata religione, qui novam eccleſiam faciunt, niſi jus occupandi res dominio vacuas competat Rectori civitatis *per demonſtrata n. 1.* mutata religione res ſacræ & eccleſiaſticæ manent apud eccleſiam novam. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi denique Rectori civitatis competat jus occupandi res dominio vacuas, cum mutata religione eccleſia intereat (§. 503), res ſacræ & eccleſiaſticæ fiunt Rectoris civitatis (§. 526). Enimvero cum Rectori civitatis curæ eſſe debeat, ut ſubditi colant Deum (§. 458), neceſſe etiam eſt, ut eccleſiæ proſpiciat de iis, quæ ad cultum divinum publicum & alios uſus eccleſiæ requiruntur, conſequenter ne deſint res ſacræ & eccleſiaſticæ (§. 481. 485). Quamobrem cum de rebus ſacris atque eccleſiaſticis, quæ fuerant eccleſiæ prioris, pro lubitu diſponere poſſit (§. 526); mutata religione de iis diſponere debet in uſum novæ eccleſiæ, prouti neceſſarium videbitur. *Quod erat tertium.*

Non omnis religio eundem requirit apparatum rerum ſacrarum, nec eundem numerum rerum eccleſiaſticarum: id quod adeo manifeſtum eſt, ut plura eam in rem dicere ſuperfluum foret. Quemadmodum itaque eccleſia nova, ſi res ſacras & eccleſiaſticas prioris retinet, de iis diſponere poteſt, ſicuti religioni ſuæ convenit; ita quoque Rector civitatis, quando eas acquirit, in uſum novæ eccleſiæ diſponere poteſt, prouti eidem neceſſarium videbitur, ut cultus divinus novæ religioni convenienter celebrari poſſit. Si alius fuerit Rector eccleſiæ, quam civitatis, cui ſubſunt omnes eccleſiæ particulares; facile patet, de Rectore eccleſiæ eadem tenenda eſſe, quæ de Rectore civitatis demonſtrantur. Sed hic quoque non confundenda ſunt, quæ juris naturalis ſunt, cum iis, quæ ab inſtituto

Digitized by Google

ſtituto veniunt, id quod clarius eluceſcet, ubi alia inferius a nobis fuerint demonſtrata. Nullas hic religiones ſupponimus, quæ in orbe vel olim floruerunt, vel etiam nunc florent; ſed de religione nonniſi in abſtracto agitur in Jure naturæ. Quæ enim facti ſunt, extra ſphæram hujus Juris ſunt, etſi quæ in genere demonſtrantur, ad quamlibet religionem applicari poſſint & debeant; ut agnoſcatur & fiat, quod juſtum & æquum eſt.

§. 528.

Quando Rector civitatis res ſacras & eccleſiaſticas novæ eccleſiæ relinquere debeat.

Quoniam *Rector civitatis* res ſacras & eccleſiaſticas mutata religione acquirens de iis in uſum novæ eccleſiæ diſponere debet, prouti neceſſarium videbitur (§. 527), & eidem jus competit de iis pro lubitu diſponendi (§. 526); *mutata religione res ſacras & eccleſiaſticas eccleſiæ novæ omnes relinquere poteſt, immo ſi iisdem omnibus indigeat, relinquere debet, cumque tunc ſint eccleſiæ novæ, hæc pro lubitu disponere poteſt, quanam ad uſum ſacrum, quanam ad eccleſiaſticum deſtinari debeant* (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*) *niſi ipſe Rector civitatis certam uſus legem præſcripſerit* (§. 112. *part. 2. Jur. nat.*).

Mutata religione res, quæ fuerant ſacræ vel eccleſiaſticæ, tales non manent, nec tanquam tales acquirit Rector civitatis. Quando igitur eas eccleſiæ novæ donat, de earum deſtinatione vel ipſe ſtatuere poteſt, vel eccleſiæ novæ liberum relinquere, ut ſtatuat, quomodo e re ipſi viſum fuerit. Cura cultus divini publice tacite ineſt pacto originario, quo civitas conſtituta, & unde enatum eſt imperium Rectori civitatis competens. Quamobrem obligatio ejus, de qua hic agitur, perfecta eſt, ut ſine injuria eandem inſuper habere nequeat: id quod ſatis manifeſtum eſt iis, qui principiis Juris naturæ paſſim demonſtratis animum imbutum habent, ut prolixa demonſtratione minime ſit opus.

§. 529.

Digitized by Google

§. 529.

Comoedias dicimus repræsentationes factorum personarum sive verarum, sive fictarum & exitus læti. Qui comoedias agunt, *Actores* appellantur. Idiomate patrio comoedias Schauſpiele, abusu loquendi, qui invaluit, Comödien appellamus. *Tragoedias* autem vocamus repræsentationes factorum personarum sive verarum, sive fictarum & exitus tristis. Vernaculo sermone dicimus Trauer-Spiele, abusu loquendi frequentissime Tragödien. *Comoedia quid sit & Tragoedia.*

Veteres comoedias a tragoediis distinguebant personarum conditione & fortunarum negotiorumque qualitate atque exitu. In comoediis inducebantur personæ humiles; in tragoediis heroës, reges, duces. In iis in mores hominum invehebatur; in his nonnisi tristes exitus & fortunarum priorum in pejus mutatio repræsentabantur, ut eis, quod triste est, proprium esset. Nos insuper habita personarum conditione in distinguendis comoediis a tragoediis potissimum ad eventus & exitus negotiorum respeximus, tum quod hæc differentia magis convenire videatur usui loquendi apud nos recepto, tum quod significatus vocabulorum ita determinatus instituto præsenti magis convenit.

§. 530.

Comoedia & tragoedia eundem, quem exempla propria experientia, præbent usum, sed efficacia majore. Etenim comoediæ & tragoediæ repræsentant facta hominum & exitum eadem subsecutum (§. 529.), consequenter perinde est, ac si singula fieri ac evenire propriis oculis videremus. Facta hominum & exitus, quem habent, exempla sunt (§. 250. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & eorum, quæ ipsimet videmus, propria experientia est (§. 664. *Log.*). Quemcunque igitur usum præ- *Usum quem nam præbeant comoediæ & tragoediæ.*

Digitized by Google

bent exempla experientiæ propriæ, eum etiam præbere debent comoediæ atque tragoediæ. *Quod erat unum.*

Enimvero in comoediis & tragoediis facta hominùm ad eundem exitum referenda, una cum eodem atque ceteris omnibus quomodocunque ad ea ſpectantibus, in continua ſerie repræſentantur, quæ in ſe longo ſubinde temporis tractu disjuncta ſunt, ita ut ſingula propriis oculis uſurpare & memoriæ infigere, conſequenter eorum a ſe invicem dependentiam obſervare non valeamus. Quamobrem cum in dubium revocari minime poſſit, comoedias & tragoedias multo perfectiorem ideam factorum humanorum & exitus ea ſubſequentis animo ingenerare & firmius memoriæ infigere, quam experientiam nonniſi multo ſtudio atque magna circumſpectione acquirendam; comoediæ & tragoediæ eundem, quem exempla propriæ experientiæ, uſum præbent efficacia multo majore. *Quod erat alterum.*

Si nobis prolixioribus eſſe liceret, multo luculentius doceri poterat, quantum ideæ, quas comoediæ atque tragoediæ animo ingenerant, præſtent iis, quas experientia propria hominibus ſuppeditat. Sed haud difficile erit, ea per ſe cognoſcere, modo diverſitas modi ideam acquirendi in utroque caſu rite perpendatur. Inprimis hic conſiderari debet, quod in comoediis atque tragoediis facilius conſervetur attentio ad ea, quæ ideæ iſti ineſſe debent, quam eadem afferri poteſt ad ſingula, ſi ipſimet ea experiri velimus. Ceterum hic ſupponimus, comoedias atque tragoedias tales eſſe, quales eſſe debent, ut proſint. Abſit enim, ut exiſtimes, nos omnes promiſcue probare. Quemadmodum enim exempla alia bona, alia mala ſunt, nec his tribuenda, quæ de illis prædicantur; ita ſimiliter de comoediis & tragoediis ſtatuendum.

§. 531.

Digitized by Google

§. 531.

Quoniam in philosophia practica exemplorum multus isque prorsus insignis est usus (§. 259. *part. 2. Phil. pract. univ.*) & ad cognitionem vivam inprimis plurimum faciunt (§. 273. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & optime nos instruunt ad omne officii genus (§. 297. *part. 2. Phil. pract. univ.*), comoediæ autem & tragoediæ eundem, quam exempla, usum præbent, sed majore efficacia (§. 530.); *comoediæ & tragoediæ ad praxin philosophiæ moralis atque civilis* (§. 62. 64. 65. *Dist. prælim.*), consequenter *officiorum hominis & civis, plurimum adjumenti afferunt.* Quoniam itaque etiam curæ esse debet Rectori civitatis, ut subditi sint virtute præditi & ne a virtutis tramite deflectant, & qui deflectunt a vitiis revocentur & in viam rectam reducantur (§. 456.) & inprimis ut sint pii (§. 457.); *comoedias* quoque *& tragoedias in Rep. non modo tolerare, verum etiam curare debet, ut ad eum, quem præbere debent, usum sint aptæ.* *De utilitate comoediarum & tragoediarum in Rep. & cura Rectoris civitatis circa easdem.*

Qui comoedias & tragoedias agunt, quales esse debent, socias doctoribus publicis præstant operas (§. 459. 531.). Eædem non saltem delectare debent otiosos, sed prodesse omnibus. Abusus tolerandus non est in Rep. sed curandum, ne deficiat usus. Non est, quod objicias, quæ ad virtutem colendam & vitia fugienda faciunt, ea doceri posse, &, si exempla desiderentur, peti eadem ex historia. Cum enim paulo ante ostenderimus, comoedias & tragoedias multo majore efficacia eum, quem exempla propriæ experientiæ, præbere usum (§. 530.); multo firmius idem tenendum de exemplis, quæ saltem narrantur, vel in libris descripta leguntur. Si actores personam, quam repræsentare debent, recte induunt; multa observantur, quæ verbis describi nequeunt, aut verbis descripta nec satis intelliguntur, nec appetitum adeo valide movent. Sicuti vox viva melius docet; ita multo melius exem-

Digitized by Google

plum vivum, quod etiam in eo conſpicimus, qui perſonam alienam recte induit.

§. 532.

De ſubditis ab injuria aliorum tutis præſtandis.

Rectori civitatis curæ eſſe debet, ut quilibet ſit tutus ab injuria aliorum. Etenim ad finem, cujus gratia in civitatem coitur, tranquillitas quoque (§. 13.), conſequentnr vacuitas a metu injuriarum ſpectat (§. 11.). Quamobrem cum in Rep. conſtituenda determinanda ſint ea, quæ ad finem civitatis obtinendum faciunt (§. 393.); id quoque curæ eſſe debet Rectori civitatis, ut quilibet ſit tutus ab injuriis aliorum.

Inter præcipuas curas Rectoris civitatis referendum, cives tutos præſtare ab injuriis. Quodſi enim permittatur, ut quis pro lubitu alterum injuria afficiat, permittendum quoque ut læſus injuriam ipſe vindicet, aut deterior erit conditio hominum in ſtatu ciuili, quam in ſtatu naturali: quod utrumque abſurdum eſt.

§. 533.

De injuſtitia eliminanda.

Quoniam in Rep. quilibet ab injuria aliorum tutus eſſe debet (§. 532.), injuria autem admittitur, quando quid fit contra jus perfectum alterius (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); *in Rep. ferendum non eſt, ut quid fiat contra jus perfectum alterius*, conſequenter *ut jus alterius vel tollatur, vel diminuatur, vel uſus ejus quomodocunque impediatur* (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), atque ideo *nihil injuſti tolerandum* (§. *cit.*).

Convenit hoc maxime ſocietati civili, quippe quæ contrahitur a ſingulis, ut jure ſuo quiete fruantur & tuto id ab alio conſequantur (§. 4.). Qui vero jure ſuo uti impeditur, eodem minime quiete fruitur, & ſi cujus jus tollitur, vel diminuitur, idem ab alio minime conſequitur. Jus ſuum non con-

Digitized by Google

consequitur locator, si conductor non solvit mercedem debitam, aut non integram solvit, quam debebat. Aſt in casu priori conductor tollit, in posteriori diminuit jus locatoris ad mercedem. Si locator conductorem ante diem expellere velit propterea quod pinguiorem reperit; conductor quiete jure suo non fruitur; aſt tunc quoque in usu juris sui impeditur.

§. 534.

Quia in Rep. ferendum non est, ut quid fiat quod est contra jus perfectum alterius (§. 532.), qui vero quid facit contra jus alterius eum lædit (§. 920. *part. 1. Jur. nat.*); *in Rep. ferendum non est, ut unus alterum lædat.* *De læsione toleranda.*

Adversatur læsio juri securitatis (§. 919. *part. 1. Jur. nat.*), homini unicuique natura competens (§. 918. *part. 1. Jur. nat.*), quod tueri debet Rector civitatis.

§. 535.

Similiter cum in Rep. ferendum non sit, ut contra jus alterius quidpiam fiat (§. 533.), qui vero nihil facit, quod est contra jus alterius, sed nonnisi ea facit, quæ secundum jus alterius, aut eidem convenienter fieri possunt, jus suum alteri tribuit (§. 921. *part. 1. Jur. nat.*); *in Rep. curandum, ut unicuique jus suum tribuatur.* *De jure suo alteri tribuendo.*

Ita conductor morosus adigendus, ut locatori mercedem debitam solvat: qui enim tempore convento mercedem solvit, eamque integram, conductori jus suum tribuit.

§. 536.

Quia in Rep. curandum, ut unicuique jus suum tribuatur (§. 535.), justitiæ autem est jus suum cuique tribuere (§. 926. *part. 1. Jur. nat.*); *Rectori civitatis curæ esse debet, ut justitia floreat in Rep.* *De justitia colenda.*

Digitized by Google

Justitia maxime tuetur societatem civilem, nec sine ea finis civitatis obtinetur. Ea adeo necessaria est, ut sine ea nec prædonum ac latronum societas subsistere possit. Quamvis enim eorum injusta sit societas respectu extraneorum, ipsi tamen inter se speciem quandam justitiæ observare tenentur. Misera est Resp. ex qua justitia exulat.

§. 537.

De fraude non tolerandæ.

Quoniam denique qui alterum fraudat, inscio damnum dat, seu ita agit, ut is faciat jacturam sui, seu ejus, quod suum esse debebat (§. 147. *part. 5. Jur. nat.*), consequenter jus suum diminuit, *in Rep.* vero ferendum non est, ut jus alterius diminuatur (§. 533.); in eadem quoque, *quantum datur præcavendum, ne quis ab altero fraudetur, nec ut fraus committatur ferendum.*

Facile intelligitur, fraudem omnem justitiæ adversari (§. 147. *part. 5.* & §. 926. *part. 1. Jur. nat.*). Fraudationibus ubi locus est, justitia vapulat. Dico autem præcavendum esse, ne quis ab altero fraudetur, quantum datur: fieri enim non potest, ut fraudatio omnis præcaveatur. Rector autem civitatis obligari nequit ultra id, quod possibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quædam hic relinquenda sunt circumspectioni singulorum, quos in suis non otiosos esse convenit in Rep. quasi omnem curam abjicere debeant in Rectorem civitatis.

§. 538.

Judex quinam sit.

Judex dicitur persona, quæ unicuique in civitate jus suum tribui curat & unumquemque adversus injurias aliorum defendit. Quamobrem cum justitiæ sit suum cuique tribuere (§. 926. *part. 1. Jur. nat.*), injuriam autem facere injustitiæ (§. 859. *part. 1. Jur. nat.* & §. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*)

Digitized by Google

univ.); *judicis est curare, ut justitia satisfiat, nec injustitia toleretur.*

Quemadmodum *Ulpianus* l. 1. ff. de J. & J. Ictos justitiæ sacerdotes appellat; ita Judices optimo Jure hoc nomine compellantur. Etenim Jcti saltem docent, quid justum sit, quid injustum; ast judices curant ut fiat quod justum est, nec ferunt, quod injustum.

§. 539.

In civitate constituendi sunt judices. Etenim in civitate curandum, ut justitia floreat (§. 536.), nec tolerandum, quod injustum est (§ 533.). Quamobrem cum judicis sit curare, ut justitiæ satisfiat, nec injustitia toleretur (§. 538.); in civitate judices constituendi sunt. *De judicibus in civitate constituendis.*

Elucet hinc necessitas Judiciorum, quibus carere nequit Resp. Quænam vero de iis observanda sint, ne quicquam hac in parte desideretur, cum ex subsequentibus, tum ex Politica clarius eluceſcet.

§. 540.

Judices causas in judicium deductas cognoscere, a cujusnam parte stet jus pronunciare & victo injungere debent, ut præstet vincenti, quod debet; si sponte præstare nolit, eundem vi adigere. Etenim judex curare debet, ut unicuique jus suum tribuatur & adversus injurias defendere unumquemque (§. 538.). Necesse igitur est, ut ipsi constet, cur jus quoddam prætendat unus, quod alter ipsi denegat, aut in quo injuria consistat, quam unus alteri fecisse aut facere velle dicitur, consequenter ut de veritate factorum certus sit. Quamobrem causas in judicium deductas cognoscere debet. *Quod erat primum.* *De officio judicis.*

Quo-

Digitized by Google

Quoniam vero decidere debet controverſiam, quæ inter partes agitatur; cauſa cognita pronunciare tenetur, a cujusnam parte litigantium ſtet jus. *Quod erat ſecundum.*

Et quoniam curare debet, ut is, a cujus parte ſtat jus, ab altero id conſequatur & ob injuriam factam ipſi ſatisfiat, vel ob nondum factam ſufficienter caveatur (§. 538.); porro neceſſe eſt, ut victo injungat, quod vincenti præſtandum præſtare, ſi autem ſua ſponte facere nolit, eum ad præſtandum vi adigat. *Quod erat tertium.*

Facile patet, obſervatis iis, quæ in propoſitione præſente præcipiuntur, judices curare, ut jus ſuum unicuique tribuatur, & unumquemque adverſus injurias aliorum defendere, & hoc pacto officio ſuo ita defungi, ut juſtitiæ ſatisfiat, nec injuſtitiæ locus relinquatur, quemadmodum fieri debet (§. 538.).

§. 541.

Quales eſſe debeant judices.

Quoniam judices rem controverſam decidere debent (§. 540.), conſequenter idem eorum officium eſt, quod arbitrorum (§. 945. *part. 5. Jur. nat.*), arbiter vero legum peritus (§. 985. *part. 5. Jur. nat.*), vir bonus (§. 973. *part. 5. Jur. nat.*), & impartialis eſſe debet (§. 963. *part. 5. Jur. nat.*), ſepoſito omni reſpectu perſonarum (§. 965. *part. 5. Jur. nat.*); *judices* quoque *legum periti, viri boni, & impartiales eſſe debent, ab omni reſpectu perſonarum procul remoti*, conſequenter cum judices in Rep. ſint conſtituendi, *tales eligendi ſunt.*

Officium judicis ad officium arbitrorum reducimus, ne denuo prolixe demonſtranda ſint, quæ alibi jam demonſtravimus. Non differunt arbitri a judicibus, niſi quod illi a litigantibus per compromiſſum ſponte eligantur, hi vero ab eo, qui

Digitized by Google

qui imperium habet in civitate, constituantur (§. 945. *part. 5. Jur. nat. & §. 539. h.*). Electio & constitutio cum pertineat ad modum habendi jus decidendi rem controversam, ea nihil in ipso jure variat, consequenter nec in usu ejusdem & iis, quæ ad hunc requiruntur. Quoniam vero arbitri in statu naturali locum habent, judices nonnisi in civili, status autem naturalis ordine prior est civili; ideo quoque de arbitris erat agendum in Jure naturali, antequam de civitate tractatio institueretur, consequenter in demonstrando officium judicum & quæ inde pendent ad officium arbitrorum & ab eodem dependentia recte reducuntur. Nimirum judices constituere in civitate est idem ac arbitros dare invitis, ad quos recipiendos nemo naturaliter cogi potest.

§. 542.

Cognitio causæ dicitur notitia facti sufficienter probati, ob quod jus aliquod prætendit actor. Quamobrem ut *judex* causam cognoscat, antequam sententiam ferre possit; *in facti notitiam inquirere & ut quoad omnes circumstantias contra negantem probetur curare debet.* Quamobrem cum judici idem incumbat, quod arbitro (§. 983. *part. 5. Jur. nat.*); *quæ de causæ cognitione observare tenetur arbiter* a nobis alibi (§. 986. *& seqq. part. 5. Jur. nat.*) demonstrata, *eadem tenenda sunt a judice.* *Cognitio causæ quid sit.*

Diximus jam ante (*not.* §. 541.), judices non esse nisi arbitros necessarios, qui in statu civili succedunt in locum voluntariorum, quibus utendum in statu naturali. Eodem igitur in utroque casu causæ cognitio est.

§. 543.

Sententia judicis est effatum judicis, quo declarat quid justum sit in causa controversa coram ipso a partibus litigantibus ventilata, seu decisio controversiæ coram ipso a parti- *Sententia quid sit.*

Digitized by Google

bus litigantibus ventilatæ. Dicitur etiam *sententia definitiva*, quatenus decisionem totius controversiæ continet. *Causa* igitur *nonnisi cognita judex sententiam ferre debet* (§. 542.).

Convenit adeo sententia definitiva cum laudo arbitrorum (§. 945. *part. 1. Jur. nat.*). Nullam vero esse sententiam judicis, quæ fertur, causa nondum cognita, aut nondum satis cognita, veluti si nondum sufficienter probata sint, quæ a parte una narrantur, ab altera vero negantur, absque ulteriori demonstratione patet.

§. 544.

Sententiæ se submittere quid sit.

Victus in judicio *sententiæ se submittere* dicitur, si in sententia judicis acquiescens se ad id obligatum agnoscit, ad quod præstandum a judice condemnatur, seu quod ut præstet judex eidem injungit.

E. gr. si judex pronunciat, reum solvere debere actori centum & is in sententia judicis acquiescit ac centum solvere promittit, eidem se submittit.

§. 545.

Effectus istius submissionis.

Quoniam si victus sententiæ judicis se submittit, in eadem acquiescit & se obligatum agnoscit ad præstandum id, quod sententia exigit (§. 544); *si victus sententiæ se submittit, lis finita est, & victus victori præstare tenetur, quod sententia exigit.*

Quando nimirum victus in sententia judicis acquiescit, nihil habet, quod eidem opponere, vel contra eam excipere possit. Liti igitur ulteriori locus non est. Et quia se obligatum agnoscit ad præstandum id, quod sententia exigit, necesse etiam est ut actu præstet (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Causa in judicium deducitur non tantum eo fine, ut declaretur

Digitized by Google

tur, a cujusnam parte stet jus; verum etiam ut jus suum consequatur is, cui id competit.

§. 546.

Quodsi victus sententiæ judicis se submittere nolit, cum judicium eludi non possit, quippe quod eo fine constitutum, ut quilibet jus suum consequatur (§. 538.); *necesse est ut intra certum tempus rationes suas exponat, cur se ad præstandum non obligatum existimet, quod sententia exigit* (§. 543.).

Quanam re sit opus, si quis sententia se gravatum existimet.

Sententia judicis vel tota impugnari potest, vel ex parte, hoc est, quoad nonnulla, quæ eadem exigit. Ita condemnatus in restitutionem rei cum fructibus potest se obligatum agnoscere ad rem, sed non ad fructus restituendum. Qui in sententia judicis acquiescere non vult, eam pro justa non habet. Quamobrem utique docere debet, ob quasnam rationes eam existimet juri adversam.

§. 547.

Si quis sententia judicis se gravatum existimet, ei permissum esse debet querelas suas ad superiorem deferre & ejusdem decisioni causam committere. Etenim in Rep. superiori curæ esse debet, ut jus suum cuique tribuatur (§. 535.). Quodsi ergo a judice condemnatus ad aliquid præstandum existimet, eum male judicasse, consequenter sententiam ejus juri adversam esse suo; necesse omnino est, ut ipse superior sententiam ad examen revocet & num justæ sint querelæ adversus eam motæ dispiciat, consequenter sententiam vel reformando, vel confirmando finem liti imponat. Quamobrem si quis sententia judicis se gravatum existimet, ei permissum esse debet querelas suas ad superiorem deferre & ejusdem decisioni causam committere.

De provocatione ad superiorem contra sententiam judicis.

Digitized by Google

Juſtitiæ eſt tollere querelas de jure. Quodſi ergo quis ſententiam judicis juri adverſam exiſtimet; ſi ea ſimpliciter ſtandum, querelæ non tolluntur. Quamobrem cum in Rep. florere debeat juſtitia (§. 536.); omni modo id agendum, ne quis juſtas videatur habere querelas de jure. Maxime igitur convenit officio ſuperioris, ut querelas adverſus ſententiam judicis motas tollat. Hoc nimirum pacto nihil amplius in ſuperiore deſiderari poteſt quoad curam, quam adhibere debet, ut unicuique jus ſuum tribuatur (§. 535.) & quilibet ſit tutus ab injuria aliorum (§. 532.).

§. 548.

Appellatio quid ſit. Provocatio a judice ad ſuperiorem ob ſententiam, vel aliud factum, quod quis iniquum exiſtimat, ut ipſe cauſam decidat, *Appellatio* dicitur.

Nondum hic diſquirimus, quænam quoad appellationem in Rep. conſtituenda ſint. Hæc enim ad regimen pertinent. Hic tantummodo agitur de jure appellandi, quatenus naturalem habet rationem.

§. 549.

An in Rep. admittenda. Quoniam qui ſententia judicis ſe gravatum exiſtimat, ei permiſſum eſſe debet querelas ſuas ad ſuperiorem deferre & ejusdem decisioni cauſam committere (§. 547.), qui vero a judice ad ſuperiorem provocat, ob ſententiam aliudve factum, quod iniquum exiſtimat, ut ipſe cauſam decidat, ad ſuperiorem appellet (§. 548.); *appellationes in Rep. ſunt admittendæ.*

Non eſt quod objicias, judices conſtitui, qui controverſias de jure decidant, quia impoſſibile eſt, ut ipſe Rector civitatis hoc faciat. Quodſi ergo admittantur appellationes, fore ut cauſis decidendis omnibus non ſufficiat. Etenim ne nu-

numerus

Digitized by Google

merus causarum via appellationis ad superiorem delatarum in nimium evadat, non in qualibet causa permittenda est appellatio, nec temeraria appellatio impune ferenda. Sed de his, quemadmodum modo diximus (*not.* §. 548.), hic nondum est dicendi locus.

§. 550.

Quoniam appellans a judice ad superiorem provocat, ob sententiam vel aliud factum, quod iniquum existimat, ut idem causam decidat (§. 548.); *ad appellationem minime referendum, si quis querelas quasdam de facto quodam judicis eodem inscio ad superiorem defert, & opem ejus adversus hunc implorat:* quod licere eodem modo patet, quo ante appellationem admittendam esse demonstravimus (§. 547. 549.).

Quænam preces cum appellatione non confundendæ.

Quodsi verendum, ne istiusmodi preces importune fiant, importunæ non impune ferendæ sunt, prouti idem de temerariis appellationibus ante annotavimus (*not.* §. 549.).

§. 551.

Supplicatio dicitur actus, quo victus judici declarat, se sententia esse gravatum, atque petit ut propter rationes, quas exponit, eandem corrigat. Quoniam judici curæ esse debet, ut jus suum cuique tribuatur (§. 538.); si condemnatus existimet sententiam juri suo esse adversam, rationes, ob quas ita existimat, ut sibi exponat permittere, eas trutinare &, si querelas justas deprehenderit, sententiam a se latam retractare debet, consequenter *supplicatio licita est, seu permittenda.*

Supplicatio quid sit & an sit licita.

Iudex instar arbitri leges ad facta applicare debet, quando sententia pronuncianda (§. 984. *part. 5. Jur. nat. & §. 541. b.*). Quoniam itaque facile contingit, ut in formanda notione facti circumstantia aliqua non attendatur, quæ variat jus, vel

Digitized by Google

etiam in applicatione legis aberretur; ideo audiendus est, qui se sententia gravatum existimat, utrum horum quid docere possit, nec ne. Supplicatio igitur nihil continet, quod sit officio judicis adversum, nec autoritati ejus quicquam decedit, si meliora edoctus aliter sentiat.

§. 552.

An supplicatio tollat appellationem.

Quodsi ob rationes a supplicante in medium allatas judex sententiam a se latam retractare nolit; naturaliter supplicatio non obstat, quo minus adhuc appellatio interponatur (§. 551. 548.).

Rationes, ob quas quis sententia judicis se gravatum existimat, *Gravamina* dici solent. Quoniam vero non omnes de eadem re judicant eodem modo; gravamina, quæ nullius ponderis esse censet judex, non exigui ponderis videri possunt superiori, ad quem appellatur, & ad retractandam sententiam sufficientia. Tunc vero necesse est, ut judex a quo gravamina refutet, rationes exponendo judici ad quem, cur ea nullius ponderis esse existimet, consequenter in sententia a se lata persistat. Supplicationi æquipollet *Leuteratio* in foro Saxonico recepta, qua sententia judicis gravatus gravaminibus adductis, ob quæ sibi injuriam factum sententia existimat, petit, ut acta ad extraneos impartiales, hoc est, collegium aliquod J&ctorum, transmittantur, qui sententiam dicant: sit ita quod alii *Oberleuterationem* cum supplicatione comparent, quæ adhibetur, si sententia prima in leuterationis instantia fuerit confirmata, vel eidem quid adjectum, quo se gravatum existimat, qui leuterationem interposuit, ut acta denuo transmittantur ad collegium aliud. Neque enim semper contingit, ut duo J&ctorum collegia rem controversam eandem eodem modo decidant.

§. 553.

Res judicata quid sit.

Res judicata dicitur, quando contra sententiam nihil amplius opponi potest, aut opponi lege permittitur, consequen-

Digitized by Google

sequenter *si quis sententiæ judicis se submittit* (§. 544.), *aut non amplius datur alius, ad quem provocari possit*, veluti si lege cautum sit, ut adversus sententiam in instantia appellationis latam nihil opponi possit, sed ea standum sit.

In camera imperiali sententia camerali gravato conceditur *Revisio actorum*, quæ fit per commissarios Imperatoris & Statuum imperii ad id deputatos. Multiplicatis autem instantiis lites nimium protrahuntur: de quo inferius agendum.

§. 554.

Quoniam contra sententiam, quæ in rem judicatam transiit, nihi amplius opponi potest (§. 553.); *quamprimum sententia in rem judicatam transiit, lis finita est & victus præstare tenetur, quod sententia exigit*, consequenter *si sponte præstare nolit, vi adigendus ut præstetur.* *Effectus rei judicatæ.*

Modestinus l. 1. ff. de sent. & re jud. Res judicata est, inquit, quæ finem controversiarum pronunciatione judicis accepit. Etenim judicis partes suscipere, ut cum *Ulpiano* loquamur, nihil aliud est, quam polliceri, finem se sententia sua controversiis impositurum. Quod igitur a judice pronunciatum fuit, pro vero habetur, quamprimum sententia in rem judicatam transiit. Quamobrem pars victa negare amplius nequit se debere, in quod a judice condemnata est, consequenter id præstare tenetur.

§. 555.

Executio rei judicatæ dicitur actus, quo a magistratu victus vi adigitur ad præstandum id, quod exigit sententia, si ipse id sua sponte præstare nolit. *Executio quid sit.*

Qui sponte præstare non vult, quod exigit sententia, duplicimodo adigi potest, ut id præstetur, vel quatenus tandem ipse invi-

Digitized by Google

invitus adducitur ad id præſtandum, vel quatenus pati cogitur, ut ex rebus ipſius ſatisfiat parti victrici. Executionem autem in genere definimus non determinantes modum, quo refractarii compelluntur ad præſtandum id, quod a judice pronunciatum eſt: ab eo enim deſumitur differentia executionis. Quid vero hic conveniat juri naturæ, docet propoſitio ſequens.

§. 556.

De modo executionis, ſi ſententia dationem exigit.

Si victus in judicio ſponte non præſtet, quod ſententia exigit, loco hujus rem quamcunque eidem auferre poteſt judex, ut ex ea victori ſatisfiat, aut ea non ante reddatur, quam præſtiterit id, in quod condemnatus eſt. Quoniam enim in Rep. judex curare debet, ut unicuique jus ſuum tribuatur (§. 538.); ſi quis tribuere nolit, iisdem uti licet mediis, quæ in eodem caſu unicuique in ſtatu naturali conceſſa. Enimvero ſi rem meam ab eo, qui eam detinet, vel a debitore, quod mihi debet, conſequi non poſſum, naturaliter loco rei meæ vel mihi debitæ eidem auferre licet rem aliam, quæ tantundem valet (§. 1112. *part. 5. Jur. nat.*), vel etiam rem aliam quamcunque non ante reddendam, donec meam, vel mihi debitam acceperim (§. 1118. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem ſi victus in judicio ſponte non præſtet, quod ſententia exigit, judex loco hujus rem quamcunque eidem auferre poteſt, ut ex ea victori ſatisfiat (§. 1115. *part. 5. Jur. nat.*), vel ut non ante reddatur, quam præſtiterit, in quod condemnatus eſt.

Facile patet, hoc modo fieri poſſe executionem, ſi res quædam reſtituenda, aut danda, vel ſi quod faciendum æſtimationem habet, quæ præſtanda venit. Quodſi res immobilis reſtituenda, vel etiam mobilis, quæ haberi poteſt; per ſe patet, hanc ipſam auferri poſſe invito & dari parti victrici, cujus eam eſſe a judice pronunciatum.

§. 557.

Digitized by Google

§. 557.

Quoniam ablatio rei alienæ loco suæ, vel sibi debitæ, quam a detentore, vel debitore consequi non possumus, expletio juris est (§. 1113. *part. 5. Jur. nat.*), ablatio vero rei detentoris nostræ, vel debitoris nostri, non ante restituendæ, quam consecuti fuerimus rem nostram, oppignoratio invita (§. 1142. *part. 5. Jur. nat.*); *si sententia judicis exigit restitutionem rei, vel solutionem, executio consistit vel in expletione juris, vel in oppignoratione invita.* *Quotuplex is sit.*

§. 558.

Si quod sententia exigit in faciendo consistit, id vero vel æstimationem non recipit, vel non perinde est, sive quod faciendum actu præstetur, sive ejus æstimatio; pars victa poena compellenda ad faciendum, quod sententia exigit. Etenim si id, quod faciendum, æstimationem non recipit, victus autem præstare tenetur, quod sententia exigit (§. 554.); necesse omnino est, ut faciat, quod sententia judicis injungitur. Quoniam vero aliter obligari nequit ad faciendum nisi poena (§. 301. *part. 1. Phil. pract. univ.*); poena ad faciendum compellendus est. *Quod erat primum.* *De modo executionis, si sententia exigit, quod faciendum.*

Enimvero si non perinde est, sive factum, sive æstimatio præsterur; parti victrici loco facti obtrudi nequit æstimatio (§. 200. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem si pars victrix urgeat, ut victa faciat omnino necesse est, & si nolit, a judice ad faciendum vi adigenda (§. 553.). Quamobrem porro patet, ut ante, partem victam poena compellendam esse ad faciendum. *Quod erat alterum.*

E. gr. Si reus condemnatur ad palinodiam, vel deprecationem, propter injurias verbales, & quod sententia exigit præ-

Digitized by Google

ſtare nolit, ad præſtandum poena compellitur. Similiter ſi locator operas conductas præſtare nolit, poena adigitur ad eas præſtandas.

§. 559.

De poena ob injurias factas irroganda.

Si ob injurias factas quis puniendus; judex eum punire debet. Etenim judex unumquemque in civitate contra aliorum injurias defendere debet (§. 538.) conſequenter curare, ut, qui te læſit, animum lædendi mutet, & aliis metus incutiatur, ut a læſionibus abſtineant. Quamobrem cum naturaliter cuilibet homini competat jus puniendi eum, qui ipſum læſit (§. 1061. *part. I. Jur. nat.*), tum ut qui læſit animum lædendi mutet, tum ut aliis metus incutiatur, quo a lædendo te vel alios deterreantur (§. 1062. *part. I. Jur. nat.*); ſi ob injurias factas quis puniendus, judex eum punire debet.

Jus puniendi reum ob injurias factas metiendum eſt ex jure puniendi, quod naturaliter unicuique competit, qui ab altero læditur. In ſtatu enim civili judex facere debet, quod in ſtatu naturali per ſe facere unicuique permiſſum.

§. 560.

De bello privato in civitate non tolerando.

Bellum privatum in civitate non tolerandum. Etenim in civitate conſtituendi ſunt judices (§. 539.), qui curant, ut unicuique jus ſuum tribuatur & unumquemque adverſus injurias aliorum defendant (§. 538.), & jus ſuum alteri tribuere nolentem ad tribuendum vi compellunt (§. 554. 556. *& ſeqq.*), & poenam promeritum puniunt (§. 558.). Quamobrem cum bellum conſiſtat in perſecutione violenta juris ſui (§. 1102. *part. I. Jur. nat*), & qui ſe vi defendit atque poenam ab eo ſumit, qui ipſum læſit, bellum gerat (§. 1114. *part. I. Jur.*

Digitized by Google

Jur. nat.), fini autem civitatis convenientius sit ut per judicem quis consequatur, quod bello consequi intendit (§. 4.); bellum privatum in Rep. minime tolerandum.

Incommoda belli privati haud postrema causa fuit, quæ hominibus naturaliter libertatis suæ amantibus persuasit, ut societatem civilem contraherent. In civitatem coëunt homines, ut unusquisque jure suo quiete fruatur & tuto id ab alio consequatur (§. 4.). Extra civitatem jus ab invito consequi, adversus alios nos & nostra defendere & lædentes punire non possumus sine bello, cujus jus naturaliter nobis competit in eos, qui jus nostrum nobis tribuere nolunt (§. 1104. *part. 1. Jur. nat.*), in aggressorem (§. 973. 1114. *part. 1. Jur. nat.*), raptorem (§. 690. 691. *part. 2. & §. cit. part. 1. Jur. nat.*), invasorem (§. 717. *part. 2. & §. cit. part 1. Jur. nat.*) & in eum qui nos lædit (§. 1061. 1114. *part. 1. Jur. nat.*). Continuis ideo bellis locus est. Bellorum igitur evitandorum gratia civitates constitutæ, scilicet ut sine bello jure nostro frui & id ab aliis consequi possimus. Quamobrem in locum belli privati substituuntur in civitate judicia, quæ quantum bello præstent nemo non intelligit, qui bellum cum judiciis conferre velit. Quodsi objicias, judicum sententiam a vero aberrare posse, consequenter jure suo cadere eum, qui eodem frui debebat; perpendas velim, eventum belli semper esse dubium, nec victoriam ei certam esse, qui justam habet causam. Accedit, quod in statu naturali nulla sit causæ cognitio, sed quilibet sit judex in propria causa, cum nemo ad arbitrium recipiendum cogi possit (§. 945. *part. 5. Jur. nat.*). Hac vero de causa contingit plurima bella esse injusta, & vi armorum non modo injustitiam defendi, verum etiam plurimos vi armorum jure suo privari. Neque etiam bella ea religione geruntur, qua geri debebant, & novis injuriis foventur. Status civilis naturali longe præferendus esset, si nulla alia inde in cives redundaret utilitas, quam quæ ex judiciorum constitutione, consequenter ex sublatione belli privati resultat.

Digitized by Google

§. 561.

Quatenus id ſublatum in civitate.

Quoniam bellum privatum in civitate non tolerandum (§. 560.), ſed per judices conſequendum, quod in ſtatu naturali nonniſi bello conſequi poteramus (§. 538. *h.* & §. 1104. *part. 1. Jur. nat.*); *in civitate judicia ſucceſſere in locum belli privati, & jus belli natura homini competens quoad exercitium ſublatum, aut*, ſi mavis, *non tam jus belli, quam exercitium ejus ſublatum.*

Introductio judiciorum in locum belli privati non obſtat, quod jus belli natura homini competens (§. 1104. *part. 1. Jur. nat.*) auferri non poſſit (§. 64. *part. 1. Jur. nat.*). Præterquam enim quod non invitis ablatum ſit, cum in judiciorum introductionem, tanquam medium finis civitatis, conſenſere omnes, qui in eandem coiverunt & poſtea eidem ſe aſſociant (§. 4.); jus quoque ſuum adhuc revera habent, qui in ſocietate civili vivunt, ſed idem ſaltem exercere tenentur per alios, nimirum judices, tum ut evitetur omnis abuſus, tum ut ne locus ſit catervæ malorum, quæ exercitium proprium comitantur.

§. 562.

Quando bellum privatum adhuc licitum.

Quoniam judicia ſucceſſerunt in locum belli privati & nemo jus belli per ſe exercere debet, ſed per judicem (§. 561.); *ubi judicia ceſſant, ſeu quando copia judicis haberi nequit, bellum privatum adhuc licitum eſt.*

Quodſi qui in civitatem coëunt, aut poſtea eidem ſe aſſociant, jus belli abdicarent; eodem quoque uti nullo in caſu poſſent; uſus enim ejus, quod non habes, nullus eſt. Enimvero cum ſaltem in hoc conſenſiſſe, aut conſentire intelligantur, quod in tuendo & perſequendo jure ſuo judicis ope uti velint; exercitium quoque juris belli proprium ſibi reſervarunt eo in caſu, quo judicis copia haberi nequit. Bellum itaque priva-

Digitized by Google

privatum in casu isto injustum non est, cum gerentes utantur jure suo, quod in eodem per se exercere tenentur.

§. 563.

Judicium cessare dicitur *momentane*, quando judex expectari non potest sine certo periculo, aut damno. *Continue* autem *cessat*, si judex non adsit, qui controversiam decidere possit, vel velit, seu per quem jus nostrum consequi valeamus, & quidem *jure*, si versemur in loco, ab imperio civili vacuo, vel *facto*, si subditi judicem non audiant, vel judex aperte cognitionem causæ rejecerit, nec ab eo detur provocatio ad superiorem, vel saltem moram non patiatur periculum præsens, ut superiorem adire possis. Quamobrem cum *bellum privatum* licitum sit, ubi judicia cessant (§. 562.); *licitum* id *est, quando judex sine certo periculo aut damno expectari nequit, quando versamur in loco ab imperio civili vacuo, quando subditi judicem non audiunt, vel judex cognitionem causæ aperte rejicit, nec ad superiorem ab eo datur provocatio, aut ob periculum in mora superior, si quis sit, adiri nequit.* *Idem specialius expenditur.*

Grotius de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 2. n. 1. singula hæc bene a se invicem distinguit, sicque casus omnes determinat, in quibus bello privato adhuc hodie, introducto dudum statu civili, adhuc locus sit. Sed ne quid obscuri supersit, demus in singulis casibus exempla. Exempla cessationis momentaneæ sunt in aggressore, latrone, prædone, fure nocturno, debitore fugitivo. Jure continue cessant judicia in mari, solitudine, insulis vacuis. Huc etiam refer, si judices seu magistratus ex civitate ejecti, quemadmodum Athenis contigisse autor est *Ælianus* Varior. l. 5. c. 13. Facto cessant judicia, quando tempore rebellionis, aut publicorum motuum nulla est judicum autoritas. Quando autem huc etiam refertur, si judex cognitionem causæ aperte rejicit, justitiæ denegatio non confundenda

Digitized by Google

est cum protractione ejusdem: neque enim aufertur, quod differtur, nisi præsens periculum sit in dilatione.

§. 564.

De duratione belli privati in civitate.

Bellum privatum statim cessat, quamprimum judicis copia haberi potest. Etenim bellum privatum in civitate licitum non est, nisi quando copia judicis haberi nequit (§. 562.). Quamprimum igitur copia ejus haberi potest, licitum esse desinit, consequenter permissum amplius non est (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque statim cessat.

Unde bellum privatum dicitur quasi momentaneum & in puncto consistere. E. gr. si quis stricto gladio, vel alio telo lethali impetit corpus tuum, occurrunt vero alii pugnæ finem imposituri, a defensione ulteriori statim abstinendum & injuria tibi facta judici denuncianda. Similiter si fur cum re aufugiens apprehenditur, jure eum puniendi utendum non est, sed judici denunciandum, ut in custodiam rapiatur & ab ipso puniatur.

§. 565.

De modo evitandi bellum privatum.

Quoniam bellum privatum statim cessat, quamprimum copia judicis haberi potest (§. 564.); *quamdiu suppetit medium illud evitandi, ut res ad judicem deferatur, a bello privato abstinendum*, consequenter *si fuga tibi consulere possis, fugiendum est, & si aliis præsentibus in auxilium vocatis vim a te avertere possis, hoc faciendum.*

Equidem vulgo creditur, fugere esse ignominiosum; absurdum tamen est ignominiosum dicere, quod officio boni civis convenit (§. 560.). Quamvis enim dicatur fortitudinem esse virtutem (§. 601. *part. 7. Jur. nat.* & §. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*) fugam autem arguere timiditatem, vitium eidem oppositum (§. 603. *part. 1. Jur. nat.* & §. 322. *part. 1. Phil.*

Digitized by Google

Phil. pract. univ.), defectum vero virtutis (§. 820. *part. 1. Jur. nat.*) & vitium veram parere ignominiam (§. 822. *part. 1. Jur. nat.*); qui ita sentiunt, oppido falluntur, cum veram fortitudinis ac timiditatis notionem minime habeant. Fortis enim is demum est, qui metu periculi imminentis sese adduci minime patitur, ut faciat, quod non facere debebat, vel non faciat, quod facere debebat (§. 600. *part. 1. Jur nat.*), & timidus, qui vel metu levissimi periculi se abduci patitur ab eo, quod facere debebat (§. 602. *part. 2. Jur. nat.*). Ast cum in civitate bellum privatum non sit permissum, nisi quando copia judicis haberi nequit (§. 562.), adversus aggressorem se defendere, quando fugere datur, nemo obligatur, consequenter hoc facere quod debeat falsum est. Quocunque igitur modo periculum præsens tamdiu evadi potest, donec judici idem avertere committatur; defensio propria illicita in Rep. Non urgeo hominem naturaliter obligari cum vitæ (§. 371. *part. 1. Jur. nat.*), tum integritatem organi cujusdam lædendi periculum vitare, quantum in potestate ipsius est (§. 373. *part. 1. Jur. nat.*), & fugere debere, si læsionem sibi intentatam ab altero fuga evitare possit (§. 1010. *part. 1. Jur. nat.*); cum hic agatur de eo, quod boni civis est. Non tamen inconsultum est, ad hæc quoque animum attendere, ut ignominiæ labes, quæ vulgari opinione fugæ adspergitur, eluatur.

§. 566.

Judices sunt magistratus. Etenim judices constituuntur, ut unicuique jus suum tribui curent & unumquemque adversus injurias aliorum defendant (§. 538.). Quamobrem cum in Rep. curandum sit, ut unicuique jus suum tribuatur (§. 535.), nec ferendum, ut unus ab altero lædatur (§. 534.), hoc vero ad exercitium imperii pertineat (§. 32. 30.); judicibus pars quædam imperii exercenda committitur a superiore in civitate. Quamobrem cum magistra- *Quales personæ publicæ sint judices.*

giſtratus ſit is, cui partes quædam imperii exercendæ committuntur a ſuperiore in civitate (§. 162.); judices magiſtratus ſunt.

Omnis judex magiſtratus eſt, ſed non omnis magiſtratus eſt judex. Cum enim multæ ſint imperii partes, quas omnes per ſe cum exercere nequeat ſuperior, aliis exercendas ſuo nomine demandare tenetur; ideo quoque magiſtratus dantur, quorum officium diverſum eſt ab officio judicis. Sed de hac re plura dicenda erunt ſuo loco.

§. 567.

De miniſterio judicis. Quoniam judices ſunt magiſtratus (§. 566.), omnis autem magiſtratus partes ſibi demandatas imperii non exercet proprio nomine, ſed nomine ſuperioris, & rationem reddere tenetur actuum ſuorum ſuperiori & ab eo coërceri poteſt (§. 162.); *judex* quoque *jus reddit non ſuo nomine, ſed nomine ſuperioris, & huic rationem reddere tenetur actuum ſuorum & ab eo coërceri poteſt*, ſi ſcilicet male juſtitiam adminiſtret.

Superior miniſterio judicis utitur in adminiſtratione juſtitiæ, quam juxta voluntatem ipſius adminiſtrare tenetur. Quamobrem nec abſonum eſt, ut ab eo ad ſuperiorem provocetur & querelæ de juſtitia non recte adminiſtrata ad eundem deferantur.

§. 568.

An duellum ſit bellum. *Omne duellum bellum eſt.* Etenim qui duellum ineunt, inter ſe conveniunt, quod per victoriam res controverſa deciſa, vel pugna finita lis diremta eſſe debeat (§. 1090. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem cum pugna ſit actus, quo duo ſeſe invicem impetunt (§. 1088. *part. 5. Jur. nat.*); qui controverſiæ decidendæ, aut famæ ſuæ tuendæ cauſa duellum

Digitized by Google

lum ineunt, vi perſequuntur jus ſuum adverſus ſe invicem. Quamobrem cum bellum ſit, quando duo adverſus ſe invicem vi perſequuntur jus ſuum (§. 1102. *part. 1. Jur. nat.*); omne duellum bellum eſt.

Hodie vix contingit, ut controverſia de jure per duellum decidatur, injuriæ tamen vindicandæ & famæ ſuæ tuendæ cauſa duella adhuc in uſu ſunt, præſertim inter milites, nobiles & ſtudioſos in Academiis. Horum enim animos obſedit opinio, quaſi fama læſa non aliter poſſit reſtitui niſi per duellum. Neque alius concipitur finis duelli, quam ut vel decidatur, cujusnam res controverſa eſſe debeat, vel ut fama defendatur, quæ ab altero læſa putatur. Quodſi dicas, poſſe etiam de præmio duello contendi; ecquis eſt, qui non videat, cum præmium eſſe debeat victoris, non aliud agi, quam ut decidatur, quinam altero viribus, aut pugnandi peritia ſuperior ſit, conſequenter de fama contendi (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*)? Si quis alterum ad duellum provocat, nulla cauſa prægreſſa; iidem periculum virium ſuarum, fortitudinis, aut peritiæ pugnandi facere volunt, quando congrediuntur, conſequenter cauſam quandam dubiam decidere volunt, & qui provocatus comparare non vult, infamia laborare putatur, quam declinaturus duello ſe committere tenetur. Quamvis vero nimis ſcrupuloſa videri poſſit iſtiusmodi duelli reductio ad deciſionem cauſæ cujusdam controverſæ; non tamen propter ea alii præter eos, quos diximus, fingendi eſſent fines duelli, cum abunde conſtet vix dari actum quendam, qui temere ſuſcipi non poſſit (§. 277. *part. 3. Jur. nat.*). Ea autem de cauſa actus per ſe non mutatur. Omne igitur duellum eſſe bellum, ſufficienter a nobis demonſtratum eſt. Monuimus jam alibi (*not.* §. 1090. *part. 5. Jur. nat.*), *Feſtum* per bellum definire duellum, nec in eo a veritate aberrat.

Digitized by Google

§. 569

De duellis in Rep. non tolerandis.

Duella controversiæ decidendæ, vel famæ tuendæ causa ineunda in civitate toleranda non sunt. Etenim duellum bellum est (§. 568.), & in civitate bella privata non toleranda (§. 560.), sed per judices, qui constituuntur (§. 539.), unicuique jus suum tribuendum & unusquisque adversus injurias aliorum defendendus (§. 538.). Duella igitur controversiæ decidendæ, aut famæ defendendæ causa toleranda non sunt.

Ostendimus jam alibi omne duellum naturaliter illicitum esse (§. 1091. *part. 5 Jur. nat.*); hic vero evincitur duellum quoque repugnare statui civili, consequenter in civitate non esse tolerandum, & jure naturæ pro civiliter illicito declarari. Tolerantia igitur duelli in civitate labes Reip. est. Non hic repetimus, quod alibi demonstravimus, duellum non esse modum aptum ad controversiam decidendam, nec ad famam tuendam (§. 1092. *part. 5. Jur. nat.*), consequenter absurdum esse, controversiam duello decidere, vel famam eodem defendere velle.

§. 570.

De duellis ostentationis causa ineundis in civitate non tolerandis.

Duella virium, aut peritiæ pugnandi, vel fortitudinis ostentandæ causa ineunda in civitate non toleranda. Etenim cum duellum pugna sit (§. 1090. *part. 5. Jur. nat.*), qui duello se committunt, vi sese invicem impetunt (§. 1088. *part. 5. Jur. nat.*), consequenter periculo vitæ, mutilationis alicujus membri, vel vulnerationis sese exponunt. Quamobrem cum quilibet periculum vitæ (§. 371. *part. 1. Jur. nat.*), & integritatem organi cujusdam corporis lædendi vitare debeat (§. 373. *part. 1. Jur. nat.*), & ne volentem quidem occidere (§. 745. *part. 1. Jur. nat.*), vel in periculum vitæ adducere

Digitized by Google

ducere (§. 746. *part. 1. Jur. nat.*), nec alterum vulnerare, vel partem quandam corporis ad usum suum quomodocunque ineptum facere liceat (§. 740. *part. 1. Jur. nat.*), in civitate autem curandum sit, ut, qui sua sponte obligationi naturali, quæ a lege naturæ venit, satisfacere nolint, ad eidem satisfaciendum vi adigantur (§. 395.); duella ostentationis virium, aut peritiæ pugnandi, vel fortitudinis causa incunda in civitate toleranda non sunt.

Interest Reip. ut vita subditorum & integritas membrorum corporis eorundem conservetur, quod nemo facile in dubium vocaverit, modo singula perpendat, quæ bonum publicum in civitate exigit. Quamobrem si vel duella ostentationis causa inita per se non essent illicita, statui tamen civili minime conveniret, consequenter cum jus naturæ, quod civilis status introductionem approbat (§. 26.), eidem repugnantia pro civiliter illicitis declaret, eodem jure duella ista pro civiliter illicitis habenda, si vel maxime in Rep. tolerentur. Hic non agitur de eo, quod sit, sed quod fieri debet, & civitatem spectamus, qualis esse debeat, ut labe omni careat.

§. 571.

Injuria reparari dicitur, si pars læsa aliqua præstatione lædentis restituitur in eum statum, ut perinde sit ac si injuria facta non fuisset. Quamobrem patet, *reparatione injuriæ factam fieri quasi infectam, & si pars læsa nulla præstatione lædentis restitui possit in eum statum, ut perinde sit ac si facta non fuisset, injuriam reparari non posse.* *De reparatione injuriæ.*

E. gr. Si qui rem meam habet, eam mihi restituere nolit, & ad eam restituendam compellatur; facta restitutione perinde est, ac si re mea privatus non fuissem. Non minus habeo, facta restitutione, quam habebam, antequam res mea in alterius potestatem veniret. Idem igitur status est, facta re-

Digitized by Google

ſtitutione, qui erat, antequam res mea in alterius poteſtatem veniret. Similiter centum debes, ſolvere non vis. Quodſi ad ſolvendum compellaris, facta ſolutione tantundem habeo, quantum habere debebam: ſunt enim etiam nomina in bonis noſtris (§. 450. *part. 2. Jur. nat.*). Facta igitur ſolutione, idem eſt rerum mearum ſtatus, qui erat, cum deberes, ſolutionem autem non denegares. Enimvero ſi quis te colaphis cæſit, nullo modo fieri poteſt, ut colaphis cæſus non ſis. Facta igitur injuria reparari nequit. Idem eodem modo ſeſe habet, ſi manus amputata, vel aliud quoddam corporis organum ad uſum ſuum ineptum fuerit factum. Hic vero diſtinguendum eſt damnum, quod ex læſione reſultat, cumque æſtimabile ſit, reparari utique poteſt præſtatione æſtimationis.

§. 572.

De eo, quod reparari poteſt.

Quod reparari poteſt, aut noſtrum eſt, vel fuit, aut nobis debetur. Etenim ſi quid reparandum, aliquid præſtari debet, nimirum vel res, vel factum (§. 80. *part. 3. Jur. nat.*). Res, quæ præſtanda, aut adhuc eſt in dominio noſtro, veluti ſi quocunque modo in poteſtatem alterius venerit, adeoque reſtituenda (§. 466. *part. 2. Jur. nat.*), aut ante fuit, ſed nobis reſtituenda, veluti ſi indebite ſoluta (§. 573. 578. *part. 4. Jur. nat.*), vel vi & metu extorta (§. 576. *part. 3. Jur. nat.*), aut ad eandem dandam nobis quis obligatur, veluti ex pacto (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), vel ſi damnum datum reſarciendum (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*), & fructus ex re aliena percepti reſtituendi (§. 596. *& ſeqq. part. 2. Jur. nat.*). Facta, quæ ab altero nobis præſtanda, nec noſtra eſſe, vel fuiſſe, per ſe patet, conſequenter tantummodo alter ad ea præſtanda nobis obligatur, adeoque debentur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Patet itaque, quod reparandum aut noſtrum eſſe, vel fuiſſe, aut nobis deberi.

§. 573.

Digitized by Google

§. 573.

Si injuria reparari non potest, qui eam fecit puniendus est. Etenim si injuria facta reparari nequit, nulla præstatione lædentis pars læsa restitui potest in eum statum, ut perinde sit ac si injuria facta non fuisset (§. 571.). Quoniam tamen quilibet in civitate tutus ab injuria aliorum præstandus (§. 532.); caveri debet, ne qui injuriam fecit, eandem denuo faciat, & ne in posterum faciat adhuc aliis, & præcaveri, ne alii exemplum ejus secuti injuriam alicui facere audeant, consequenter periculum læsionis futuræ cum ab eo, qui læsus est, tum ab aliis avertendum. Quamobrem cum id aliter obtineri non possit, nisi puniendo eum, qui injuriam fecit (§. 301. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 1062. *part. 1. Jur. nat.*), & homini natura competat jus puniendi eum, qui ipsum læsit (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*), cumque poenæ exactio bellum sit (§. 1114. *part. 1. Jur. nat.*), in civitate autem in locum belli privati judicia successerint (§. 561.); si injuria reparari nequit, qui eam fecit puniendus est. *Quando injuria facta exigat poenam.*

Non est quod dicas, injuriam, quæ per se reparari nequit, posse certa pecuniæ summa æstimari, & eam dari læso, ut poena non sit opus, prouti Jure Romano obtinet, si de injuria is, qui passus est, civiliter agat §. 10. I. de injur. Ecquis enim non videt, hac æstimatione reo poenam imponi, quemadmodum diserte ait Imperator? Alia enim quæstio est, num propter injuriam, quæ reparari nequit, is qui fecit puniendus sit, an vero poena, quæ imponitur, danda sit ei, qui passus est. Patet autem injurias specialiter sic dictas, quibus existimatio, seu honor & fama alterius læditur (§. 874. *part. 1. Jur. nat.*), & inprimis reales, quæ in facto consistunt, veluti si cui mala pugno percutiatur, tales esse, quæ reparari non possunt (§. 571.). Notandum vero injurias generaliter sic dictas, cum in violatione juris perfecti cujuslibet consistant (§.

Digitized by Google

859. *part. 1. Jur. nat.*), tales esse posse, ut partim reparari nequeant, partim possint. Ita fur, etsi res furtiva domino restituenda sit (§. 523. *part. 2. Jur. nat.*), naturaliter tamen a domino adhuc puniri potest (§. 551. *part. 2. Jur. nat.*), & fur ad poenam patiendum obligatur (§. 552. *part. 2. Jur. nat.*). Sic qui alterum vulnerat non solum injuriam facit, quæ reparari nequit, quatenus impossibile est ut vulneratio facta infecta efficiatur; sed etiam, quæ reparari potest, quatenus in sanationem vulneris impensæ faciendæ, vel etiam lucrum cessat, quod ex operis per aliquod tempus intermittendis alias sperari poterat (§. 571.).

§. 574.

De reparatione injuriæ.

Si injuria reparari potest, ei, qui passus est, restituendum est, quod suum est, vel fuit, aut præstandum, quod ipsi debetur. Injuria enim reparatur, si pars læsa aliqua præstatione lædentis restituitur in eum statum, ut perinde sit, ac si injuria facta non fuisset (§. 571.). Quamobrem cum id, quod reparari potest, aut nostrum sit, vel fuerit, aut nobis debeatur (§. 572.), & pars læsa restituatur in eum statum, quo perinde est, ac si injuria facta non fuisset, si consequitur quod suum est, aut fuit, vel quod ipsi debetur; si injuria reparari potest, ipsi restituendum est quod suum est, vel fuit, aut præstandum, quod ipsi debetur (§. 540.).

Ita debitor ad solutionem compellendus, si morosus solvere nolit, & ad rem tuam restituendam adigendus, qui eam possidet, si sponte sua eam restituere recusat.

§. 575.

Si injuria partim reparari possit,

Si injuria partim reparari potest, partim reparari nequit; & quod debetur restituendum, & qui fecit puniendus. Etenim si injuria reparari potest, restituendum quod ei debetur, qui passus est

est (§. 574.); si vero nequit, puniendus qui fecit (§. 573.). Quamobrem si injuria partim reparari potest, partim nequit, & quod debetur restituendum, & qui fecit puniendus.

partim ne-queat.

Ita qui te vulneravit sine justa causa, & puniendus, quia vulveneravit, & impensas in sanationem vulneris factas restituere tenetur.

§. 576.

Universitas in civitate spectanda est tanquam persona moralis. Etenim si civitas constituitur, singuli se obligant universis, quod commune bonum promovere velint, & universi sese obligant singulis, quod sufficientiæ vitæ ipsorum, tranquillitati & securitati prospicere velint (§. 28.), consequenter ex obligatione singulorum universitati nascitatur jus (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum universitas sit subjectum certorum jurium & certarum obligationum, tale subjectum autem sit persona moralis (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*); universitas in civitate spectanda est tanquam persona moralis.

Quomodo universitas in civitate spectanda.

Ostenditur etiam hoc modo. Quælibet societas spectanda est instar unius personæ (§. 161. *part. 7. Jur. nat.*), intuitu nimirum finis (*not. §. cit.*), cujus consequendi gratia cum in eam cadant certæ obligationes (§. 941. *Ontol.* §. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & hinc pendentia jura (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*), instar personæ moralis (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque civitas societas est (§. 4.); integro quoque civitas, seu universitas in eadem tanquam persona moralis spectatur.

Quænam sint obligationes universitatis & singulorum, ex fine societatis æstimandum (§. 28. 4.) & inde porro derivandum est jus universitatis (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quemadmodum in antecedentibus fecimus & in sequentibus

bus porro faciemus. Sane dum de constituenda Rep. agimus, non aliud agimus, quam ut demonstremus, ad quænam universitas obligetur, ut inde porro pateat, quænam eidem competant jura. Ac ideo personam moralem, quæ universitas est, intimius hinc cognoscere datur.

§. 577.

De injuria universitati in civitate facta.

Quoniam universitas in civitate, seu quæ eandem constituit, spectanda est tanquam persona moralis (§. 576.), consequenter eidem certa competunt jura (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*), injuriam autem alteri facit, qui jus ipsius violat, seu contra id quidpiam agit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); *uni-universitati injuriam facit, quicunque facit, quod est contra jus quodpiam ipsius, seu jus quoddam ejus violat.*

In civitate igitur injuria singulis facta probe distinguenda est ab injuria, quæ fit universitati, & quomodo injuria singulis facta redundet in universitatem considerandum: quo in casu eodem facto committitur injuria tum in privatum quendam, tum etiam in universitatem.

§. 578.

De læsione ejusdem.

Cum universitati injuriam faciat, quicunque facit quod est contra jus quodpiam ipsius (§. 577.), qui vero quid facit contra jus alterius, eum lædat (§. 920. *part. 1. Jur. nat.*; *qui quid facit contra jus quodpiam universitatis in civitate, eandem ledit.*

Quoniam universitas persona moralis est (§. 576.), in quam non cadunt nisi certæ obligationes & jura certa (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*); ea quoque aliter lædi nequit, quam factis vel non factis, quæ sunt contra jus ipsius. Quamvis vero hic potissimum spectentur læsiones, quatenus a singulis ad civitatem spectantibus fiunt; suo tamen loco ostendetur, quomodo etiam ad extraneos & integras gentes sint extendendæ.

§. 579.

Digitized by Google

§. 579.

Universitati in civitate competit jus puniendi eum, qui ipsam laesit, seu violatorem juris sui. Etenim universitas spectari potest tanquam persona quædam moralis (§. 576.), cui certa competunt jura (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*), & qui contra hæc quicquam facit, eam lædit (§. 578.). Quam obrem cum unicuique naturaliter competat jus puniendi eum, qui ipsum læsit (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*); universitati competit jus puniendi eum qui ipsam læsit, seu violatorem juris sui. *De jure puniendi violatorem juris universitatis petentis.*

Distinguendum hoc jus est ab exercitio juris puniendi privati, de quo antea egimus, etiam in eo casu, in quo idem factum tum contra jus privati, tum contra jus universitatis, quatenus tanquam persona moralis spectatur, committitur (*not.* §. 578.), sit ita quod utraque poena eodem actu ab eo, qui injuriam fecit, exigatur, quatenus poena major utramque continet.

§. 580.

Factum dolosum, quo alteri damnum datur, vel injuria infertur, *Maleficium* dicitur: *Quasi maleficium* vero vocatur factum istiusmodi culposum. *Maleficium & quasi maleficium quid sit.*

Ita aggressor, qui alterum vulnerat, damnum eidem dat, quatenus eidem causatur impensas in sanationem vulneris faciendas, & præterea securitatem, jus omni homini natura competens (§. 918. *part. 1. Jur. nat.*), violat. Factum igitur hoc maleficium est. Similiter stupratio violenta virginis maleficium est, quo injuria, quæ reparari nequit, infertur. Si vero quid ex ædibus nostris dejicitur, quo prætereunti vulnus infligitur; factum hoc quasi maleficium est.

Digitized by Google

§. 581.

Delictum & Crimen quid sit.

Maleficium, quo privato damnum datur, vel injuria infertur *Delictum*; quo vero damnum datur, vel injuria infertur universitati in civitate, aut si mavis Reip. *Crimen* appellare lubet. Dicuntur quoque illa *Delicta privata*; hæc *publica*. Quoniam vero eodem facto & privato, & Reip. damnum dari, vel injuria fieri potest; ideo *idem maleficium & delictum privatum, & publicum*, seu *& delictum, & crimen esse potest.*

Vocabula maleficium, delictum & crimen non satis determinatum habent significatum, sed tantisper vagum, ut haud raro promiscue usurpentur. Cum tamen nostrum fuerit ea ad significatum fixum reducere (§. 144. *Disc. prælim.*), ut a significatu famosiori non nimis recederemus operam dedimus. Sufficit nos vocabulis in hoc significatu uti velle, quod nobis utique permittendum.

§. 582.

De legibus in Rep. ferendis.

In Rep. ferendæ sunt leges, tum de iis, quæ fieri debent a civibus, seu subditis, tum de his, quæ facere non debent, tum denique de his, quæ ipsis permissa esse debent. Cum enim civitas societas sit (§. 4.), quælibet autem societas suas habere debeat leges (§. 46. *part. 7. Jur. nat.*), quibus præscribuntur media, quibus finis societatis obtinetur (§. 49. *part. 7. Jur. nat.*); civitas quoque suas habere debet leges, quibus edicitur, quæ finis consequendi gratia a singulis fieri debeant, quæ hujus causa fieri quæ non debeant, aut singulis permissa esse debeant, consequenter istiusmodi leges ferendæ sunt in Rep. (§. 16.).

Leges nimirum vel præceptivæ sunt, vel prohibitivæ, vel permissivæ (§. 163. *& seqq. part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem

Digitized by Google

obrem si leges in Rep. feruntur, perpendendum omnino est, quænam a subditis fieri debeant, ut finis civitatis obtineatur, quænam vitari, ne eidem præjudicetur, quænam denique ex iis, quæ naturaliter licita sunt, permitti possint subditis absque metuendo damno, quod Reip. dari poterat facto fini civitatis adverso. Ita lex præceptiva est, qua certa merces diurna operariis præstanda definitur: lex prohibitiva, qua lupanaria non esse toleranda declaratur: lex permissiva, qua nobili ignobilem ducere permittitur.

§. 583.

Quæ lex nec prohibet, nec præcipit, nec expresse permittit; ea tacite permissa sunt in Rep. Etenim quod lex non prohibet, ad id non agendum nos minime obligat (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*); si non præcipit, ad id agendum non obligat (§. 164. *part. 1. Phil. pract. univ.*), denique quod non expresse permittit, idem agendi, aut non agendi jus non dat (§. 165. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero ad quod agendum, vel non agendum lex nulla nos obligat, neque jus dat: tacite permittit (§. 166. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem quæ lex nec prohibet, nec præcipit, nec expresse permittit, ea tacite permissa sunt in Rep. *Quænam tacite permittantur in Rep.*

Ita tacite permittitur matrimonium nobilis cum ignobili, si nulla lege prohibetur, nec lege quadam expresse sancitum, ut permissum esse debeat. Tacite permittitur, ut quis cultui divino publico non interfit, si nec præcipitur, ut interfit, nec prohibetur, ut eundem pro lubitu negligat, neque etiam lex ulla extet, quæ uhicuique liberum facit, utrum illi interesse velit, an nolit.

§. 584.

Si quod lex civilis expresse permittit, id naturaliter illicitum est; non dat verum jus agendi, sed tantummodo agendi impunitatem De effectu legis permissivæ, si

Digitized by Google

quod permittitur, naturaliter illicitum.

punitatem & jus ne quis agentem impedire possit, quo minus faciat. Si quid enim naturaliter illicitum, ad id omittendum, seu non agendum naturaliter obligamur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum obligatio naturalis sit necessaria & prorsus immutabilis (§. 141. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec lege positiva, seu civili ea tolli potest, consequenter nec hæc verum jus agendi dare potest (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat primum.*

Enimvero quando lege expresse declaratur, quod quid permissum esse debeat, per se patet, quod quasi faciat, propterea puniri non possit, neque cogi ut non faciat. Quamobrem cum impune agamus, quando ab aliis permittendum, ut agamus, quamvis naturaliter ad contrarium obligemur, nec propterea poenæ obnoxii fiamus (§. 418. *part. 3. Jur. nat.*); si lex civilis expresse permittit, quod naturaliter illicitum est, agendi tantummodo impunitatem dat. *Quod erat secundum.*

Ponamus denique id, quod lege expresse permittitur, quo minus facias, jure impediri posse ab alio; seu ut impediat eidem permissum esse; perinde omnino erit, ac si permissum non esset: quod cum sit absurdum, lex, quæ expresse permittit, quod naturaliter illicitum, dat etiam jus, ne quis agentem impedire possit, quo minus faciat. *Quod erat tertium.*

E. gr. Si lege expressa permittantur lupanaria, quæ naturaliter illicita sunt (§. 243. *part. 7. Jur. nat.*); qui ea exercet, non vero jure, sed tantummodo impune hoc facit, nemini tamen competit jus impediendi, quo minus faciat, sed quilibet potius obligatur non impedire. Nimirum in genere lex permissiva obligat tertium ad me non impediendum, quo minus faciam

Digitized by Google

faciam quod permiſſum eſt, & ex iſta obligatione naſcitur jus non patiendi, ut impediat. Ita in ſtatu naturali mihi permiſſus eſt uſus rei cujuscunque neceſſarius (§. 14. *part. 2. Jur. nat.*), ſed nemini quoque eundem impedire licet (§. 36. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 585.

Legibus tales ac tantæ addendæ ſunt poenæ, quæ ad cohibendam legum transgreſſionem, quantum datur, ſufficiunt. Et enim in omni ſocietate hoc fieri poteſt ac debet (§. 56. *part. 7. Jur. nat.*). Ergo etiam in civitate, quæ ſocietatis ſpecies eſt (§. 4.). *De poena legibus addenda.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Lege obligari debent ſubditi ad faciendum, quod præcipitur, & omittendum, quod prohibetur (§. 163. 164. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero obligatio poſitiva, quæ ſcilicet a voluntate humana proficiſcitur (§. 290. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſanctione poenali, conſequenter poena legi adjecta (§. 289. *part. 1. Phil. pract. univ.*), introducitur (§. 291. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ergo legibus adjiciendæ ſunt poenæ tales ac tantæ, quæ ad cohibendam legum transgreſſionem ſufficiunt.

Ita ſi adulterium prohibetur, poena adulterii legi prohibitivæ addenda. Si præcipitur, ut quis conventui interſit; legi præceptivæ adjicienda poena, quam ſubire debet, qui non advenerit.

§. 586.

Si lex præceptiva exigit, ad quod præſtandum quis vi compelli poteſt, poena opus non eſt. Etenim ſi quis vi compelli poteſt ad id præſtandum, quod lex exigit; is facere tenetur, quod præcipitur, etiamſi nolit, nec ſua ſtare voluntate, ſed *ſit opus.* *Quando legi præceptivæ poenam adjici non*

Digitized by Google

ſed legislatoris. Quamobrem cum poenæ ſint motiva actionum committendarum, vel omittendarum (§. 287. *part. 1. Phil. pract. univ.*), in hypotheſi autem propoſitionis præſentis motivo nullo ſit opus, quod per ſe patet, modo intelligas, quid ſit motivum (§. 890. *Pſych. empir.*); ſi lex præceptiva exigit, ad quod præſtandum quis vi compelli poteſt, poena opus non eſt.

E. gr. ponamus lege præcipi, ut unusquisque civium certam pecuniam ſolvat ad pauperes ſuſtentandos, non opus eſt ut poena decernatur in eos, qui ſolvere nolunt, cum a magiſtratu ad ſolvendum vi compelli poſſint. Similiter ſi præcipitur, ut certa merces pro certis operis præſtetur; non opus eſt, ut qui præſtare nolit puniatur, cum a judice ad ſolvendum compelli poſſit.

§. 587.

De legibus improprie ſic dictis.

Si Rector civitatis ſignificat, quid a ſubditis fieri, aut non fieri debeat, non vero addit, quod ſecus facientes puniri, aut a magiſtratu ad faciendum vi adigi debeant; iſta voluntatis declaratio proprie loquendo lex non eſt, ſed Rector civitatis ſubditos inſtruere ſaltem voluiſſe intelligitur, quidnam ſit officii ipſorum. Etenim ſi qui ſecus faciunt, quam vult Rector civitatis, nec puniuntur, nec vi adiguntur a Magiſtratu, ut faciant, nulla ipſis neceſſitas imponitur, id, quod ipſe vult, faciendi, conſequenter ad faciendum non obligantur (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi ſubditi non obligantur id facere, quod jubentur, aut non facere, quod displicet Rectori civitatis, quod ipſis præſcribitur lex non eſt (§. 131. *part. 1. Phil. pract. univ.*. Quamobrem ſi Rector civitatis ſignificat, quid a ſubditis fieri velit, aut non fieri, non vero ſecus facientes puniri, aut ſua ſponte facere nolentes ad faciendum

Digitized by Google

ciendum vi compelli jubet; proprie loquendo legem non fert. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen significatione voluntatis suæ nihil agere voluisse dicendus, non aliud restat, quam quod subditos instruere saltem voluerit, quid facere sit officii ipsorum. *Quod erat alterum.*

In civitate libertas naturalis singulorum restringitur quoad eas actiones, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt, quoad ceteras illa illibata manet (§. 47.), nec ultra eas imperium civile extenditur (§. 35.). Quamobrem non ob quoslibet actus juri naturæ adversos puniri debent subditi. Quoniam tamen curæ esse debet Rectori civitatis, ut subditi sint virtuti dediti, & ne a virtutis tramite ad vitia deflectant, & qui deflectunt a vitiis revocentur & in viam rectam reducantur (§. 456.); eidem maxime convenit, ut suam etiam de his voluntatem significet & subditis inculcet officium suum. Leges igitur, quæ non sunt nisi repetitiones legum naturalium & civiliter nonnisi improprie leges dicuntur, pro temerariis habendæ non sunt. Accedit quod in puniendis delictis atque criminibus ratio quoque habenda sit transgressionis illarum legum, quemadmodum ex sequentibus elucescet. Istiusmodi leges sunt, quæ jubent cives esse concordes, pietatis studiosos, virtuti deditos, justitiæ cultores, ut sine urgente causa non negligant cultum divinum publicum, ut dignitati conspicui aliis exemplo sint, ut parentes omni sollicitudine educationem liberorum curent & porro.

§. 588.

Poenæ consistunt in privatione sui, & in faciendo dolore in corpore. Etenim poenæ, quæ ab homine homini inflinguntur, vel sunt mala fortunæ, vel mala corporis (§. 286. *consistant. part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam mala fortunæ sunt, quæ *Poenæ civiles in quo*

statum

ſtatum externum imperfectiorem reddunt (§. 566. 567 *Pſych. empir.*); huc ſpectant, quæ ſunt in bonis noſtris (§. 448. *ſeqq. part. 2. Jur. nat.*) & fama atque exiſtimatio (§. 538. 553. *part. 1. Jur. nat.*). Similiter cum mala corporis ſint quæ corpus noſtrum, vel ſtatum noſtrum imperfectioni obnoxium reddunt (§. 566. 567. *Pſych. empir.*); huc pertinet jactura vitæ, aut membri cujusdam corporis & dolor, qui in corpore fit. Quamobrem cum quis ſuo privetur, ſi privetur iis, quæ ſunt in bonis ſuis, aut membri alicujus corporis, vel ipſius vitæ jacturam faciat; poenæ conſiſtunt in privatione ſui & in faciendo dolore in corpore.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quicquid noſtrum eſt, vel ſunt res corporales, vel incorporales, quæ ad ſtatum noſtrum externum referuntur, vel vita & membra corporis noſtri. Quamobrem ſi privemur aliquo, quod noſtrum eſt, bonum aliquod amittimus vel fortunæ, vel corporis (§. 567. *Pſych. empir.*), conſequenter cum abſentia boni malum ſit (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*), malum quoddam nobis accidit. Et quod in corpore ſentire dolorem malum ſit, nemine contradicente ſumi poteſt. Poenæ igitur quia mala phyſica ſunt, quæ nobis immittuntur ab alio (§. 285. *part. 1. Phil. pract. univ.*); eædem utique conſiſtunt in privatione ſui & in faciendo dolore in corpore.

Diverſa ſunt poenarum genera, quæ ut determinari poſſint neceſſe ut conſtet, in quonam poenæ conſiſtere poſſint. Nihil homo habet, quod ipſi adimi poſſit, ut ægre eidem fiat, quam res corporales & incorporales, vitam & corporis membra; nec aliter alias eidem ægre fieri poteſt, quam corpus affligendo. Quamobrem hinc petenda eſt omnis poenarum civilium differentia.

§. 589.

Digitized by Google

§. 589.

Quia poena conſiſtit vel in privatione ſui, vel in faciendo dolore in corpore (§. 588.), quæ autem noſtra ſunt, vel ſunt res ſive pecunia, vel jura nobis competentia, vel exiſtimatio aut fama, vel corporis noſtri membra atque vita, & dolor in corpore non uno modo fieri poteſt, veluti ſi virgis cæditur, ſi baculo percutitur, ſi ferro candente aduritur; *in poenam adimi poſſunt res quaecunque corporales, quae ſunt in dominio noſtro, pecunia, jura qualibet, ſive in perpetuum, ſive ad certum tempus, fama & exiſtimatione privari, ſeu infamia notari poſſumus, corpus variis modis affligi & ipſa denique vita eripi poteſt non uno modo.* *Quot modis homo puniri poſſit.*

Qualescunque tandem ab hominibus excogitatæ fuerint poenæ, eædem ad hæc genera reducuntur. Noſtrum non eſt perſequi omnes poenas in ſpecie, quæ vel apud nos, vel gentes alias uſitatæ ſunt. Sufficit itaque notaſſe quod neceſſarium fuerit varias excogitare poenas, quia delicta & crimina eadem poena coerceri nequeunt, immo nec idem delictum atque crimen in diverſis ſubjectis, vel etiam tempore diverſo, prouti ex ſequentibus haud difficulter intelligetur.

§. 590.

Mulcta dicitur poena; quæ in ſolutione pecuniæ, vel rei cujusdam corporalis, aut incorporalis, cujus quippe pretium pecunia metimur (§. 290. *part. 4. Jur. nat.*), conſiſtit. *Mulcta quid ſit.*

Equidem hodie mulcta communiter ſumitur pro poena pecuniaria; conſtat tamen primitus mulctæ nomine veniſſe, quod teſte *Varrone* ſingula ob peccata exigebatur, veluti ovem, bovem. Et quidem mulcta minima erat unius ovis, maxima triginta boum & duarum ovium. Hinc eodem *Varrone* au-

Digitized by Google

tore multa maxima dicta trium millium & viginti assium, quia bos centussibus, ovis decussibus æstimabatur. Vid. *Stephanus* in Thes. Linguæ Lat. Voc. Multa. Ideo quando *Moses* Exod. XXII, 1. furem bovis in restitutionem boum quinque & furem ovis in restitutionem ovium quatuor condemnat, cum boves quatuor & oves tres in poenam dentur, poena hæc utique mulctæ accensenda.

§. 591.

Fiscus quid sit.

Fiscus vocatur receptaculum pecuniæ privatæ Regis, seu imperantis. Ita tamen etiam appellantur ipsi nummi, aut in genere ipsa bona Regis ad privatos vsus destinata. *Quæ* igitur *Regis propria, seu ad ejus usus privatos destinata, in fisco sunt.*

Ita *Seneca* de Benefic. lib. 7. c. 6. Cæsar, inquit, omnia habet, fiscus ejus privata tantum ac sua, & universa in imperio ejus sunt, in fisco propria.

§. 592.

Fiscus collegii quid sit.

Fiscus collegii, aut universitatis cujusdam particularis dicitur receptaculum pecuniæ illi collegio, seu universitati isti propriæ, consequenter ad usus ipsius destinatæ. Solet etiam pecunia ipsa collegio isti propria, ut ad usus suos necessarios de ea disponat, fiscus appellari.

Fiscus simpliciter dictus semper intelligitur de fisco Principis.

§. 593.

Confiscatio quid sit.

Confiscatio bonorum est actus, quo in poenam omnia bona, quæ quis habet, eidem adimuntur & fisco attribuuntur. Unde simul intelligitur, quid sit *Confiscatio rei* cujusdam *singularis.*

Jure

Digitized by Google

Jure veteri Romanorum bona ob crimen condemnatorum veluti si vita adimebatur, aut civitas, aut servilis conditio irrogabatur, vel si quis ad ferrum aut bestias, aut in metallum damnabatur, confiscabantur; sed confiscationem hanc in Novell. 134. c. 13. sustulit *Justinianus*, excepto crimine laesae majestatis, & eandem quoque in imperio Romano-Germanico abrogavit *Carolus V.* Imperator in Ordin. Crimin. art. 218.

§. 594.

Si alicujus bona confiscantur, haeredes non puniuntur ob ipsius crimen, sed tantummodo malum sentiunt occasione criminis confiscentur ejusdem. Etenim haeredes nullum habent jus in bonis ejus, *puniantur* qui punitur, quamdiu vivit, sed tantummodo succedunt in *haeredes*. bona, quae defunctus relinquit (§. 958. 960. *part. 7. Jur. nat.*). Enimvero quando bona confiscantur, ea vivo adimuntur & fisco attribuuntur (§. 593.), consequenter post mortem nihil bonorum supereſt, ac ideo quoque nullum est jus eorum, qui existerent haeredes, si qua bona relinquerentur. Nihil igitur adimitur haeredibus, quod suum erat. Quamobrem nec ipsi puniuntur ob crimen ejus, cujus bona confiscantur in poenam criminis (§. 588.). *Quod erat unum.*

Quoniam tamen crimine non admisso bona confiscata non fuissent, post mortem delinquentis in iis successissent haeredes (§. 958. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem propter confiscationem bonorum abest haereditas, quam crimine non admisso habituri fuissent. Quoniam itaque absentia boni malum est (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*); bonis ob crimen confiscatis occasione ejusdem malum sentiunt haeredes. *Quod erat alterum.*

Nimirum confiscatio bonorum respectu haeredum est instar casus funesti, quo haereditate, quam sperabant, privantur.

Digitized by Google

tur. Et quamvis *Justinianus* & *Carolus V.* Imperator iniquum esse existimaverint, ut ob crimen condemnatorum bona confiscarentur; id tamen non ea de causa factum est, quod criminis non participes puniantur ob factum alienum, sed quod poena nimis dura visa fuerit. Quamobrem confiscationi bonorum adhuc locum fecerunt in crimine laesæ majestatis, seu perduellionis, quod propter atrocitatem graviori poena coërcendum.

§. 595.

Relegatio quid sit & ejus effectus.

Relegatio est expulsio e civitate, aut saltem e territorio quodam. *Quodsi* ergo *relegatus e civitate ejicitur, membrum civitatis esse desinit*, consequenter *universitati non amplius obligatur, nec ei, aut Rectori civitatis amplius aliquod jus in eundem competit.* Similiter patet, *si territorio exire jubetur, in eam magistratui, qui jurisdictionem in eodem habet, nihil juris amplius competere.* Patet etiam, *relegato liberum non esse, ut in terras, ex quibus ejectus est*, pro lubitu *accedat & ibidem commoretur.*

Cum relegatione convenit aquæ & ignis interdictio: quibus enim aqua & igni interdicitur, ii in ea regione, in qua habitant manere non possunt, sed ex ea discere coguntur, cum illarum rerum usu nemo carere possit. Hoc genus poenæ olim apud Romanos in usu fuit, sed jam apud ipsos in desuetudinem abiit & in ejus locum successit deportatio. Notandum vero est nos relegationem sumere in eo significatu, qui hodie apud nos receptus est, non vero in illo, qui Romanis erat familiaris. apud quos relegati provincia quidem aliqua & insulis excedere jubebantur, civitatem tamen Romanam retinebant, quam deportati amittebant. Quæ in statu civili Romanorum proprio rationem sufficientem habent, parum commode ad quemvis alium applicantur.

§. 596.

Digitized by Google

§. 596.

Relegatio temporaria eſt, quæ ad certum tempus extenditur, veluti ad biennium, aut triennium. Aſt *perpetua* eſt, quæ per totam relegati vitam durat. *De relegatione temporaria & perpetua.*

Quod relegatio temporaria ultra decennium non extendatur, rationem naturalem minime habet, ſed mere civile eſt.

§. 597.

Deportatio eſt in locum quendam remotum & certo ſpatio circumſcriptum invitus ſeceſſus, quo egredi minime licet. *Deportatio quid ſit.*

Hoc poenæ genus apud Romanos ſucceſſit in locum interdictionis aquæ & ignis, apud quos ut interdictio ignis & aquæ, ita etiam deportatio poenæ capitali æquiparabatur. Effectus vero poenæ iſtius apud Romanos meræ voluntatis erat, qui proinde pro lubitu variari poteſt, ſiquidem ea uti voluerimus. Apud Ruſſos ea adhuc in uſu eſt, ubi in Siberiam mittuntur criminis rei, qua egredi ipſis minime permittitur.

§. 598.

Carcer locus eſt, unde quis exire prohibetur. *Poena carceris* eſt, qua quis ad certum tempus, vel donec vixerit, in eodem conditur. Quoniam in carcerem detruſus non pro lubitu ire poteſt, quo voluerit, ſed invitus eo in loco, in quo detinetur, manere cogitur; *poena carceris eidem adimitur jus eundi, quo voluerit.* Atque ideo patet, *carcere delinquentes puniri poſſe* (§. 589.). *De carcere & poena carceris.*

Equidem carceris uſus eſt ad detinendos homines criminis reos, ne aufugiant poenam evitaturi; attamen coërcendis quoque hominibus inſerviunt. Quamobrem hodie poena carceris frequentiſſima eſt.

Digitized by Google

§. 599.

De interdictione aditus in certum locum.

Relegationi quodammodo affinis est *Interdictio aditus in certum locum*, quæ definitione nulla indiget, veluti si quis prohibetur venire in urbem, vel pagum certum. Facile patet, *aditu in certum locum interdici iis, qui sedem fixam ibi non habent.* Patet porro, *relegationem continere interdictionem aditus in certum locum.* Etenim qui ex territorio quodam relegatur, ei etiam interdicitur, ne in eum locum veniat.

§. 600.

De interdictione exitus ex certo loco.

Ex adverso deportationi affinis est *Interdictio exitus ex certo loco*, quæ itidem definitione non indiget, veluti si quis prohibetur egredi ex urbe, vel domo, vel mutare domicilium, ut invitus manere debeat in urbe, vel ædibus suis, vel eo loco habere domicilium, in quo nunc habet. Facile patet, *deportationem continere interdictionem exitus ex certo loco.*

Nimirum & in hoc, & in proxime præcedente poenæ genere (§. 599.), is qui punitur, privatur aliquo jure, quo alias fruebatur, nimirum jure exeundi vel domicilium mutandi pro lubitu, & ex adverso jure accedendi in aliquem locum, ac ideo interdictio utraque poenæ locum rueri potest (§. 589.). Interdictio, ne quis certo loco egrediatur, veluti urbe, pago, vel domo sua cum carcere quoque convenit (§. 598.).

§. 601.

Poena capitalis quid sit.

Poena capitalis dicitur, quæ vitam homini adimit. Vocatur etiam *ultimum supplicium*, idiomate patrio Lebens-Straffe.

Quoniam vita hominis non uno modo adimi potest, varia

Digitized by Google

ria quoque dantur poenarum capitalium ſpecies, non ubivis gentium eædem. Præcipuas earum commemorare lubet, præſertim eas, quæ apud nos in uſu ſunt.

§. 602.

Decollatio eſt poena capitalis, qua caput gladio, vel alio inſtrumento amputatur. Unde etiam *Poena gladii* dicitur. *De decollatione.*

Amputatio capitis in plerisque locis, etiam apud nos, gladio perficitur; in nonnullis locis, veluti in Anglia & Ruſſia, ſecuri.

§. 603.

Suſpendium eſt poena capitalis, qua homo e furca publica, vel patibulo, laqueo aut catena collo circumdata ſuſpenditur. *De ſuſpendio.*

Hoc nimirum modo homo gulam ſtringendo necatur.

§. 604.

Cruciſixio eſt poena capitalis, qua homo clavis ferreis per manus & pedes trajectis cruci affigitur. Patet itaque, *crucifixos vitam cum cruciatu traxiſſe & tandem fame enecatos fuiſſe.* *De Cruciſixione.*

Mortis ideo accelerandæ cauſa ſubinde crura crucifixorum frangebantur. Supplicium hoc atrociſſimum Romanis in uſu erat: ſed iisdem ad fidem chriſtianam converſis crux in furcam mutata & in locum crucifixionis ſuſpendium ſubſtitutum, retenta tamen alicubi atrocitate poenæ, ut ſuſpenſi non laqueo ſuffocentur, ſed unco corpori impacto cruciatu atque fame tandem enecentur, prouti refert *Tournefort* in Itinerario Orientis ſermone Gallico editi. Erat alias *Uncus* peculiare genus ſupplicii

Digitized by Google

ſupplicii ignominioſiſſimi apud Romanos, quo homo unco gutturi infixo vel in ignem, vel in gemonias ſcalas, a ut in Tiberim trahebatur. Dicebantur autem *gemoniæ* ſcalæ, ad quas corpora damnatorum unco tracta præcipitabantur. *Plinius* lib. 8. c. 40. gemonios gradus vocat.

§. 605.

De ſtrangulatione.

Strangulatio eſt poena capitalis, qua homo collo in laqueum inſerto vitam finire cogitur.

Supplicium hoc apud Turcas uſitatiſſimum eſt & quoad modum finiendi vitam convenit cum ſuſpendio, quali nos utimur.

§. 606.

De ſupplicio rotæ.

Rotæ ſupplicium eſt poena capitalis, ubi crura & brachia hominis, cervix item & ſternum rota contunduntur & mortui deinde cadaver rotæ affigitur.

Hoc genus ſupplicii jam olim Romanis in uſu fuit, quemadmodum ex *Ammiano Marcellino*, Hiſt. lib. 14. conſtat, & hodienum apud nos quoque in variis criminibus receptum.

§. 607.

De ſubmerſione & ſuffocatione in aquis.

Submerſio & ſuffocatio in aquis eſt poena capitalis, qua homo in aquis ſubmerſus ſuffocatur.

Sanctio Carolina art. 130. 131. & 159. in pluribus criminibus hanc poenam dictari jubet: in Saxonia vero nonniſi in parricidio retenta, ubi damnatus una cum cane, vipera, ſimia, vel loco iſtius fele & gallo gallinaceo culeo inſutus in flumen propinquum projicitur & aquis ſuffocatur.

§. 608.

Digitized by Google

§. 608.

Combustio vel *supplicium ignis* est poena capitalis, qua homo rogo impositus concrematur atque in cineres redigitur. Ad mitigandam poenam subinde quoque capite amputato nonnisi cadaver concrematur. *De combustione.*

Supplicium ignis etiam olim apud varias gentes in usu fuit, sed quæ non uno modo igne necarunt homines, quod hic recensere supersedemus, cum plerique modi a crudelitate immani non sint alieni.

§. 609.

Dissectio in quatuor partes est poena capitalis, qua corpus hominis vivi in quatuor partes dissecatur & singulæ cadaveris partes in singulis viis publicis suspenduntur. *De dissectione in quatuor partes.*

Supplicium hoc omnium severissimum apud nos habetur & rarissimum est, quo nonnisi adversus personam Imperatoris, vel Principes Electores manu sua delinquentes coercentur. Vid. *Carpzovius* in Criminal. part. 3. quæst. 129. n. 52. 53.

§. 610.

Augmenta poenarum capitalium dicuntur actus, quibus ultimo supplicio afficiendus vel affectus majore ignominia afficitur, aut cruciatu majore torquetur, veluti si damnatus trahæ impositus & alligatus, vel corio impositus ab equo per vias & plateas ad locum supplicii pertrahitur, si decollati cadaver rotæ imponitur, si damnatus vehiculo impositus, dum ad locum supplicii ducitur, forcipibus candentibus aduritur, si crurifragio plectendi crura & brachia ante rota frangantur, quam cervix, aut sternum contunditur. *De Augmentis poenarum capitalium.*

Digitized by Google

Nolumus plura recenſere poenarum capitalium genera, quam quæ vel apud nos hodie in uſu ſunt, vel cum iis conveniunt. Supplicia ultima apud nos uſitata ſunt decollatio, ſuſpendium, rota, ſuffocatio in aquis, combuſtio & diſſectio rei in quatuor partes; Augmenta autem eorum impoſitio trahæ, impoſitio cadaveris rotæ, aduſtio forcipum candentium, contuſio rotæ, qua primo crura & brachia franguntur, & a nobis exempli loco modo commemorata ſunt.

§. 611.

Poena corporis afflictiva quænam dicatur.

Poena corporis afflictiva dicitur, quæ dolorem facit in corpore, ſed mortem non affert.

Nolumus quoque hic prolixe commemorare poenas corporis afflictivas, quæ vel olim apud quasdam gentes, præſertim Romanos, in uſu fuerunt, vel etiamnum ſunt; ſed in iis acquieſcimus, quæ apud nos recepta ſunt.

§. 612.

Fuſtigatio quid ſit.

Fuſtigatio eſt poena corporis afflictiva, qua dorſum denudatum hominis per vias & plateas oppidi, aut pagi alicujus virgis cæditur. Alicubi ad palum deligantur & virgis cæduntur rei.

Fuſtigatio ſuos habet gradus pro numero plagarum, quibus afficitur corpus. Quamobrem numerus determinandus eſt, prouti poena major, vel minor irroganda.

§. 613.

De caſtigatione in carcere.

Affinis fuſtigationi eſt *Caſtigatio in carcere*, quae eſt poena corporis afflictiva, quae privatim in carcere virgis fit per lictorem, aut magiſtrum carceris.

Dici ſolet caſtigatio, quia poena hæc emendatrix poriſſimum

Digitized by Google

mum est, irroganda iis, de quibus spes emendationis superest.

§. 614.

Mutilatio membrorum dicitur, si membrum aliquod corporis abscinditur, aut amputatur. Huc pertinet abscissio digitorum, aurium, linguæ vel nasi, amputatio manus, vel pedis. *De mutilatione membrorum.*

Carpzovius in Criminal. part. 3. quæst. 129. n. 28. 32. abscissionem duorum digitorum & manus amputationem tanquam diversas poenas corporis afflictivas distinguit, cum utique sint diversæ species, nec in eodem genere criminis irrogentur. Quoniam tamen eidem generi subsunt, nobis placuit hoc genus mutilationem membrorum appellare.

§. 615.

Membrorum extensio est poena corporis afflictiva, qua membra corporis violenta tractione extenduntur. *De extensione membrorum.*

Carpzovius loc. cit. n. 39. poenam hancce ait mitiorem haberi fustigatione; illi tamen æquiparari, si ad duos, tres vel quatuor gradus instituatur. Ab Italis inventam dicit, quibus *Tratto di corda* appellatur, & inde ad Germanos pervenisse, dubitat tamen, an alibi in Germania, quam in Electoratu Saxoniæ usu recepta sit, ubi hac poena saltem afficiendi rei, qui in flumine alieno piscari deprehensi fuerint, relictum tamen arbitrio judicis, ut relegatione, vel quandoque etiam fustigatione puniatur reus. Quamobrem & in Saxonia vix occurrunt hujus poenæ exempla.

§. 616.

Damnatio ad triremes, metallum vel aliquod opus publicum est poena corporis afflictiva, qua hominis corpus continuis *De damnatione ad triremes, me-*

Digitized by Google

tallum vel opus publicum.

tinuis ac duris laboribus defatigatur. Per se patet, *hoc poenæ genus esse posse vel temporarium, vel perpetuum.*

Dubitabunt forsan nonnulli, num hoc poenæ genus ad prenas corporis afflictivas referendum sit, si poena corporis afflictiva dicatur, quibus dolor fit in corpore (§. 611.). Ecquis vero dubitet, defatigationem continuam corporis dolori transitorio æquiparari, si vel maxime dolor proprie loquendo dici non possit, præsertim cum conjuncta sit cum dura servitute & plagis compellatur reus, ne segniter labore perfungatur.

§. 617.

De poena stigmatum.

Stigmatum poena est poena corporis afflictiva, qua notæ quædam corpori hominis ferro candente inuruntur. Patet autem, *stigmata inuri, ut de crimine ab homine perpetrato aliis constet.*

Hæc poena subinde conjungi solet cum fustigatione sicuti cum fustigatione & stigmatum poena conjungitur relegatio perpetua.

§. 618.

De infamiæ poena.

Poena infamiæ dicitur, qua quis existimatione & inde in civitate dependentibus juribus privatur.

Habet ea suos gradus, & multa hic dependent ab opinione hominum. Posse autem hominem quoque puniri, si infamia notetur, inde patet, quod fama bona, honor & existimatio referatur ad id, quod suum est, poena autem in privatione sui consistat (§. 588. 589.). Plures dari hujus poenæ gradus, me non monente, facile intelligitur.

§. 619

Poenæ infames quænam sint.

Poenæ infames dicuntur, quæ cum ignominia conjuncta sunt, vel famæ nocent. Quamobrem cum poenæ capitales

Digitized by Google

pitales & corporis afflictivæ infligantur ob crimina perpetrata; *omnes poenæ capitales & corporis afflictivæ infames sunt.*

Nimirum non poena, sed crimen, quod quis admisit, infamat (§. 862. *part. 1. Jur. nat.*). Hinc si innocens punitur, qui non admisit, quod animadversione dignum sit, is minime fit infamis.

§. 620.

Numellæ sunt poena, qua collo hominis in publico loco circumdatur ferrum semicirculare, alteri suo extremo palo vel muro affixo, altero autem sera munito. Idiomate patrio dicitur das Halseisen. Is, cui poena hæc irrogatur, *ad numellas sisti* dicitur, quod idiomate patrio redditur an den Pranger stellen. Quoniam famæ ejus nocetur, qui ad numellas sistitur (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*); *numellæ referuntur ad poenas infamiæ* (§. 618.), *minime autem ad poenas corporis afflictivas* (§. 611.). *De Numellis.*

Hinc nostris moribus ad numellas sistuntur poena corporis afflictiva afficiendi, vel etiam relegatione perpetua puniendi, ut ideo numellæ sint præparatorium quoddam poenæ irrogandæ. Quemadmodum vero in genere in poena infamiæ plurimum tribuendum hominum opinioni (*not.* §. 118.); ita quoque numellæ non ubivis & semper eandem ignominiam pariunt, præsertim si nulla poena infamis accedat. Alicubi delinquentes coguntur in conspectu populi lapidem in collo, vel manu circumferre, alicubi ob delicta quædam leviora caveæ publicæ includuntur ad conflandam ignominiam. Ast talibus recensendis hic supersedemus.

§. 621.

Sepultura inhonesta dicitur, si cadaver humanum in loco *De sepultura inhonesta & asinina.*

Digitized by Google

co inhoneſto, veluti ſub patibulo aut in loco, ubi cadavera pecudum excoriantur & decarnantur, conditur, aut ſaltem non permittitur, ut in coemeterio humo demandetur: quod poſterius forſan rectius *Denegatio ſepulturæ honeſtæ* appellari poteſt, quaſi ſepultura intermedia inter honeſtam & inhoneſtam. Huc etiam referri poteſt *Sepultura aſinina*, quando non permittitur, ut cadaver cum ceremoniis ſolitis ſepeliatur. Quoniam mortuo adimitur jus, quod alias eidem attributum, ſi in loco inhoneſto ſepelitur, aut ſaltem non permittitur, ut in coemeterio, vel cum ceremoniis ſolitis humo demandetur, in poenam vero homini etiam auferri poteſt jus quodcunque (§. 589.); *ſepultura tam inhoneſta, quam aſinina, & denegatio ſepulturæ honeſtæ poena eſſe poteſt.*

Ignominioſum utique eſt hominem æquiparare bruto, vel indignum cenſeri, qui hominibus honeſtis æquiparetur. Ignominia vero etiam cadit in mortuum & famæ hominis etiam poſt mortem noceri poteſt. Quamobrem abſurdum non eſt, ut in poenam quoque decernatur ſepultura inhoneſta, aut aſinina, vel denegetur honeſta. Atque id tanto magis valet, quatenus poenæ exemplares eſſe debent (§. 1062. *part. 1. Jur. nat.*), ut ideo dicendum non ſit poenam in mortuo ſtatutam carere omni effectu.

§. 622.

De poenis civilibus & criminalibus.

Poenas civiles appellamus, quæ irrogantur ob delictum privatum; *criminales*, quæ ob crimen, ſeu delictum publicum infliguntur.

Ita commode in Jure naturæ poenas civiles & criminales a ſe invicem diſtingui poſſe nobis videtur. Quid juri poſitivo conveniat, definire haud facile eſt. Cum enim id dependeat a voluntate humana, non ubivis locorum poenæ criminales

Digitized by Google

minales a civilibus eodem modo diſtinguuntur. *Carpzovius* part. 3. quæſt. 128. n. 4. & ſeqq. in foro Saxonico poenas capitales & corporis afflictivas criminales haberi affirmat, ceteras, quibus nec vita adimitur, nec corpus affligitur, civiles. Negari tamen non poteſt enaſci hinc ſubinde dubium, quænam cauſæ pro criminalibus habendæ, ubi cauſæ criminales & civiles non ad eundem judicem pertinent. Ita etiam conſtat pro diverſitate circumſtantiarum idem delictum non ſemper eodem modo puniri, ita ut ſubinde in locum poenæ corporis afflictivæ ſuccedat mulcta. Unde patet, eandem poenam pro diverſitate delicti & civilem, & criminalem eſſe poſſe, prouti ea irrogatur vel ob delictum privatum, vel ob publicum, conſequenter vel a Judice, ad quem cauſæ civiles, vel ab eo, ad quem criminales ſpectant.

§. 623.

De poenis arbitrariis, ſeu extraordinariis.

Poenæ arbitrariæ dicuntur, quæ legibus, aut conſuetudine definitæ non ſunt, ſed arbitrio judicis determinandæ relinquuntur. Dicuntur etiam *Poenæ extraordinariæ.*

Intereſt, quemadmodum ſingulorum, ita etiam univerſorum, ſeu Reip. ne delicta & crimina maneant impunita. Enimvero cum ex ſubſequentibus ſatis eluceſcat, fieri omnino non poſſe, ut in omni caſu poenæ definiantur; judicibus relinquendum eſt, ut perpenſis omnibus circumſtantiis non modo genus poenæ eligant, verum etiam gradus, ſi qui dantur, determinent, aut poenas vel exaſperent, vel mitigent. Et hactenus poenæ dicuntur arbitrariæ, non vero quaſi arbitrio ipſorum relictum ſit nova poenarum genera comminiſci, aut alibi terrarum uſitatis uti ad coërcendos delinquentes.

§. 624.

De executione poenarum exemplarium.

Poena exemplares publice ſunt exigendæ de reis. Poenæ enim exemplares ideo exiguntur de reis, ut aliis metus incutiatur,

Digitized by Google

cutiatur, ne eodem modo delinquant, vel idem crimen perpetrent (§. 1062. *part. I. Jur. nat.* & §. 622. *h.*). Quoniam itaque necesse est, ut videant alii, quanam poena afficiatur reus; poenæ exemplares publice sunt exigendæ de reis.

Nemo in dubium vocare ausit, ideam poenæ multo clariorem infigi animis eorum, qui executioni interſunt, quam illorum, quibus nonnisi nomine innotuit, & illi vim multo majorem esse in appetitum sensitivum, quam si quis quandam ex verbis concipit.

§. 625.

Unde gravitas delicti æstimanda.

Gravitas delicti atque criminis æstimanda est ex nocumento, quod affertur & periculo, quod inde imminet. Etenim delicto damnum datur, vel injuria infertur privato, crimine Reip. (§. 581.), consequenter nocumentum affertur. Quamobrem cum hoc majus, vel minus esse possit, & plurimos admittat gradus, delicta quoque & crimina alia majora, alia minora sunt, suosque habent gradus. Patet itaque, cum in nocumento proprie consistat delictum atque crimen; gravitatem utriusque æstimandam esse ex nocumento, quod affertur. *Quod erat unum.*

Enimvero cum haud raro contingat, ut quis facto suo nocumentum majus afferat, quam intenderat, aut majori, vel pluribus nocumentis occasionem det; in æstimanda gravitate delicti atque criminis ratio quoque habenda periculi, quod inde imminet. *Quod erat alterum.*

Vulneratio delictum est. Sed non omne vulnus, quod infligitur alteri, æque nocet ac periculosum est. Sane vulnus, quo sanato, membrum aliquod corporis sit ineptum ad functiones suas obeundum ac per consequens inutile, magis nocet, quam aliud, quo sanato, membrum, cui vulnus inflictum fuerat,

Digitized by Google

fuerat, ad functiones suas aptum est, quemadmodum fuerat ante. Similiter si aggressor instrumento mortifero impetit corpus alicujus, & eum vulneret; periculum, quod vulnerato imminebat, majus est, quam si baculo eum percussisset & vulnus quoddam manui inflixisset. Eodem modo patet, injurias specialiter sic dictas tam verbales, quam reales magis, vel minus lædere existimationem atque famam injuriati.

§. 626.

De poenis gravitati delicti proportionandis.

Delicta & crimina graviora poenis quoque gravioribus, seu committentem magis onerantibus, coërcenda. Etenim in civitate Rectori civitatis curæ esse debet, ut quilibet sit tutus ab injuria aliorum (§. 532.). Quamobrem quo majus nocumentum alicui afferri potest, aut quo majus ex ejus facto periculum eidem imminet; tanto magis quoque præcavendum, ne delictum committatur. Quoniam itaque Rector civitatis eo fine nil aliud facere potest, quam ut poenis animadvertat in delinquentes (§. 300. *part. 1. Phil. pract. univ.*), delicta autem graviora sunt, quo majus nocumentum affertur & ex quibus majus periculum imminet (§. 625.); poenis quoque gravioribus delicta graviora sunt coërcenda. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam Resp. spectanda est tanquam persona moralis (§. 576.), & perinde ac privatis aliis eidem injuria fieri (§. 577.), eademque lædi possit (§. 578.), jus quoque lædentem puniendi eidem competit (§. 579.); quæ de delictis, quibus læduntur privati (§. 581.), demonstrata sunt, recte quoque ad crimina, quibus Resp. læditur (§. *cit.*), applicantur. Quamobrem cum delicta graviora poenis gravioribus coërcenda sint, *per demonstrata*; crimina quoque graviora poenis gravioribus coërcenda. *Quod erat alterum.*

Digitized by Google

Non alia certe de causa ubivis introducta sunt varia poenarum genera, quorum alia sunt aliis graviora (§ 590. *& seqq.*), quam quod delicta & crimina alia aliis graviora sunt, nec poenæ leviores sufficiant ad deterrendos in delicta & crimina pronos, ne graviora committant. Ponamus levi quadam poena homicidium lui posse; nonne minus verebuntur vindictæ cupidi homicidium committere, quam si poena capitali in committentem animadvertatur?

§. 627.

Cur delicta publica gravioribus poenis coërcenda, quam privata.

Delicta publica seu crimina gravioribus poenis coërcenda sunt, quam privata. Delicta enim publica nocumentum afferunt Reip. seu universæ civitati, privata vero nonnisi privatis (§. 581.). Quamobrem cum per se pateat, nocumentum majus esse, quod Reip. affertur, quam quod privato cuidam, gravius vero delictum sit, quod majus nocumentum affert (§. 625.) & graviori poena coërcendum (§. 626.); delicta publica sive crimina gravioribus poenis coërcenda sunt, quam privata.

Delictum utique publicum est, si quis judicem jus dicentem in foro injuria afficit. Gravius itaque puniendus, quam si eadem injuria affecisset privatum in loco privato.

§. 628.

De iis, quæ vi actus consequuntur.

Qui minus malum intendit, etiam tenetur de majori, quod ex actus ipsius vi consecutum. Etenim si ex actu, quo alteri malum minus inferre intendis, majus consequi potest, dum id directe intendis, hoc simul indirecte intendis (§. 621. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ac per consequens indirecte vis (§. 624. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & indirecta quoque intentio tibi imputatur (§. 625. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque pro causa libera habendus es mali, quod ex actu tuo

Digitized by Google

tuo consequitur (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem si minus quidem malum intendas, ex actus tamen tui vi majus consequatur; etiam de hoc teneris.

Ita *Seneca* in Excepr. Controv. L. 5. c. 5. eum, qui platanum incenderat, ex qua domus arserat, teneri quoque de incendio pronunciat. Etiamsi enim, inquit, partem damni dare noluisti, in totum quasi prudens dederis tenendus es: ex toto enim noluisse debet, qui imprudentia defenditur. Ita quoque de homicidio tenetur, qui, quem vulnerare intenderat, eum occidit. Probe autem notandum, agenti imputari non posse ea, quæ non vi, sed occasione actus consequuntur, quatenus scilicet per accidens causa aliqua superaccedit, a qua malum dependet, quod ex vi actus non fuisset consecutum. Ita cædis reus non est, qui alteri vulnus minus lethale inflixit, si negligentia chirurgi membrum vulneratum gangræna corripitur, ex qua mors consequitur. Quoniam vero omnia maleficia, qualia sunt delicta & crimina quævis (§. 581.), sunt facta dolosa (§. 580.), consequenter a sciente ac volente committuntur (§. 705. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quando pro æstimanda gravitate delicti periculi inde imminentis ratio habenda (§. 625.), necesse est id esse tale, ut prævideri potuerit a delinquente. Ita in præsenti exemplo, quod modo dedimus, facile prævideri potest periculum vitæ, in quod adducitur, qui instrumento mortifero impetitur. Periculi vero hujus rationem quoque habendam esse in determinanda poena, dubitandum non est, cum Rectori civitatis curæ esse debeat subditos a metu injuriarum tutos præstare (§. 532.), consequenter omne quoque lesionis periculum ab iis avertere. Ex hactenus dictis apparet, quam latus hic aperiatur dicendorum campus, si singula minutim persequi deberemus.

§. 629.

De delictis coercendum. *Si delictum atque crimen fuerit frequens, graviori poena* Quodsi enim delictum, vel crimen fiat frequens, & *criminis metus, hus frequen-*

Digitized by Google

tibus graviori poena coërcendis.

metus poenæ levioris ab eo committendo deterreri nequeunt qui committunt: quod per se patet. Quamobrem necesse est, ut graviori poena coërceatur.

Metu nimirum poenarum ad non committendum delicta atque crimina obligandi sunt, qui animum committendi habeant, ut eum deponant, vel ut a delicto & crimine abhorreant, qui de eo cogitant. Quamvis itaque fieri minime possit, ut a malo proposito abducantur omnes; poena tamen determinanda, quantum datur, sufficiens, ne culpæ argui possit, qui impedire debebat, quo minus delinqueretur. Qui sapere non vult, damno suo sapere discat. Ceterum poenam non esse nimis gravem, abunde hinc intelligitur, si ea non obstante delictum vel crimen aliquod adhuc frequens est. Huc omnino animum advertere debent, qui de gravitate poenæ judicium sibi sumunt. Neque enim in æstimanda poena tantummodo respiciendum ad damnum, quod læso datum.

§. 630.

De delictis in loco commissis, ubi vi minus resisti potest.

Si delictum vel crimen committitur in loco, ubi vi minus resisti potest, vel nemo fuerit, qui impedire potest, quo minus id committatur, poena graviori id coërcendum, quam in casu opposito.

Etenim istiusmodi delicta & crimina tanto facilius committuntur, quando tutius committi posse sibi persuadent homines malitiosi & facinorosi. Quamobrem cum delicta & crimina aliter coërceri nequeant, quam poenis (§. 300. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ac per consequens eædem, quantum datur, sufficientes esse debent ad deterrendum delinquere volentes a malo proposito; si delictum vel crimen committitur in loco, ubi vi minus resisti potest, vel nemo fuerit, qui impedire potest, quo minus committatur, poena graviori id coërcendum, quam in casu opposito.

Pertinent huc latrocinia, rapinæ, furta in agris vel sylvis commissa.

Digitized by Google

commiſſa. Intereſt maxime Reip. præſtari ſecuritatem viarum publicarum, agrorum, ſylvarum aliorumque locum, a frequentia hominum remotorum.

§. 631.

Si delictum vel crimen fuerit præmeditatum, graviori poena coërcendum. Quodſi enim delictum vel crimen fuerit præmeditatum, cum qui perpetravit nullo affectuum impetu ad id fuerit abreptus, id firmius deliquendi propoſitum ac per conſequens majorem malitiam arguit. Quamobrem iſtiusmodi homines metu poenæ levioris a delinquendo abduci nequeunt. Neceſſe igitur eſt, ut iſtiusmodi delicta atque crimina graviori poena coërceantur. *De delictis præmeditatis.*

Dantur delicti ac criminum præmeditatorum gradus ex circumſtantiis determinandi. Qui vero delicta & crimina præmeditantur, cum difficulter animum delinquendi mutent, ab iis plus periculi imminet, quam ab aliis, qui affectuum quodam impetu ad delinquendum abripiuntur. Sive igitur poenæ fuerint emendatrices, ſive exemplares, graviores eſſe debent, ubi malitiam compeſcere volueris. Eſt nimirum *malitia*, cum quis data opera male agit.

§. 632.

Quoniam qui delictum vel crimen præmeditatur, graviori poena afficiendus (§. 631.), idem vero data opera male agit, conſequenter malitioſus eſt (*not.* §. *cit.*); *in gravitate poenæ determinanda habenda quoque ratio eſt malitiæ.* *De malitia in puniendo attendenda.*

Patet ex demonſtratione propoſitionis præcedentis, delicta & crimina præmeditata majori poena coërcenda eſſe propter malitiam. Habet malitia ſuos gradus, in quos inquirere in præſenti non licet.

Digitized by Google

§. 633.

Malitiæ gradus supremus.

Malitiosissimi sunt, qui gratis delinquunt, hoc est, sine spe ullius commodi. Etenim qui sine spe ullius commodi delinquit, is ipsum delictum, vel crimen per se sibi repræsentare debet tanquam bonum (§. 892. *Psych. empir.*), consequenter cum delictum atque crimen maleficium sit (§. 581.), maleficium autem factum dolosum, quo aliis damnum datur, vel injuria infertur (§. 580.), necesse est ut ex damno aliis dato, vel injuria illata qua tali sine ulla ratione alia voluptatem percipiat (§. 561. *Psych. empir.*). Qui itaque gratis delinquit, ideo data opera delinquit, quia ipsum delictum atque crimen per se delectat. Quamobrem cum malitiosus sit, qui data opera male agit (*not.* §. 631.); qui gratis delinquunt, malitiosissimi omnino sunt.

Quoniam crimina & delicta alia aliis majora sunt pro ratione nocumenti, quod afferunt, & periculi, quod inde emergit (§. 625.); facile patet pro diversitate criminum atque delictorum variari quoque gradum malitiæ summæ. Ita major malitia est, si latrones per sylvam iter facientem per horrendos cruciatus interficiant, quem rapinæ committendæ ac occultandæ causa sine cruciatu occidere poterant, quam si quis saltem animi causa innocenti alapam impingit. Immo quo major fuerit cruciatus, quo latro animi saltem causa afficit viatorem; malitia quoque major est.

§. 634.

De puniendis iis, qui gratis delinquunt.

Quoniam in gravitate poenæ determinanda ratio habenda malitiæ (§. 632.), malitiosissimi vero sunt, qui gratis delinquunt (§. 633.); *qui gratis, seu animi saltem causa delinquunt, in suo genere gravissima poena coërcendi.*

E. gr. Si mulcta, vel carcere puniendus, qui alteri alapam impe-

Digitized by Google

impegit; mulcta majori, vel carcere diuturniori puniendus est is, qui animi saltem causa impegit. Et, si rota animadvertitur in latronem, qui animi causa cruciatu horrendo affecit viatorem, antequam eum e medio tolleret, ejus non solum pedes atque manus ante contundendi, quam cervix, sed forcipibus quoque candentibus adurendum corpus, dum trahæ impositus ad locum supplicii rapitur. Raro homo gratis malus est & si quem malitia propter seipsam delectat, is omnem humanitatem exuisse videtur. Nocere alteri absque ulla prævia læsione & ullo commodo sui adeo abhorret a natura humana, ut istiusmodi malitia de homine non concipi posset, nisi pessimorum quorundam prostarent exempla.

§. 635.

In determinanda magnitudine poenæ attendendæ sunt qualitates patientis, quæ eandem poenam vel graviorem, vel leviorem respectus faciunt. Ponamus enim qualitates istas minime attendi ob idem ergo delictum, vel crimen unus graviori poena afficietur, quam alter, non solum absque ulla ratione, verum etiam contra rationem. Quod cum sit absurdum, in determinanda magnitudine poenæ attendendæ utique sunt qualitates patientis, quæ eandem poenam vel graviorem, vel leviorem faciunt.

Qualitates personarum in puniendo licitus.

Quamvis enim ob ejusmodi qualitates, quæ neque ad delictum, vel crimen, neque ad poenæ sensum faciunt, æqualia meritis inæquales poenæ infligendæ non sint, cum nulla adsit inæqualitatis ratio; alia tamen longe ratio est, si qualitas patientis influit in ipsam magnitudinem poenæ. Ita eadem mulcta magis onerat pauperem, quam divitem, cujus respectu vel pro nulla haberi poterit. Quamobrem ea determinanda est pro modo facultatum patientis. Dives itaque dici nequit gravius puniri paupere, si ille in decuplum, hic in simplum condemnetur, quamvis ejusdem delicti fuerint participes. Similiter

Digitized by Google

liter homini vili ignominia erit malum leve, honorato grave, & fuſtigatio magis nocet civi, quam homini vagabundo. Ad ſenſum poenæ referenda quoque ſunt, quæ ex ipſius vi conſequuntur. Poenæ ſummæ cum religione imponendæ, ne quid fiat, quod juſtitiæ adverſum.

§. 636.

Quantum ſit jus puniendi in civitate.

Jus puniendi in civitate per ſe definitum non eſt, ſed ex circumſtantiis præſentibus ejus conſtituendi ſunt limites. Etenim in civitate per judices exercetur jus puniendi privatis natura competens (§. 559.) & jus quoque puniendi eum, qui Remp. læſit, ſeu jus ejus violat (§. 579.). Enimvero naturaliter in eum, qui te læſit, tantundem tibi licet, quantum ad avertendum periculum læſionis futuræ ſive ab eodem tibi atque aliis, ſive ab aliis ejus exemplum ſecutis tibi metuendæ ſufficit (§. 1059. *part. 1. Jur. nat.*) conſequenter cum univerſitas in civitate, aut, ſi mavis, Resp. ſpectanda quoque ſit tanquam perſona moralis (§. 576.), quæ lædi poteſt perinde ac privata (§. 578.) & cui propterea competit jus puniendi lædentem (§. 579.), idem quoque valet de Rep. quatenus tanquam perſona, quæ læditur, ſpectanda. Juri igitur puniendi in civitate in genere nulli præſcribi poſſunt limites, conſequenter per ſe definitum non eſt, ſed ex circumſtantiis præſentibus illi determinandi ſunt.

Oſtenditur etiam hoc modo. In puniendo attendenda ſunt periculum ex facto nocentis imminens (§. 625.), nocentis malitia (§. 632.), circumſtantia loci, in quo delinquitur (§. 630.), qualitates patientis, quæ eandem poenam vel graviorem, vel leviorem efficiunt (§. 635.), conſequenter in ſenſum poenæ influunt, delicti item, vel criminis frequentia (§. 629.). Patet itaque jus puniendi per ſe definitum

Digitized by Google

definitum non esse, sed ejus limites ex circumstantiis præsentibus determinandos.

Etsi gravitas delicti atque criminis æstimanda sit ex nocumento, quod affertur, & periculo, quod inde imminet; non tamen poenæ magnitudo ex eo solo metienda. Quamobrem cum plura sint, quæ in determinationem poenæ simul influunt, in eodem genere delicti non semper eadem, ideo quoque impossibile est, ut in genere definiri possit, quantum in quolibet delicti vel criminis genere liceat in nocentem.

§. 637.

Quoniam limites juris puniendi in civitate ex circumstantiis præsentibus constituendi (§. 636.); *poenæ tantæ poenis quantlicitæ sunt, quantæ ad deterrendum nocituros a delicto vel crimine do uti conperpetrando, quantum fieri potest, sufficiunt*, consequenter *si accessum pareat, non sufficere leniores, gravioribus uti licet.* *Gravioribus*

Poenæ debent esse medium avertendi delicta & crimina (§. 300. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ea admittentes sint puniendi (§. 573. 579.), media vero ad finem consequendum faciant (§. 937. *Ontol.*); tantis utique utendum est poenis, quantæ ad deterrendum nocituros a delicto, vel crimine perpetrando, quantum fieri potest, sufficiunt. Quantæ autem sufficiant, ne delictum, vel crimen invalescat, experientia omnium optima magistra est. Qui subinde gravitatem poenarum accusant, animum saltem attendunt ad nocumentum, quod affertur, immo ne hoc quidem rite æstimant, cum non perpendant periculum, quod inde consequeretur, si leniori poena in nocentes animadverteretur, non vero respiciunt finem poenarum, cujus tamen præcipue habenda ratio est.

§. 638.

Si fine poenis capitalibus crimina coërceri nequeunt; poe- *Quando*

Digitized by Google

ales sint li- *ne capitales licitæ sunt.* Etenim si appareat, non sufficere poe-
citæ. nas leviores, gravioribus uti licet (§. 637.). Quodsi ergo certum sit, sine poenis capitalibus crimina coërceri non posse, veluti si facile prævidere possimus, metum poenæ non capitalis minime sufficere ad deterrendum in crimen aliquod pronos ab eo perpetrando, vel experientia doceat, poena licet capitali in reos statuta non tamen deesse, qui idem perpetrant; poenæ capitales licitæ sunt.

Quæcunque rationes adversus poenas capitales a nonnullis urgentur, extrinsecæ sunt, nec a fine poenarum petitæ, consequenter nil valent. Non majus jus in puniendo civitati conceditur, quam singulis competit in statu naturali, quippe quibus integrum est se (§. 1013 *part. 1. Jur. nat.*) & sua defendere cum interfectione aggressoris, vel raptoris & destructoris (§. 699 *part. 2. Jur. nat.*) nisi aliter defendere possit. Quoniam itaque Resp. perinde sese habet per modum personæ, cui se & sua defendere licet (§. 576. *& seqq.*); eccur eidem non idem jus competere debet, quod singulis naturaliter concessum? Apud nos furtum suspendio coërcetur, poena capitali (§. 601.). Experientia tamen abunde docet, ea non obstante furta committi. Injusta igitur poena dici nequit, propterea quod Moses furtum coërceri non jussit poena capitali, sed saltem mulcta (*not.* §. 590.), nec aliud poenæ genus Romanis placuerit. Quodsi apud nos nonnisi mulctæ locus esset in furto, nemo est qui non prævideat, furta adhuc frequentiora fore, quam nunc sunt. Non comparanda est vita furis cum re furtiva, sed considerandum, utrum tanta poena opus sit, ne furta fiant quotidiana, nec ne. Alia longe ratio est nostrorum temporum, quam antiquorum, quæ furta leviori poena coërceri permittebant. Similiter crimina atrocia absque poenis atrocibus qui coërcere voluerit, nihil aget.

§. 639.

Digitized by Google

§. 639.

Talio dicitur par vindicta, qua tantum quis patitur mali, quantum fecit. *Talio quid sit.*

E. gr. Talio erit, si cui manus amputatur, qui eam amputavit alteri; si oculus effoditur, quia effodit alteri; si occiditur, quia occidit alterum.

§. 640.

Quoniam vindicta omnis lege naturali prohibita (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*), talio autem vindicta est (§. 369.); *talio* quoque *lege naturali prohibita*, seu *juris naturalis non est*. *An talio sit juris naturalis.*

Equidem fuerunt longe plurimi, qui talionem æquissimam judicarunt; hi tamen non satis perpenderunt, quomodo poena a vindicta differat. Vindicta nimirum hoc intenditur, ut tædium creetur alteri, qui tædio nos affecit, seu malum malo referatur: hic autem finis poenæ non est, sed ut a delinquendo deterreantur, qui animum delinquendi habent. Quodsi vindictam tanquam licitam sumas, nihil omnino æquius videtur, quam ut tantum mali quis patiatur, quantum fecit, & *Rhadamanthus*, quem apud inferos jus dicere finxerunt veteres secundum legem talionis, recte pro judice æquissimo habetur. Enimvero *jus Rhadamanthi*, quod dicitur & in talione consistit, principiis cum in parte prima, tum in antecedentibus de jure puniendi demonstratis parum convenit. Quemadmodum singuli homines animum habere debent ab omni vindictæ cupidine alienum (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*); ita quoque is a judice & a Rectore civitatis, dum poenam statuit in nocentem, procul abesse debet. Neque enim, quod vindictæ proprium est (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), voluptatem percipere debet ex tædio, dolore, cruciatu vel malo, quo afficitur nocens, sed misereri potius rei, quod maleficio suo in tot ac tanta mala se conjecerit. Quando igitur vindicta dicitur de judice puniente reum, significatus variatur, ita ut saltem

tem externus actus vindictæ proprius designetur, scilicet quod malo afficiatur, qui malum fecit, non ut dolor læsi leniatur dolore lædentis, sed ut læsionum pericula avertantur. Eadem hic tenenda sunt, quæ de defensione sui & jure puniendi privato alibi demonstravimus & annotavimus (§. 992. 1074. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 641.

Ne malum poenæ aquale esse debeat malo culpæ.

Quoniam talio juris naturæ non est (§. 640.), talio autem in eo consistit, ut quantum mali quis fecit, tantundem patiatur (§. 639.); *quod in poenam infligitur malum, tantum esse necesse non est, quantum quis fecit, sed majus, vel minus esse potest, prout finis poenæ exigit* (§. 637.), consequenter *nec juris naturalis est, ut, qui alterum occidit, ei in poenam vita adimatur,* seu *poena capitalis homicidii juris naturalis non est, etsi eidem pro datis circumstantiis minime repugnet* (§. *cit.*).

Ita *Moses* poenam furti constituit quadruplum & triplum ejus, quod ablatum fuit, facta restitutione ejus, quod ablatum fuerat, seu damno, quod datum fuerat, reparato (*not.* §. 590.). Et antiquissimis temporibus homicidii poena capitalis non erat, sed homicida fuga sibi consulere cogebatur, ne ab iis, qui privato ausu mortem cognati vel amici vindicabant, iterum occideretur, prouti jam moris erat temporibus *Cainі* Gen. IV. 14. immo etiam apud Græcos antiquos, quemadmodum *Euripides* docet in *Oreste*, quamvis postea apud eos poena capitalis introducta fuerit, ut propterea *Cicero* pro Ligurio accusare homicidam, ut noetur, ad levium Græcorum & immanium barbarorum mores referat. Nimirum *Thucidyde* autore lib. 3. antiquitus quamvis gravium delictorum leves fuerunt poenæ; sed cum eæ progressu temporis contemnerentur, ventum ad mortem. Atque hoc convenit cum eo, quod modo demonstravimus (§. 637.), nec reprehensionem meretur, quamvis *Plato* in legibus poenam homicidii capitalem esse noluerit.

Digitized by Google

noluerit. Nimirum homicidas capite plecti non est juris naturæ præceptivi, sed permissivi, ita ut eadem poena omitti possit in homicidiis, si finis poenarum permittat, ut ab ea abstineamus, & decerni possit in criminibus aliis, si ille eandem exigat. Ita fuga militis, quando in aciem ducitur exercitus, poena capitali coërcetur, quamvis alias poenæ corporis afflictivæ saltem locus sit. Omittimus hic, quæ ex legibus antiquis Germanis inprimis de poena homicidii non capitali in medium afferri poterant, cum nobis curæ non sit inquirere in facta gentium, sed demonstrare ea, quæ sunt juris naturæ.

§. 642.

Similiter quia talio jure naturali prohibita est (§. 640.), talione autem non aliud intenditur, quam ut is malum sentiat, qui male fecit (§. 639.); *malum in se tale non est, ut puniri debeat.*

An malum morale in se tale sit, ut puniri debeat.

Contrarium omnino loquitur finis poenarum, qui poenas non aliud esse declarat, quam cautionem de non lædendo, & remedium malitiæ: prouti & poenæ in emendatricem & exemplarem divisio (§. 1062. *part. 1. Jur. nat.*), fini poenarum convenienter facta (§. 1059. *part. 1. Jur. nat.*) aperte loquitur. Sermo autem nobis est de poenis humanis, quatenus sunt juris naturæ permissivi cum in statu naturali, tum in statu civili, non vero de poenis divinis, quæ ad forum Theologorum spectant. *Grotius* l. 2. c. 20. §. 1. media quasi via incedit, & naturam ipsam dictare ait, sed, quomodo dictet, minime ostendit, licitum & non iniquum esse, ut, qui male fecit, malum ferat, provocans ad jus antiquissimum *Rhadamanthum*, quod in talione consistit (*not.* §. 639.), & eandem naturam dictare ait §. 3. ut nocens puniatur ab eo, qui non æque nocens est. Enimvero ex antea demonstratis tum hic, tum alibi in parte prima abunde patet, nullo sententiam istam niti fundamento. Quamobrem nec mirum videri debet, quod nullas afferre potuerit opinionis suæ rationes naturales, quales tamen in Jure

Digitized by Google

naturæ requiruntur, & ſine quibus in eo nihil affirmandum, vel negandum. In ſtatu naturali omnes homines ſunt æquales, nemo altero ſuperior, nemo inferior, conſequenter æqualis punit æqualem. Cur vero in ſtatu civili omne exercitium juris puniendi pertineat ad ſuperiorem eidemque competat jus quoque puniendi proprium, in anterioribus evidenter ſatis demonſtravimus. Non igitur opus eſt, ut cum eodem fingamus, eum, qui male egit, eo ipſo ſe quovis alio inferiorem feciſſe & quaſi ex hominum cenſu in cenſum beſtiarum detruſiſſe, quæ homini ſubjacent, ut inde probetur, naturæ convenientiſſimum eſſe, ut qui male fecit puniatur ab eo, qui ſuperior eſt, etiam in ſtatu naturali.

§. 643.

An cogitationes puniendæ.

Actus interni, etſi caſu aliquo, puta per confeſſionem ſubſecutam, ad notitiam aliorum perveniant, puniri non poſſunt. Etenim actu interno, niſi in externos erumpat, nemini nocetur, ſeu damnum datur, vel injuria infertur, quod per ſe patet. Enimvero jus puniendi homini natura competit ob læſionem actu factam (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*), neque ideo aliter per judicem exerceri poteſt in civitate (§. 559.), quatenus injuria facta reparari nequit (§. 573.), nec ob aliam cauſam competit Reip. quam quod ipſa actu læſa fuit (§. 579.) & quatenus poenæ addendæ ad cohibendam legum transgreſſionem (§. 585.). Quamobrem actus interni puniri non poſſunt.

Recte omnino dicitur l. 18. ff. de poen. cogitationis poenam neminem mereri. Et veritati convenit proverbium Germanorum: Gedancken ſind Zollfrey. Si vel maxime volueris me occidere, ad ſaniorem vero mentem reverſus a malo propoſito deſtitiſti; nihil mihi mali feciſti. Nec eſt, quod dicas ab actu interno mihi periculum imminere, quod poena aver-

Digitized by Google

avertendum, cum ea cautio ſit de non offendendo (*not.* §. 642.). Id enim tum demum locum habebit, ſi propoſitum mihi nocendi manifeſtes, animo nocendi nondum depoſito, non vero ſi a propoſito deſtitiſti. Ab eo enim, qui nocendi animum mutat, nihil periculi imminet. Bene omnino *Lactantius* lib. 6. c. 13. obſervat, pene ſupra humanum modum eſſe, ne in cogitationem quidem admittere, quod ſit vel factu malum, vel improbum dictu. Aliter vero ſeſe res habet, ſi actus externi ad quosdam externos jam procedunt; ex quibus perſeverantia in voluntate nocendi certo colligitur. Recte autem *Lactantius* l. c. huc non refert, quæ vel in ira dicuntur, vel in adſpectu rerum delectabilium cogitatione tacita concupiſcuntur.

§. 644.

An propter errores quis puniri poſſit.

Ob errores nemo puniri poteſt; diſſeminatio tamen errorum poena coërceri. Per ſe conſtat, a voluntate hominis non dependere, ut pro vero habeat propoſitionem quandam, vel pro falſa, conſequenter cum quis erret, ſi propoſitionem falſam pro vera habet (§. 623. *Log.*), poenis ab errore revocari nequit, ſed vel a poſteriori (§. 985. *Log.*), vel a priori veritatis convincendus (§. 990. *Log.*). Quamobrem cum poenæ alio fine non irrogari deberent erranti, quam ut vel ipſe ab errore revocaretur, vel ut ne alii errori aſſentiantur (§. 1062. *part. I. Jur. nat.*); ob errores neminem puniri poſſe patet. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam permittendum non eſt, ut publice diſſeminentur opiniones religioni & bonis moribus adverſæ (§. 475.); qui iſtiusmodi opiniones fovet, ei interdici poteſt, ut ne errores ſuos diſſeminet & ad eos amplectendos alios ſeducat, immo in genere prohiberi, ne quis errores iſtiusmodi divulgare audeat, conſequenter cum legibus tales ac tantæ addendæ ſint poenæ, quæ ad cohibendam

Digitized by Google

dam legum transgreſſionem, quantum datur, ſufficiunt (§. 585.), ſub poena quoque conveniente diſſeminatio erroris prohiberi poteſt. Quamobrem ſi quis contra prohibitionem errorem diſſeminare audeat; poena eundem coërcere licet. *Quod erat alterum.*

Aliud omnino eſt punire aliquem ob errorem, ſeu quia errat; aliud vero punire ob divulgationem erroris, præſertim eo animo factam, ut alios in eundem pertrahat. Prius equidem abſurdum eſt; aſt non poſterius, præſertim ſi errores fuerint tales, quibus homines a vero cultu Dei avocantur, vel mores eorum corrumpuntur. Inprimis etiam hic ratio habenda eſt turbarum, quæ facile in Rep. excitantur, ſi diſſentientes in diverſas partes trahuntur, ut ideo ſufficiens quoque prohibitionis cauſa ſit, ſi tale quid metuendum ex opinione, quæ in ſe nihil nocui habet. Conſtat nimirum, non inſolens eſſe, quamvis revera abſurdum, ut homines propter diverſitatem opinionum odio ſe invicem perſequantur, ac inde injuriis mutuis anſa detur, quod impediendum in Rep. quo minus ſint (§. 532.).

§. 645.

An athei vel deiſtæ ſint puniendi.

Quoniam tam atheismus (§. 494. *part. 2. Theol. nat.*), quam Deismus error eſt (§. 55. *part. 2. Theol. nat.*), ob errorem autem nemo puniri poteſt, diſſeminatio tamen errorum poena coërceri (§. 644.); *ob atheiſmum & deismum nemo puniri poteſt, ſeu nemo puniri poteſt, quia atheus aut deiſta eſt, ſi tamen eundem diſſeminare &* per conſequens *alios ad atheiſmum vel deismum ſeducere audeat, poena coërcere eundem licet.*

Poenæ nullum eſſe effectum, ſive qua emendatrix, ſive qua exemplaris ſpectetur, ſi quis puniatur, quia atheus vel deiſta eſt, patet ut ante in demonſtratione partis primæ propoſitionis præ-

Digitized by Google

præcedentis (§. 644.). Finis autem poenæ obtinetur respectu divulgationis hujus erroris.

§. 646.

Qui atheismum, vel deismum, aut alios errores religioni, bonis moribus & statui civili adversos disseminant, nec moniti ab disseminatione eo desistere volunt; e civitate discedere jubendi sunt. Etenim propter atheismum & deismum (§. 645.) & propter errores alios quoscunque nemo puniri potest, sed saltem quod eos disseminet (§. 644.). Quamobrem cum poena non aliud intendatur, quam ut ne alios seducat, finis hic obtinetur, si e civitate discedere cogatur. Quoniam itaque privatio juris manendi in civitate poena est (§. 589.), poenæ autem tantæ esse debent, quantæ sufficiunt ad deterrendum nocituros, ne noceant (637.); qui atheismum, vel deismum, aut alios errores religioni, bonis moribus & statui civili adversos disseminant, e civitate discedere jubendi sunt. *Quod erat unum.* *De poena disseminationis atheismi, deismi & errorum nocuorum.*

Enimvero quoniam periculum cessat seductionis, si moniti a disseminatione erroris sui desistant, propter errorem vero errantes puniri nequeunt (§. 644.); e civitate discedere jubendi non sunt, si moniti ab errore suo divulgando desistant. *Quod erat alterum.*

Studio noluimus dicere, atheismum, deismum aut alios errores contra prohibitionem disseminantes esse relegandos, etsi significatus vocabuli ferat, ut qui e civitate ejicitur relegari dicatur (§. 595.), quia modus relegandi apud nos usitatus infamiæ quid admixtum habet; infamis autem poena utique major est, quam qua famæ parcitur. Alias enim si poena cum ignominia conjuncta esset, non disseminatio erroris, sed ipse error poenam pareret. Conveniunt hæc cum iis, quæ supra demonstravimus (§. 473.), atheismum & deismum publice

Digitized by Google

profitentes in Rep. non esse tolerandos: neque enim tolerantur, qui ex ea discedere jubentur. Erunt forsitan nonnulli, quibus poena hæc nimis levis videbitur; sed eos quæso ut cogitent, nos in jure naturæ ea demonstrare, quæ rationi conformia sunt. Ex principiis autem rationi convenientibus nemo demonstrabit, graviori poenæ locum esse, ubi levior sufficit. Quemadmodum vero accedere possunt ad quodvis maleficium circumstantiæ, quæ poenam faciunt graviorem; ita quoque poenæ dissem inationis errorum nocuorum idem accidere potest, & tunc a nobis minime improbatur, si major irrogetur. Ne vero ultra id procedatur, quod non iniquum est, quantum liceat per ea, quæ in anterioribus demonstrata sunt, in casu dato haud difficulter definietur. In puniendo nunquam recedendum a lenitate, nisi necessitas urgeat, ne ipse delinquas, dum parcis delinquenti. Neque vero existimandum est poenam adeo levem omnibus promiscue esse ex civitate excludi, præsertim ubi difficile fuerit fortunarum suarum sedem alibi constituere. Quamobrem cum in superioribus demonstraverimus, in determinanda magnitudine poenæ attendendas quoque esse qualitates patientis, quæ eandem poenam graviorem, vel leviorem faciunt (§. 635.); subinde poena discessus e civitate in aliam mitiorem mutanda erit, si reus promittat, se errorem, quem disseminare ausus est, non amplius profiteri velle; errori enim nuncium mittere nequit, nisi ejus fuerit convictus, cogitationis tamen poenam nemo meretur (§. 645.). Nullum datur crimen erroris, cumque ob errorem nemo puniri possit (§. 644.), multo minus poena capitali errantem afficere licitum. Immo dubito, si rem penitius inspicere velimus, an unquam revera sano cuidam in mentem venerit, puniendos esse errantes, quod errent, non vero omnes in hoc consenserint, puniendos esse, quod errores disseminaverint & alios vel actu seduxerint, vel ne seducerent verendum fuerit. Eorum enim, qui de rebus per transennam conspectis pronunciant, nulla hic habenda ratio est. Quando diximus, si monitus ab errore divulgando desistat, eum e civitate

Digitized by Google

civitate non esse ejiciendum; non est quod objicias, animum errantis errore nocuo adhuc esse imbutum. Modo enim ex antecedentibus repetiimus, cogitationis poenam neminem mereri. Neque etiam est quod urgeas, non sufficere, ut ab errore divulgando desistat, vel hoc sancte promittat; sed necesse esse, ut errorem abjuret, hoc est, jurato affirmet, se opinionem, quam fovit, habere pro falsa, & jurato promittat, se falsam hanc opinionem non amplius fovere, multo minus profiteri, aut defendere velle. Id enim nisi faciat erroris sui convictus pejerat (§. 926. *part. 3. Jur. nat.*). Quoniam vero nemini juramentum deferre licet, qui de pejeratione suspectus est (§. 938. *part. 3. Jur. nat.*); ad erroris abjurationem nemo compellendus, qui erroris convictus non est. Quodsi vero erroris convictus fuerit, eum ultro missum facit, neque abjuratione opus est. Qui atheos & deistas in Rep. tolerandos esse defendunt, cum utique supponant, eos errorem suum publice profiteri, propterea quod unicuilibet relinquenda sit sentiendi libertas, cum assensus veritati præbendus cogi non possit; libertatem sentiendi in licentiam vertunt, nec officium Rectoris civitatis quoad cultum divinum (§. 458.) & virtutem subditorum (§. 456.) perpendunt. Si media effectu destitui non debent, removenda quoque sunt impedimenta, quæ in contrarium offeruntur. Damna atheismi in Rep. recensere, nostri instituti jam non est.

§. 647.

Qui faciunt, quæ in Rep. permittenda non sunt, poenis coër-cendi. Etenim quæ permittenda non sunt, ad ea subditi omittenda, seu non facienda obligari debent (§. 118. *part. 1. cendi. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum aliter obligari non possint nisi poenis (§. 300. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui faciunt, quæ in Rep. permittenda non sunt, poenis coërcendi. *Quinam poenis coër-*

Ex principio hoc generali facile definietur, ob quænam facta quis puniri possit. Neque vero verendum est, ne hoc

Digitized by Google

pacto poenæ in nimium multiplicentur & ex ſubditis fiant ſervi. Etenim non ſolum tacite nonnulla permittuntur, quæ officiis lege naturali præſcriptis repugnant, cum impoſſibile ſit, ut ad morum honeſtatem externam reducantur omnes omnino civium actiones, nec durum eſt, ut quædam, quæ contemni poſſe videntur, vel etiam ubivis fere contemnuntur, puniantur, cum poenæ etiam dentur leves, quales ſunt mulctæ parum onerantes & carcer minime durus, & iisdem etiam accenſeri poſſit exprobratio facti, quæ & ipſa ſuos admittit gradus, cum comminatione, ſi opus ſit, poenæ durioris, ſi denuo committatur, quod fieri minime debebat.

§. 648.

De puniendis iis, qui viros acumine pollentes atheismi ſuſpectos faciunt.

Quoniam qui faciunt, quæ in Rep. permittenda non ſunt, poenis coërcendi (§. 647.), in Rep. vero minime ferendum, ut qui acumine pollent, vel aliis acutiores habentur, atheismi ſuſpecti reddantur (§. 474.); *qui viros acumine pollentes, vel qui aliis acutiores habentur, atheismi ſuſpectos facit, immo ſub atheorum nomine publice traducit, poenis coerceri debet.*

Puniuntur athei non propter atheismum, ſed propter diſſeminationem erroris ſui, in quem alios pertrahere conantur (§. 645.). Enimvero ſi qui acutiores ceteris habentur, atheismi ſuſpecti fiant, alii, qui mallent nullum dari Deum, ut ſibi ſaltem a poenis humanis cavere tenerentur, illorum auctoritate permoti atheismum facile amplectuntur, & athei fiunt practici theoreticis multo pejores. Non minus itaque nocent Reip. quidni magis? diffamatores iſti, quam qui atheismum profitentur ac defendunt. Quamobrem non injuſta eſt eorum poena. Atheus habendus non eſt, niſi qui expreſſe negat dari Deum (§. 111. *part. 2. Theol. nat.*). Quodſi dicas eum iſtiusmodi fovere opiniones, quæ per conſequentiam ad atheismum ducunt; ſi vera dicis, inde ſaltem ſequitur, opinionem ejus eſſe falſam, minime autem inde recte infertur, quod ſit atheus & aliis

Digitized by Google

aliis atheismum persuadere velit. Multo magis vero censuram meretur, qui per malitiam consequentiarium agit, diffamandi nimirum ac nocendi animo, inferens ea, quæ ex opinione alterius minime consequuntur: id quod plerumque fieri solet, quemadmodum omnium temporum exempla manifesto loquuntur, cuilibet adeo nota, qui in historia literaria non prossus peregrinus ac hospes est, ut ea hic recensseri non sit opus.

§. 649.

De doctoribus publicis dissentientes diffamantibus.

Similiter quoniam doctores publici in virtutis quolibet genere ac cultu divino præter alios excellere debent (§. 460.), ut scilicet virtutem ac bonos mores non tantummodo ore (§. 459.), verum etiam exemplo suo, cujus magna vis est (§. 299. *& seqq. part. 2 Phil. pract. univ.*), doceant (§. 639. *part. 1. Jur. nat.*), doctrinæ autem sine exemplo parum prosunt, immo earum effectus exemplo contrario efficitur nullus; *in Rep. ferendum non est, ut doctores publici,* seu, ut nos loqui amamus, *Theologi ac ecclesiæ ministri propter opiniones dissentientes se invicem aut alios publice traducant atque diffament,* consequenter *eos, si sapere nolint, punire licet.*

Nihil hodie proh dolor! frequentius est, quam ut Theologi tum inter se, tum cum aliis controversiam habentes, conviciis magis, quum rationibus certent, quasi convicium dicere sit virtus heroica iisdem propria, in ipsis laudanda, ab aliis vero non imitanda. Quamobrem videas ab hoc more non alienos esse etiam eos, qui eximiæ cujusdam pietatis laude præter alios excellere volunt. Sane si ex ipsorum scriptis eristicis verba & dictiones contumeliosas excerpere volueris; non alio modo artem conviciandi melius addiscere dabitur. Immo, quod mireris, non desunt inter illos, qui alios sui ordinis reprehendunt, si morem istum non sequantur. Inde etiam est,

Digitized by Google

quod argumento ab invidia ducto continuo fere utantur, de quo diximus alias (§. 1050. *Log.*). Equidem censores librorum permittere non debebant, ut in contumeliam aliorum dicta imprimantur (§. 477.); quoniam tamen moribus bonis adversa minime reputant, quibus ipsimet delectantur, & virtutem istam heroicam, si superis placet, laudant, ab iis parum præsidii adversus pessimum istum morem expectes. Quamobrem huic malo medelam afferre aliter non licet, nisi ut addita poena severiori perversus iste disputandi mos prohibeatur, ut a scholasticis, quos contemtui habent, rationibus, non conviciis certare discant, ne cum ordine suo religionem ipsam in contemtum adducant, nostro præsertim tempore, quo irreligionarii adversus religionem argumentum inde petunt, nec in eo se reperisse existimant, quod pueri in faba. A malitia non abest mos iste, & tanto foedior, si nocendi parti adversæ animum prodat, immo foedissimus, si quis, cum pudeat illius, defensorem in conviciando strenuum conducat, aut saltem tali defensore sponte oblato delectetur. Immo quid dicas de iis, qui de modestia sua gloriantes morem istum sequuntur?

§. 650.

De puniendis in genere contra bonos mores in refutando peccantibus.

Immo cum in genere permittendum non sit, ut disseminentur opiniones bonis moribus adversæ (§. 475.); consequenter nec ferendum, ut alios refutaturi eos publice traducant atque infament, qui vero faciunt, quæ in Rep. permittenda non sunt, poenis coërcendi sint (§. 647.); *Qui alios refutaturi publice traducunt atque infamant, poenis coërcendi.*

Interest omnino Reip. ut subditi sint modesti, neque ideo famæ aliorum detrahere audeant (§. 456. 395.). Cumque ea de causa censores librorum in lucem publicam emittendorum constituantur, ne imprimi permittant bonis moribus adversa (§. 477.); perversus ille mos alios impugnandi facile aboleri

Digitized by Google

aboleri poteſt, modo hi munere ſuo, prouti decet, fungantur. Turpe omnino eſt eruditis, quod ſua ſponte non faciant, quod virtutis ac laudis eſt, ſed in cenſum infimæ plebis ſe detrudant, ut brutorum inſtar demum vi compellendi ſint ad id faciendum, quod eſt hominis ratione utentis. Sed ſi per ſe ſapere nolunt, cum damno ſuo ſapere diſcant neceſſe eſt. Defenſio veritatis iſtiusmodi armis minime indiget.

§. 651.

De injuriis puniendis.

Unusquisque ob injurias tam verbales, quam reales puniri poteſt. Etenim Rectori civitatis curæ eſſe debet, ut quilibet ſit tutus ab injuria aliorum (§. 532.). Quamobrem nec permittendum, ut quis injurias ſpecialiter ſic dictas, ſive verbales, ſive reales alteri faciat (§. 887. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum poenis coërcendus ſit, qui facit, quæ in Rep. permittenda non ſunt (§. 647.); ob injurias tam verbales, quam reales unusquisque puniri poteſt.

Romano jure injuriæ æſtimabantur & judex ſummam pecuniæ moderabatur eamque injuriato adjudicabat. Facile patet, modum hunc vindicandi injurias venire a talione, quæ vult, ut injurians tantum patiatur mali, quantum fecit injuriato (§. 640.). Enimvero cum talio non ſit juris naturalis (§. 632.), nec tantum eſſe debeat malum poenæ, quantum quis fecit, ſed nunc majus, nunc minus eſſe poſſit, prouti finis poenæ exigit (§. 641.); ut injuria pecunia æſtimetur ab injuriato, rationi parum conforme eſt. Quod vero ſumma pecuniæ, quam æſtimandam eſſe definivit judex, injuriato adjudicetur, ad ſatiandum animum vindictæ cupidum fieri videtur (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), qui tamen procul ab injuriato abeſſe debet (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*). Modus itaque hic vindicandi injurias juri naturæ parum convenit. Rectius a judice mulcta dictatur fiſco inferenda, vel poena carceris, immo etiam gravior, prouti circumſtantiæ exigunt juxta ea, quæ in anterioribus demonſtrata

Digitized by Google

ſtrata ſunt. Ceterum quæ modo de perverſis moribus eruditorum in impugnandis aliis, vel bellis literariis demonſtrata fuerunt (§. 649. 650.); ex propoſitione præſenti quoque inferri poterant per modum corollarii. Quoniam enim verba contumelioſa ad rem nihil faciunt, de qua contenditur; utique nonniſi injuriandi animo proferuntur, conſequenter ad injurias verbales ſpectant, quocunque tandem prætextu utaris. Ipſa verba ſatis produnt animum, produnt affectum, cujus impetu abreptus his, non aliis uſus es, conſideratis præſertim omnibus circumſtantiis, & qui diſtinctas affectuum notiones poſſidet, haud difficulter inde porro colliget, quo animo illa fuerint prolata. Debet autem vindicationem injuriarum non modo civibus Resp. verum etiam ſibimetipſi, quatenus ipſi civitati dedecori cedit, habere cives male moratos, præſertim eos, qui morum integritate præter alios excellere debent (§. 878. 882. 883. *part. 6. Jur. nat.*).

§. 652.

An in ſtatu naturali punire liceat actus vitioſos, quibus alius non læditur.

In ſtatu naturali nemini competit jus puniendi alterum ob actum vitioſum qualemcunque, quo aliis non nocet. Etenim in ſtatu naturali homines omnes liberi ſunt (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*). Qui autem liber eſt, ejus conſcientiæ relinquendum, quid agat (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*), nec is ulli hominum rationem reddere tenetur actionum ſuarum, neque ulli competit jus exigendi, ut reddat, quamdiu nihil facit contra jus alterius (§. 158. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter quamdiu nemini nocet. Quamobrem in ſtatu naturali nemini competit jus puniendi alterum ob actum vitioſum qualemcunque, quo aliis non nocet.

E. gr. Si foemina laſciva quæſtum ſui corporis facere velit, nemini tamen jus eſt propterea eam puniendi, ſed ferendum, quamvis non ſine indignatione, immo nec propterea injuria afficienda, quaſi digna contumelia. Similiter ſi quis nimio luxu,

Digitized by Google

luxu, vel alio quocunque modo bona sua dilapidet; id nemo ipsi prohibere, multo minus ob prodigalitatem punire potest. Quamvis enim in propagandis virtutibus seduli esse debeamus (§. 638. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter alios a vitiis avocare (§. 321. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); id tamen fieri debet monendo, siquidem fieri potest, vel exemplo præeundo, quod semper locum habet: vi autem compellere alterum libertati naturali omnino repugnat (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 653.

De punendis actibus vitiosis, unde malum quoddam derivatur in universitatem.

In civitate puniri possunt actus vitiosi, unde malum quoddam derivatur in universitatem, etsi iisdem alius non lædatur, seu non committatur quidpiam, quo violatur jus alterius cujusdam. Etenim universitas in civitate spectanda est tanquam persona moralis (§. 576.), consequenter de ea non modo prædicanda veniunt, quæ per se eidem competunt, verum etiam quæ a singulis in eandem derivantur. Quamobrem si ex actibus vitiosis subditorum malum quoddam in universitatem derivatur, ipsa id habere putatur. Quoniam itaque quilibet operam dare debet, ut sibi caveat a malis quibuscunque (§. 183. *part. 1. Jur. nat.*); universitas quoque ferre non debet, ut ex actibus vitiosis singulorum malum quoddam in ipsam derivetur, etsi iisdem non committatur quidpiam, quo violatur jus alterius cujusdam. Enimvero quæ in civitate permittenda non sunt, ea puniri possunt (§. 647.). Actus igitur vitiosi, vnde malum quoddam derivatur in universitatem, puniri possunt, quamvis iisdem privatus alius non lædatur.

Quæ de civitate prædicantur, eidem competere vel per se, vel nonnisi derivatione a singulis per se patet, modo ad exempla animum attendere volueris. Ita per se habere dicitur ærarium, leges, jura, Regem; ex derivatione autem a singulis

Digitized by Google

dicitur docta, fortis, virtuosa, pia, dives, pauper, scelerata, injusta, quæ plurimos seu plures tales habet. Atque ideo patet, quomodo fama a singulis derivetur in universitatem, ut fama ejus vel bona, vel mala sit.

§. 654.

An scelera aut vitia quibus alius non læditur, puniri possint.

Quoniam fama mala, quæ ab actibus vitiosis singulorum in universitatem derivatur, omnino malum quoddam est (§. 567. *Psych. empir.*), & ea in universitatem derivatur, si plurimi fuerint, qui istiusmodi actus committunt, quando vero ab actibus vitiosis singulorum in universitatem malum quoddam derivatur, iidem puniri possunt (§. 653.); *ne plures scelera quædam committant, aut vitio cuidam se dedant, rei in civitate poenis coërceri possunt, etiamsi iisdem non ladatur alius.*

Ita foeminæ ob quæstum corporis, quem faciunt, personæ aliæ ob ebriositatem, ob luxuriam, ob scortationem, ob impietatem, blasphemiam puniri possunt. Qui scortationem pro re licita habuerunt, nihil quoque inde adversi metuerunt famæ universitatis. Ac idem tenendum est de vitiis aliis. Quamobrem quæ in Rep. permittenda esse putarunt, ea quoque punire non potuerunt. Quoniam vero error quoad unum quendam actum minime obstat, quo minus de aliis cognoscas, quod boni, vel mali sint, & illos committas, hos fugias; ita si quis populus ceteroquin bene moratus quædam permisit, quæ sceleribus annumeranda, inde inferri nequit, apud populum bene moratum, vel in Rep. bene constituta illa poenis coërcenda non esse. Ita in China hodienum tolerantur lenones (*not.* §. 365. *part.* 7. *Jur. nat.*), etsi Sinenses virtuti ab antiquissimis temporibus, si quæ gens alia, studuerint & rerum civilium prudentia ceteras gentes omnes superaverint. Male tamen quis hinc inferret, lenocinia in Rep. bene constituta esse toleranda. Nemo autem miretur, quod scelera puniri posse, inde demonstretur, quia ipsa universitas male audit, si

Digitized by Google

ſi ea impune perpetrari permittit, non vero quod ea per ſe poenam mereantur. Etenim ante jam demonſtravimus, malum in ſe tale non eſſe, ut puniri neceſſario debeat (§. 642.). Jus vero civitatis deducendum eſt ex ipſa notione ejusdem, nec libertas ſingulorum in civitate ultra eas actiones reſtringendum, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt (§. 47.). Quodſi ergo in civitate non permittendum, conſequenter puniendum (§. 674.), quod in ſtatu naturali unicuique permittendum erat (§. 156. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.*), ratio deſumenda eſt ab ipſa Rep.

§. 655.

Rector civitatis ſcelera, ſeu vitia foeda prohibere & ea patrantes punire poteſt. Etenim Rectori civitatis curæ eſſe debet, ne ſubditi a virtutis tramite ad vitia deflectant (§. 456.), conſequenter ne ſcelera ſeu vitia foeda perpetrent, etiamſi per ea nemo lædatur. Quamobrem ea prohibere poteſt (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.* *De jure prohibendi & ideo puniendi ſcelera.*

Quoniam vero legibus addendæ ſunt poenæ, quæ ad cohibendam legum transgreſſionem, quantum datur, ſufficiunt (§. 585.); qui non obſtante prohibitione ſcelera aut vitia foeda perpetrant, puniri poſſunt. *Quod erat alterum.*

Patet hinc officio Rectoris civitatis non repugnare ut ſcelera, ſeu vitia foeda puniat. Sufficiens tamen prohibendi & puniendi ratio ex demonſtratione anteriore clarius eluceſcit (§. 654.), quae remouet exceptionem, quaſi imperium extendatur ultra limites ſuos (§. 47.), cum coëuntes in civitatem libertati naturali non renunciaverint ultra id, quod finis civitatis, bonum ſcilicet publicum exigit, nec ſinguli quoad omnes omnino actiones juri univerſorum ſeſe ſubjicere voluerint. Quatenus enim actiones ſingulorum reſpectum quendam ad univerſitatem habent, ejus juri omnino ſubſunt. In-

Digitized by Google

tereſt autem Reip. ne civitas male audiat apud exteros, qui moribus cultioribus utuntur: quæ de re plura dicenda erunt in Jure Gentium. Alia vero ratio eſt, ſi qua gens pro naturaliter licito habet, quod apud alias pro inhoneſto & ſceleſto habetur. Dantur enim haud pauca in Jure naturae, quorum ratio non adeo obvia eſt, vt unicuique pateat.

§. 656.

De poenis rigoroſe exigendis.

Poena legibus conſtitutæ a delinquentibus exigendæ ſunt, niſi ſingulares fuerint rationes, ob quas vel remittendæ, vel ſaltem mitigandæ. Etenim poenæ eſſe debent motiva actionum committendarum, vel omittendarum (§. 287. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter metu earundem deterrendi ſunt ſubditi, ne faciant, quod prohibetur, aut ut non faciant, quod præcipitur, ſeu ne delinquant. Certum igitur eſſe debet delinquere volenti, quod poena legibus conſtituta ipſum maneat, ſi delinquat. Quamobrem neceſſe eſt, ut, ſi deliquerit, exigatur. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi rationes fuerint ſingulares, ob quas vel remittenda poena lege conſtituta, vel mitiganda; verendum non eſt, ne, ſi ea remittatur, vel mitigetur, alius quilibet vel impunitatem delinquendi, vel ſaltem poenam mitiorem, quam minus metuit, ſibi promittat, conſequenter ne poena effectu ſuo deſtituatur, quam tanquam exemplaris habere debebat (§. 1062. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem ſi rationes ſingulares fuerint, ob quas vel remittenda poena lege conſtituta, vel ſaltem mitiganda; ut omnino exequatur opus non eſt. *Quod erat alterum.*

Vix quenquam fore exiſtimo, qui delinquere vellet, ſiquidem pro certo haberet, ſe poenas, præſertim graves, quales ſunt corporis afflictivæ & capitales, immo infames omnes Reip. per

Digitized by Google

persoluturum, metu earum malitiam vincente. Nisi enim quis affectu perturbatus vel de poena non cogitet, delinquendi occasione oblata, vel animum ad eam non satis attendat, utique sibi persuadet, se poenas evitaturum, vel quod clam delinquat, vel quod in fuga, aut negatione præsidium se experturum confidat. Necesse igitur est, ut prava hæc animi persuasio avertatur, ne vires obligationis enerventur.

§. 657.

De rationibus remissionis & mitigationis poenæ publicandis.

Quoniam poenæ legibus constitutæ a delinquentibus exigendæ sunt, nisi singulares fuerint rationes, ob quas vel remittendæ, vel saltem mitigandæ (§. 656.); *si poena lege statuta non exigatur, sed vel remittatur, vel saltem mitigetur, rationes, ob quas remittitur, vel mitigatur, publicandæ sunt.*

Poenæ, præsertim quæ publice infliguntur, exemplares esse debent; vires obligationis positivæ, quæ sanctione poenali introducitur (§. 291. *part. 1. Phil. pract. univ.*), enervare minime debent. Quamobrem omnino necesse est, ut rationes, ob quas poena lege statuta remittitur, vel mitigatur, publice innotescant.

§. 658.

De jure remittendi & mitigandi poenas.

Superior poenas legibus constitutas remittere & mitigare potest non tamen hoc facere debet sine ratione sufficiente. Etenim jus puniendi in civitate per se definitum non est, sed ex circumstantiis præsentibus ejus limites constituendi (§. 636.). Quodsi ergo in casu dato adsint rationes, cur poena potius remittatur, quam exigatur, aut cur potius ea mitigetur, quam lege constituta præcise exigatur; nil sane obstat, quo minus eam superior remittere, vel mitigare possit. Quamobrem poenas legibus constitutas remittere & mitigare potest. *Quod erat unum.*

Digitized by Google

Enimvero cum ſubditos tutos præſtare debeat a metu injuriarum (§. 532.), & legibus addendæ ſint poenæ, quæ ad cohibendam legum transgreſſionem, quantum datur, ſufficiunt (§. 585.), conſequenter interſit Reip. ut rei puniantur; poenas remittere ac mitigare minime debet ſine ratione ſufficiente. *Quod erat alterum.*

Si poenæ jure naturæ eſſent determinatæ, & naturaliter obligaretur ſuperior ad eas exequendas; ipſi licitum minime eſſet poenam remittere, vel mitigare, cum obligatio, quæ a lege naturæ venit, abſolute neceſſaria & prorſus immutabilis ſit (§. 124. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero quoniam eædem voluntate ſua conſtituuntur, nec caſus omnes prævideri poſſunt, in quibus delinquitur, facile patet, ipſius judicio ſubeſſe, utrum pro datis circumſtantiis poena omnino ſit opus, an mitiori locus relinquendus, conſequenter a voluntate ipſius dependere, utrum eam remittere, an mitigare velit. Sane ſi caſus omnes prævidere potuiſſet, jecquis dubitet, eum ſtatim, cum poenam legi adderet, caſus iſtos excipere potuiſſe, in quibus poena ſit remittenda, vel mitiganda? Quidni igitur eos etiam excipere poteſt, quando actu occurrunt, conſequenter poenam remittere, aut mitigare, ſiquidem ita viſum fuerit? Agitur hic de eo potiſſimum, quod eſt officii Regis, qui temere poenam remittere, vel mitigare minime debet, ſed nonniſi ob rationes ſufficientes, ut jure ſuo uſus recte agat, cum lex naturæ in genere obliget omnes ad recte agendum (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 659.

De præmiis meritorum in Remp. vel Rectorem civita-

Superior ob præclara in Remp. vel in ipſum merita beneficium reddere debet parentibus in liberis, vel cognatis in cognatis. Etenim ſuperioris eſt obligare ſubditos ad bene de Rep. ac de ſe merendum, quod ſine ulteriori probatione ſumi poteſt. Enimvero obligatio poſitiva introducitur præmiorum promis-

Digitized by Google

miſſione (§. 298. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ſi in bene meritos conferantur, etiam alii ad bene merendum obligantur. Quamobrem cum beneficia in liberos ob parentum, vel cognatos ob cognatorum merita in Remp. collata, vel in ipſum quoque Rectorem civitatis, ſint meritorum iſtorum præmia (§. 295. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſuperior ob præclara in Remp. vel in ipſum merita beneficium reddere debet parentibus in liberis, vel cognatis in cognatis. *tis ſingulorum.*

Abſit, ut tibi perſuadeas, in civitate non aliter ſubditos obligari poſſe quam metu poenarum. Poenis enim coërcentur homines mali animi. Dantur vero etiam alii, qui præmiis permoventur ad præclara præſtandum. Immo ſi quid adhuc bonæ mentis iis inſit, qui malo ſunt animo, beneficiis & ipſi vincuntur, ut a malo deſiſtant, & animum mutent. Prudentia igitur facile docebit ſuperiorem, quando præmiis locum facere debeat. Nemo vero eſt, qui dubitet, ſuperiori non deeſſe benefaciendi materiam & occaſionem, qua ad bene de Rep. & ipſo merendum permovere poteſt ſubditos.

§. 660.

Superior ob præclara parentum & cognatorum merita in Remp. vel ſeipſum poenam remittere, multo magis mitigare poteſt. Etenim ſuperior ob præclara in Remp. vel in ipſum merita beneficium reddere debet parentibus in liberis, vel cognatis in cognatis (§. 659.). Quamobrem cum poena malum quoddam (§. 285. *part. 1. Phil. pract. univ.*), abſentia vero mali bonum (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter malum minus reſpectu majoris bonum ſit, ac ideo poenæ remiſſio & mitigatio beneficii loco habenda (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*); ſuperior ob præclara parentum & cognatorum merita *De poena remiſſione & mitigatione ob merita parentum & cognatorum.*

in

in Remp. vel ſeipſum poenam remittere, multo magis, quia mitigatio poenæ remiſſione minor eſt, eam mitigare poteſt.

Non minus intereſt Reip. ut ſubditi ad præclare merendum de Rep. incitentur, quam ut delicta & crimina non perpetrentur. Abſit itaque, ut tibi perſuadeas, quaſi Rector civitatis deſit officio ſuo, ſi in puniendo rationem habeat meritorum majorum, vel cognatorum. Dantur autem plures gradus meritorum in Remp. vel perſonam etiam Rectoris civitatis aut familiam ejusdem, & in iis æſtimandis plura attendenda veniunt. Sed talia facile cognoſcuntur, ubi occurrunt, nec de his dicendi locus eſt in præſenti.

§. 661.

De magna ſpe meritorum delinquentis.

Magna ſpes meritorum in Remp. in poſterum ratio ſufficiens eſt remiſſionis, aut ſaltem mitigationis poenæ. Quoniam ſuperioris eſt incitare ſubditos ad bene de Rep. merendum; nec eam privare debet meritis, quæ ſperare licet. Quamobrem ſi poena delinquenti infligenda Remp. privet meritis, quæ ab eo in poſterum ſperari poterant; præſtat potius eam vel non exigere, vel non exigere præciſe, conſequenter vel remittere, vel mitigare. Magna igitur ſpes meritorum in Remp. in poſterum ratio ſufficiens eſt remiſſionis, aut ſaltem mitigationis poenæ.

In præſenti caſu vix per malitiam delinquitur, ſed ab impetu affectuum, cui non adeo facile reſiſti poterat, delictum procedit, aut crimen, veluti ſi quis ira in furorem actus occidat alterum. Facile autem patet, multa circumſpectione opus eſſe, ne vana ſpes in caſu præſenti concipiatur: quo fine omnes omnino circumſtantiæ ſollicite excutiendæ. Neque minus patet, quando de remiſſione poenæ ſermo eſt, cum iis nobis negotium eſſe, qui poenam lege conſtitutam promeriti ſunt, haud quaquam vero de illis, qui ob delicti vel criminis pene-

Digitized by Google

perpetrati circumstantias eam meriti non sunt. Quando enim poena lege constituitur, dolus & malitia in delinquente supponitur, absente autem dolo, vel malitia, nec poenæ isti locus est. Tunc autem ea remitti, vel mitigari proprie loquendo dici nequit.

§. 662.

Poenæ legibus constitutæ subditis notæ esse debent. Poenæ enim motiva esse debent non delinquendi, aut crimina non patrandi (§. 287. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum per eas determinari debeat noluntas ad non agendum, quod sub poena prohibetur, ne fiat, vel voluntas ad agendum, quod fieri præcipitur, nisi poenam incurrere malis (§. 889. *Psych. empir.*); necesse utique est, ut delinquere volentis animum subeat cogitatio poenæ: quod cum fieri non possit, nisi poenæ legibus constitutæ sint in vulgus notæ, eas subditis notas esse debere extra omnem dubitationis aleam positum est. *Poenas legibus constitutas notas esse debere.*

Durum omnino videtur poenam præsertim gravem infligere ei, quem metus poenæ a proposito delinquendi abstrahere potuisset, siquidem ea ipsi cognita fuisset. Quamobrem poenæ una cum legibus promulgandæ, ut ad omnium notitiam pervenire possint, ne quis eas ignoret nisi culpa sua. Et dum pueri atque adolescentes docentur in scholis, quæ vitandæ sunt, & populo in templis inculcantur, quæ committenda, quæ omittenda sint, poenarum quoque positivarum mentio fieri debet, præsertim si exempla non fuerint adeo obvia. Sane eo fine poenæ, præsertim graviores, quæ multum onerant reum, publice infliguntur, ut in vulgus emanent & memoria earum conservetur.

§. 663.

Si quis facile prævidere potest magnitudinem damni, quod quis puniri

Quando

Digitized by Google

possit ante legem latam.

quod dat delinquendo sive privatis, sive Reip. puniri etiam is potest ante legem latam, quamvis aliquanto mitius. Etenim magnitudo damni, quæ datur delinquendo sive privatis, sive Reip. motivum satis efficax est non delinquendi, nisi malitia prædominetur, consequenter cum malitiæ insigni non adeo facile mederi liceat, a poenæ quoque metu non multum præsidii sperandum fuerat. Quamobrem cum in poena irroganda habenda sit ratio malitiæ (§. 632.); si quis facile prævidere potest magnitudinem damni, quod dat delinquendo sive privatis, sive Reip. puniri is etiam potest ante legem latam. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen negari haud quaquam potest, si metus poenæ, præsertim gravioris, ad magnitudinem damni, quod delinquendo datur, accedat, motivum fortius fieri, ut malitia majore opus sit, si adversus eam non prævaleat, & in magnitudine poenæ determinanda ratio habenda sit malitiæ (§. 632.), in ca[illegible]dubio autem malitia major non præsumenda, cum præsumtio semper tendat in partem mitiorem, ne fiat quod iniquum est; qui ante legem latam punitur, aliquanto mitiori poena afficiendus, quam quæ postea legi additur (§. 585.).

Modo quis noverit, quid sint delicta & crimina & ea in Rep. esse punienda, immo graviora poenis gravioribus coërcenda; is ignorantiam delicto ac crimini obtendere nequit. Injustum igitur non est, multo minus iniquum, si puniatur, quamvis lege certa quædam poena nondum sit constituta, præsertim ubi ingens periculum ab eo, qui deliquit, aut necessitas exempli eandem exigat.

§. 664.

Quando poena faci-

Ante legem poenalem latam poena facilius remitti potest, quam

Digitized by Google

quam post legem constitutam. Etenim cum poenæ, præsertim graviores & in his capitales, sint ideo exigendæ, ut deterreantur alii a delinquendo, ac per consequens, ut ne obligationis sanctione poenali introducendæ (§. 291. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vis enervetur (§. 287. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 889. *Psych. empir.*); si ante legem poenalem latam poena non afficitur, qui deliquit, consequenter si ea remittitur (§. 1089. *part. 1. Jur. nat.*), tale quid metuendum non est. Quodsi ergo non ingens sit periculum ab eo, qui deliquit, vel circumstantiæ singulares prodant necessitatem exempli, ante legem poenalem latam facilius remitti potest poena, quam post eam constitutam (§. 565. 658.). *lius remittatur.*

Stoici vulgo putantur omnem poenæ remissionem rejeciſſe tanquam sapientiæ adversam: an vero simpliciter eam improbaverint, jam non disquiremus. Sufficit ex iis, quæ demonstravimus, abunde patere, quod poenæ remissio non semper repugnet sapientiæ, sed potius ea subinde eandem suadeat, quamvis plures adhuc aliæ eam in finem afferri possent rationes, si sententiam istam refutare deberemus. Sunt ex adverso alii, qui contendunt, ante legem latam nullam intelligi remissionem poenæ. Ubi enim lex nulla sit, ibi quoque nullam esse legis transgressionem, ac ideo poenam nullam, & per consequens nullam poenæ remissionem. Ast non difficilis est responsio. Ante legem latam puniri potest, qui facile prævidere potuit damnum, quod delinquendo dat (§. 663.), consequenter in Rep. tale factum minime permittendum esse, ac ideo poena coërcendum delinquentem, præsertim cum idem manifesto appareat ex eo, quod delicta & crimina alia puniantur, nequaquam vero permittatur, ut impune delinquatur, immo exinde etiam quilibet addiscere possit, poenæ magnitudinem determinari ex magnitudine damni, quod datur, & ex malitia delinquentis. Quamvis itaque certa quædam poena lege constituta nondum sit, perinde tamen est, ac si poena

Digitized by Google

in genere etiam gravis esset constituta, in casu dato in specie determinanda. Alia vero ratio est, si in Rep. mixta extet lex fundamentalis, ne quis puniatur ante legem poenalem constitutam. Plura de permissione poenæ jam alias demonstravimus (§. 1094. *part. 1. Jur. nat.*), quæ hic repetenda non sunt, sed ibidem legi possunt.

§. 665.

An liberi propter parentes, parentes propter liberos, cognati propter cognatos, hæres propter defunctum puniri possint.

Liberi puniri nequeunt ob malefacta parentum, nec parentes ob maleficia liberorum, nec cognati ob maleficia cognatorum, nec hæres ob maleficium defuncti, cujus in bonis succedit. Etenim nemo puniri potest ob factum alienum (§. 1084. *part. 1. Jur. nat.*) & qui poenam inter se communicant, eorum quilibet punitur ob factum proprium (§. 1083. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque liberi, parentes, cognati & hæres punirentur ob factum alienum, si ob maleficium parentum, liberorum, cognatorum, atque defuncti, in cujus bona succeditur, punirentur, nec liberi propter maleficium parentum, nec parentes ob maleficium liberorum nec cognati ob maleficium cognatorum, nec hæres ob maleficium defuncti, in cujus bona is succedit, puniri possunt.

Injuriam utique faceret liberis, qui eos puniret ob delicta vel crimina a parentibus perpetrata, quemadmodum jam alibi in genere monuimus (*not.* §. 1084. *part. 1. Jur. nat.*). Idem valet de parentibus, de cognatis, de hæredibus, si illi ob factum liberorum, illi ob factum cognatorum, hi ob factum defuncti, in cujus bona succedunt, punirentur. Si vero in poenam alicujus bona confiscantur, hæredes non puniri, sed tantummodo malum quoddam sentire occasione criminis alieni, supra jam demonstravimus (§. 594.). Equidem hæres repræsentat personam defuncti, in cujus bonis succedit (§. 958. *part. 7. Jur. nat.*); non tamen inde

Digitized by Google

de sequitur, cum puniri posse propter delictum, vel crimen defuncti, cum personam defuncti non repræsentet nisi quoad continuationem dominii, nec in eum cadunt obligationes defuncti, nisi quæ respectum quendam ad bona, in quæ succeditur, habent & a dominio ortum trahunt (§. *cit.*). Istiusmodi obligatio reatus non est, quippe quæ ex maleficio oritur (§. 1072. *part. 1. Jur. nat.*), cui cum dominio nihil commune est. Injustæ igitur fuerunt leges Persarum & Macedonum devoventes & propinquorum capita, quo qui in Regem peccaverant tristiores perirent, *Curtio* autore, ut recte dixerit *Philo* morem esse tyrannis cum damnatis una tollere quinque familias eis proximas. Neque crudelitatem hanc excusat criminis atrocitas: propinqui enim non magis participes sunt criminis atrocis, quam delicti vel levissimi ab alio commissi. Puniuntur ergo, si vel maxime atrocissimum fuerit crimen, innocentes: id quod naturaliter illicitum (§. 1086. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 666.

Quoniam liberi puniri nequeunt ob delictum, vel crimen parentum (§. 665.), foetus autem in utero necaretur, si mulier prægnans ad supplicium ultimum raperetur; *mulier prægnans, antequam pepererit, poena capitali afficienda non est.* *De dilatione poenæ capitalis mulieris prægnantis.*

Legibus Ægyptiorum, Græcorum & Romanorum nefas habitum prægnantem mulierem supplicio mortis afficere: parcendum enim infanti in utero, cui delictum, vel crimen matris nullo modo imputari posse nemo est, qui non videat.

§. 667.

Si quid habeant aut expectare possunt liberi, in quod jus proprium non ipsis, sed populo aut Regi est, seu quod non in ipsorum, parentum in sed in populi aut Regis dominio, & ob crimen parentum id ipsis auferetur; non liberi puniuntur, sed parentes in liberis. Etenim si in *De poena liberis.*

Digitized by Google

quid liberi jus proprium non habent, ſed populus aut Rex, a populi aut Regis voluntate unice dependet, quomodo ad utilitatem Reip. de eo diſponere velit (§. 118. 135. *part. 2. Jur. nat.*) & ſi hoc ipſis admitur, non quod ſuum eſt adimitur (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*), ſed ſuperior de eo diſponit in utilitatem Reip. ſeu prouti bonum publicum exigit (§. 23.). Quamobrem cum poena non conſiſtat niſi in privatione ſui (§. 588.); ſi quid habent aut expectare poſſunt liberi, in quod jus proprium non ipſis, ſed populo aut Regi eſt, ſeu quod non in ipſorum, ſed in populi, aut Regis dominio eſt, & ob crimen parentum id ipſis aufertur, liberi non puniuntur. *Quod erat unum.*

Enimvero cum parentes operam dare debeant, ut liberi fiant fortunati (§. 732. *part. 7. Jur. nat.*), & huc eos ducit amor naturalis prolis ſuæ brutis non minus, quam hominibus inſitus (§. 259. *part. 7. Jur. nat. & §. 640. Pſych. empir.*), ut ex fortuna adverſa moleſtiam animi, immo triſtitiam percipiant, prouti experientia obvia abunde loquitur, nemo autem negaverit, parentes ſi prævideant ſua culpa liberos fortuna privari, qua vel jam gaudebant, vel gaudere in poſterum poterant, & malum, quo quis affligitur ob crimen perpetratum utique poena ſit (§. 285. *part. 1. Phil. pract. univ.*); parentes in liberis ſuis puniuntur, ſi his ob ipſorum crimen aufertur, quod vel habent, vel expectare poterant, quod tamen in ipſorum domino non eſt, ſed in dominio populi, aut Regis. *Quod erat alterum.*

Quæ de puniendis parentibus in liberis hic demonſtrantur, prope notanda ſunt & perpendenda, præſertim cum etiam Deus in Scriptura Sacra peccata parentum punire dicatur in liberis usque ad tertiam & quartam generationem, a quo tamen omnis injuſtitia, iniquitas omnis procul abeſt. Quodſi enim demon-

Digitized by Google

demonſtratio præſens rite expendatur, nihil in hac punitione reperies, quod injuſtitiæ, aut iniquitatis redargui poſſit. Injuſtus eſt, qui quid facit quod eſt contra jus perfectum alterius (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter qui alteri aufert, quod ſuum eſt, aut id, quod ab alio ipſi perfecte debebatur. Aſt neutrum fit a ſuperiore in civitate, multo minus a Deo, quando in liberis puniuntur parentes, alias enim liberi punirentur propter peccata, aut crimina parentum: quod fieri non debet (§. 656.). Sunt quædam in Rep. quæ libera ſuperioris voluntate ita conferuntur in cives, ut per nativitatem in eorum poſteros deriventur, continuo tamen juri ſuperioris ſubjecta ſunt, ut de iis disponere poſſit, prouti bonum publicum, ſeu ſalus Reip. exigit. Iſtiusmodi ſunt nobilitas, jus certarum dignitatum civilium atque munerum publicorum hæreditarium, aptitudo civilis ad certa munera publica, jus poſſidendi prædia equeſtria & alia privilegia familiæ data. Hiſce ſi privantur liberi ob crimina parentum, non aufertur quod ſuum eſt, aut ad quod jus perfectum habent; ſed ſuperior jure ſuo diſponit de eo, de quo pro lubitu disponere poteſt. Et quia hoc facit eo fine, ut deterreantur alii a delinquendo graviter in Remp. ſalus vero Reip. ſuprema lex eſt, cui convenienter de omnibus iſtis diſponere tenetur ſuperior, ſiquidem officio ſuo ſatisfacere velit; nihil quoque in eo committitur, quod iniquum dici poſſit (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), etſi primo intuitu tale appareat, quia tacite ſupponitur, auferri innocentibus propter factum alienum jus quoddam proprium, quod citra injuriam auferri nequit, & factum alienum imputari innocentibus, cujus tamen nullo modo ſunt participes. Idem eodem modo intelligitur de Deo parentes in liberis puniente. Etenim Moſes poenam omnem in privatione bonorum fortunæ collocat, ad quæ homo jus perfectum nullum habet, ſed quæ Deus diſpenſat ſapientiæ ſuæ convenienter. Quamobrem dum punit parentes in liberis, nihil his adimit, quod ipſorum erat, vel eſſe debebat, conſequenter nullius injuſtitiæ argui poteſt. Et cum hoc medio

utatur,

Digitized by Google

utatur, ut a peccando deterreantur, qui legem ipsius servare tenentur; de bonis fortunæ, quæ denegat liberis ob parentum peccata, sapientiæ convenienter disponit (§. 678. *Psych. rat.*), ac per consequens nihil committitur, quod vel in homine iniquum dici mereatur (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quemadmodum Rex tum demum puniret liberos ob crimen parentum, si eorum bona propria confiscarentur, si fustigarentur, si supplicium ultimum subire cogerentur; ita quoque Deus tunc demum puniret liberos ob parentum peccata, si eos ad cruciatus infernales damnaret, quæ est impiorum poena post hanc mortem. Ea, quæ tam a superiore in civitate, quam a Deo liberis ob parentum crimina & peccata adimuntur, talia sunt, ut, si in civitate saluti publicæ, in mundo autem sapientiæ divinæ convenit, etiam citra ullam culpam unicuilibet adimi, vel denegari possint. Quamobrem abunde patet, nullam supponi culpam in liberis, quando istiusmodi quid iisdem aufertur, vel denegatur, consequenter nec culpam parentum iisdem imputari. Equidem negandum non est, dum parentes puniuntur in liberis, malum quoddam a facto parentum derivari in liberos, a quo fuissent alias immunes; non tamen malum a facto alieno in nos derivatum poena est, sed calamitas, quæ subeunda occasione facti alieni.

§. 668.

Quando parentes puniendi in liberis.

Quoniam liberis, quando in iis puniuntur parentes, quid adimitur, quod habent, aut quod sperare poterant, in quo tamen non ipsis, sed populo, aut Regi dominium est (§. 667.), consequenter occasione criminis parentum malum quoddam in eos deriyatur, quod culpa quadam sua non meruerant, amori tamen universali convenit, ut, quantum datur, caveamus, ne quis incidat in mala fortunæ (§. 613. *part. 1. Jur. nat.*), gravioribus vero poenis coërcenda sunt crimina graviora (§. 626.), ex nocumento, quod Reip. affertur, & periculo inde imminente æstimanda (§. 625. 581.);

Digitized by Google

581.); *parentes in liberis puniri non debent, niſi ob crimina graviſſima.*

Sane ea de cauſa moribus noſtris poena parentum in liberis vix obtinet, niſi in cauſa perduellionis. Et hanc æquitatem ſecutus *Carolus V.* Imperator, confiſcationem quoque bonorum a poena capitali abſtulit, quæ Jure Romano cum eadem conjuncta erat, ne occaſione criminis parentum malum quoddam in hæredes derivaretur (§. 594.). Parentes in liberos injurii ſunt, dum crimen committere non verentur, cujus occaſione liberi fortunam adverſam experiuntur, cum ipſorum officii ſit ſibi cavere, ne eorum culpa liberi fiant infortunati (§. 732. *part.* 7. *Jur. nat.*). Miſerari debemus liberorum conditionem atque fortunam, ſi parentes adeo deſunt officio ſuo. Nec ab hac miſericordia abeſt ſuperior, quando parentes in liberis punit, cum plurimorum amor recte vincat amorem paucorum quorundam: id quod juſtitiæ maxime convenit (§. 1067. *part. 1. Theol. nat.*). In Deo autem puniente parentes in liberis, dum his ſubtrahit fortunæ bona, id adhuc ſingulare eſt, quod hoc fieri poſſit in ſalutem ipſorum, quatenus prævidet, eos bonis fortunæ abuſuros, calamitates vero fore incitamentum ad virtutem & pietatem, atque præſidium adverſus vitia.

§. 669.

Cadavera ſupplicium ultimum paſſorum inſepulta in conſpecta publico relinqui poſſunt. Mortuis enim competit jus ad ſepulturam (§. 768. *part. 6. Jur. nat.*) & id ipſum humanitati debetur, ſeu homini ideo competit, quia homo eſt (§. 769. *part. 6. Jur. nat.*). Quamobrem cum in poenam adimi ei, qui deliquit, poſſit jus quodcunque (§. 589.); in poenam quoque jure ſepulturæ is privari poteſt. Quodſi ergo privatio ſepulturæ ad poenam capitalem accedat, hoc ipſo eadem augetur (§. 610.). Quoniam itaque crimina gra-

An facinoroſis denegandaſit ſepultura.

Digitized by Google

viora poenis gravioribus coërcenda (§. 626.), & quatenus poena exemplaris esse debet, eidem maxime convenit, ut cadavera punitorum insepulta in conspectu publico relinquantur (§. 1062. *part. 1. Jur. nat.*), atque ad ostendendam turpitudinem criminis faciet, si jure, quod humanitati debetur, privetur, qui maleficio suo ex hominum censu in censum bestiarum se detrusit; cadavera supplicium ultimum passorum insepulta in conspectu publico relinqui nefas non est, consequenter relinqui possunt.

Moribus nostris convenit, ut patibulo suspensorum & rotæ impositorum corpora non sepeliantur, sed in conspectu publico relinquantur, quamdiu natura permittit. Apud Hebræos ante solis occasum corpora eorum, qui ad supplicium publicum damnati fuerant, tollebantur & humo mandabantur. Cadavera quoque punitorum sepultura non privarunt Græci atque Romani. Ideo disputarunt eruditi, utrum licitum sit, nec ne, cadavera quorundam damnatorum diu in publico conspectu relinqui, nec desunt multi, qui hunc morem improbant. Enimvero si animum attendamus ad ea, quæ in demonstratione præsenti afferuntur; non video, cur dubitationi ullus relinqui debeat locus. Quamvis enim humatio mortuis debeatur (§. 767. *part. 6. Jur. nat.*), non tamen inde inferri potest insepulta relinqui cadavera punitorum juri naturæ repugnare. Sane lege naturæ prohibetur occidi hominem (§. 743. *part. 1. Jur. nat.*), ita ut ne volentem quidem occidere liceat (§. 744. *part. 1. Jur. nat.*): hoc tamen minime obstat, quo minus poenis capitalibus utamur ad coërcenda quædam crimina, si finis poenarum tales exigit (§. 638.). Nec est, quod objicias, si cadaver hominis, qui poena capitali affectus est, insepultum in conspectu publico relinquatur, eum bis puniri ob idem crimen. Neque enim denegatio sepulturæ spectanda est tanquam poena peculiaris, sed tanquam augmentum poenæ capitalis, quale est si corpus adhuc vivi, dum ad

suppli-

Digitized by Google

supplicium rapitur, forcipibus candentibus aduritur (§. 610.). Habet vero denegatio sepulturæ hanc utilitatem, ut, qui vivus nocuit, post mortem prosit aliis, quatenus exemplo suo docet criminis perpetrati & turpitudinem, & noxitudinem, quasi continuo alloquens prætereuntes, eosque dehortans, ne pravo suo exemplo se addant, sed ex casu suo discant, quod vitent. Exemplo autem suo docere alios officium est lege naturæ præscriptum (§. 639. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 670.

De facto non imputabili.

Nemo puniri potest ob factum, quod imputari ipsi non potest, nec ultra id, in quantum ipsi imputari potest. Quodsi enim factum alicui imputari nequit, is non haberi potest causa libera damni, quod facto suo dedit, vel ejus mali, quod ex eo consecutum (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum penes ipsum non steterit, ut non faceret, nec metu poenæ deterreri potuerit, quo minus faceret; ob factum quoque, quod ipsi imputari nequit, puniri neutiquam potest. *Quod erat unum.*

Quando vero ex parte factum ipsi imputari potest, eatenus censetur quoque causa libera mali, quod ex eo consecutum (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter cum hactenus cesset ratio, ob quam puniri non potest, evidens omnino est, in tantum eum puniri posse, in quantum factum ipsi imputari potest, sed non ultra id, in quantum imputari potest. *Quod erat alterum.*

Quatenus homo non agit libere, actiones ipsius naturalibus accensendæ, quales sunt brutorum. Sicuti itaque bruta puniri nequeunt; ita nec homines, qui brutorum more egerunt.

Digitized by Google

§. 671.

Id ſpecialius expenditur. Quamobrem cum ignorantia invincibilis nemini imputari poſſit (§. 550. *part. I. Jur. nat.*), nec cui imputari poſſint actiones, qui rationis uſu adhuc deſtituitur (§. 566. *part. I. Phil. pract. univ.*), neque etiam furioſis (§. 567. *part. I. Phil. pract. univ.*), ſomniantibus (§. 571. *part. I. Phil. pract. univ.*), ſomnabulis (§. 572. *part. I. Phil. pract. univ.*), melancholicis, quatenus actiones ex melancholia committuntur (§. 574. *part. I. Phil. pract. univ.*), delirantibus (§. 576. *part. I. Phil. pract. univ.*); *ſi quis ex ignorantia invincibili contra legem delinquit, poena lege ſtatuta eidem irrogari nequit, vel ſi in furore, in ſomnio, vel in delirio, vel ex melancholia, aliquem occidit, tanquam homicida puniri nequit.*

Furioſi, deliri atque melancholici cuſtodiendi ſunt, ne ſibi vel aliis nocere poſſint. Quamobrem ſi perpetrato homicidio, aut maleficio alio cuſtodiæ mandantur; id non fit in poenam, ſed in ſecuritatem ſui & aliorum. Quodſi ſibi vel aliis nocent, hoc imputandum non ipſis, ſed iis, qui, quos cuſtodire debebant, eos ſibimetipſis reliquerunt, & ſicuti ab omni culpa non ſunt immunes, cenſuram pro ratione culpæ merentur.

§. 672.

De ebrietate ſumma. Quoniam quis puniri poteſt ob factum, quod in totum ipſi imputari nequit, in quantum id imputari poteſt (§. 670.), conſequenter quatenus dependet a principio, quod actionibus liberis debetur; *ſi quis ob ebrietatem ſummam*, quæ ſcilicet non ſolum omnem facultatum ſuperiorum uſum homini adimit, verum etiam ipſum uſum inferiorum lædit, *delinquit, is puniri poteſt, in quantum ebrietas ipſi imputari poteſt.*

Ponamus e. gr. Sempronium in ebrietate ſumma parum ſibi con-

Digitized by Google

conscium eorum, quæ agit, occidere Cajum; poena homicidii lege constituta is puniri nequit, abest enim dolus, qui in homicida requiritur, ut poena ordinaria infligi possit. Quoniam tamen tantam ebrietatem vitare poterat atque debebat; culpa non vacat. Pro ratione circumstantiarum, quæ multis modis variare possunt, poena extraordinaria, veluti mulcta, carcere, aut relegatione coërcendus, nec hic insuper habendum id, quod suadet, vel jubet necessitas exempli. In irrogandis poenis omnes circumstantiæ probe sunt excutiendæ, ne quis ultra meritum puniatur. Qua de causa Imperator *Carolus V.* multa in eo reliquit arbitrio judicis & juris peritorum, quos cum arbitrari jubet, non aliud præcipit, quam ut circumstantias omnes probe explorent & trutinentur, ut pateat, quodnam ad poenam vel augendam, vel minuendam afferat momentum, prouti delinquentem vel gravant, vel excusant. Multa hic dicenda forent, siquidem omnia minutim persequi daretur.

§. 673.

Nemo puniri potest, nisi delicto aut crimine sufficienter probato, seu nisi ejusdem convictus. Etenim quamdiu sufficienter probatum non est, delictum aut crimen ab eo, qui accusatur, vel suspectus habetur, fuisse perpetratum, pro reo haberi nequit, consequenter pro innocente habendus (§. 1085. *part. 1 Jur. nat.*). Quamobrem cum innocentem punire non liceat (§. 1086. *part. 1. Jur. nat.*); nemo puniri potest, nisi delicto aut crimine sufficienter probato. *Ad puniendum requiri convictum delicti.*

Nimirum quamdiu certo non constat, delictum, vel crimen, cujus quis infimulatur, revera ab eo esse perpetratum; periculum est, ne innocens puniatur. Præsumtio igitur recte fit pro innocentia, cum præstet in casu dubio nocentem absolvi, quam innocentem puniri: illud enim injuria vacat, hoc minime. Nec illud officit fini poenarum, quatenus esse debent

Digitized by Google

exemplares: id enim demum fieret, si criminis convictus non puniretur.

§. 674.

De confessione spontanea delicti.

Qui delictum vel crimen sua sponte confitetur, absque ulteriori probatione puniri potest, nisi circumstantiæ lateant, ob quas poena lege constituta vel mitiganda, vel aggravanda. Etenim si quis delictum vel crimen sua sponte confitetur, jam certo constat, quod ab eo fuerit commissum. Quamobrem cum probatio non requiratur, nisi ut certo constet, eum, qui delicti vel criminis insimulatur, aut suspectus est, id commisisse; si quis delictum sua sponte confitetur, ulteriori probatione opus non est, consequenter absque ea puniri potest. *Quod erat unum.*

Enimvero cum certæ etiam esse debeant circumstantiæ, ob quas poena lege constituta vel mitiganda, vel aggravanda, ut poena, quam meretur, afficiatur reus; si quæ circumstantiæ latent, quæ vel ad poenam mitigandam, vel aggravandam faciunt, in has omnino inquirendum. Quamobrem etsi quis delictum, vel crimen sua sponte confiteatur, absque ulteriori tamen probatione condemnari nequit. *Quod erat alterum.*

Inprimis necesse est, ut pateant circumstantiæ, quæ ad poenam mitigandam faciunt, cum in puniendo modum excedere non liceat (§. 1066. *part. 1. Jur. nat.*), & excessus in puniendo læsio sit (§. 1067. *part. 1. Jur. nat.*). Non est quod excipias, fieri posse, ut quis dicat se deliquisse, qui non deliquit, cum falsa quoque dici posse nemo sit qui nesciat. Enimvero in casu præsenti, quo puniendus qui deliquit, verendum non est, ne agens se deliquisse mentiatur, præsertim si poena gravior expectanda. Quodsi vero quis mentiatur, singularis quæ-

Digitized by Google

quædam subesse debet ratio, veluti quod male sanus est, aut quod majoris cujusdam mali evitandi causa poenam quamvis insons subire malit. Casus istiusmodi rarior, cum rei ordinarie negando poenam evitare studeant, quando occurrit, ex circumstantiis præsentibus facile patet, nec judex circumspectus confessioni propriæ facilem habebit fidem, consequenter ut factum probetur, curæ habebit. Ita constat foeminas furore uterino, laborantes, cum magiæ insimularentur, plurima confessas fuisse maleficia, quibus hominibus pariter atque brutis animalibus nocuerint. Ast ut taceamus a prudenti medico morbum facile detegi posse, ipse etiam judex ex damnando circumstantias factorum expiscando haud difficulter deprehendet, vera non esse, quæ dicuntur, modo non sibi persuadeat, homines, diabolo cooperante, miraculosa quæque facere posse: quæ sane opinio oppido absurda hodie non facile judicem seducet. Emotæ mentis indicia in aprico sunt, modo præjudicata opinio non obstet, quo minus ea videri possit. Nolumus recensere casus alios, in quibus confessio statim sua sponte facta suspecta videtur, cum non facile occurrant. Si vero confessio vi aut metu extorquetur, ea non est hujus loci.

§. 675.

Quoniam reo delictum vel crimen sua sponte confitente in circumstantias latentes adhuc inquirendum, quæ ad poenam mitigandam faciunt (§. 674.); *antequam reus confessus condemnetur, præsertim si poena gravior, veluti capitalis, infligenda, ipsi permittendum est, ut, quæ sui excusandi causa se in medium afferre posse existimat, proferat, consequenter indefensus puniendus non est, nisi ipse confiteatur, se in defensionem sui nihil afferre posse.* *De defensione rei.*

Nimirum sicuti interest Reip. ne delicta & crimina maneant impunita; ita quoque plurimum refert, ut Resp. omnem a se amoveat suspicionem, quasi quis puniatur innocens, vel ultra

Digitized by Google

tra meritum, prouti boni viri est non modo facere id, quod est officii sui, verum etiam sollicite cavere, ne contrariam incurrat suspicionem. Defensio itaque reorum, licet convicti fuerint atque confessi, superflua minime videri debet, quamvis ex iis, quæ sufficienter probata sunt ac reus ipse confitetur, facile appareat, nihil in medium afferri posse ad excusandum eundem, quod alicujus sit momenti. Et ea de causa a judice defensor quoque datur non desideranti.

§. 676.

De deficiente probatione sufficiente.

Si sufficienter probari nequit, delictum vel crimen ab eo esse patratum, qui ejusdem insimulatur, vel de eodem suspectus est, ipse autem in negando perseverat; opera danda est, ut ad confessionem adigatur. Etenim nemo condemnari debet innocens (§. 1086. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter antequam certo constet, eum deliquisse. Quoniam igitur hoc aliunde constare nequit, quam vel ex probatione sufficiente, vel ex confessione propria, hoc est, nisi vel fuerit convictus, vel confessus, vel confessus & convictus simul, probatio autem sufficiens haberi nequit & qui de crimine vel delicto suspectus est, id constanter negat *per hypoth.*; aut impunitus dimittendus, aut dispiciendum, annon ad confessionem delicti vel criminis adigi possit. Quamobrem cum poenæ legibus constitutæ sint exigendæ, nisi singulares fuerint rationes, ob quas vel remittendæ, vel saltem mitigandæ (§. 656.); si deficiente probatione, qui de crimine, vel delicto suspectus est, convinci nequit, opera omnino danda est, ut ad confessionem adigatur.

In quem magna cadit suspicio, is deliquisse præsumitur. Quamobrem cum poenæ exemplares esse debeant (§. 1050. *part. 7. Jur. nat.*); consultum non videtur, ut neganti, qui valde suspectus est, nec suspicionem a se amovere valet, statim

Digitized by Google

tim credatur, isque impunitus dimittatur. Reorum enim est negare, quamdiu in negatione præsidium quoddam adversus poenam invenisse sibi videntur. Quoniam itaque maximopere cavendum, ne invalescat opinio, quasi perseverantia in negando poenam effugere valeat reus; non iniquum est, ut negans ad confessionem delicti vel criminis, super quo valde suspectus est, si fieri possit, adigatur. Enimvero quæritur, quibus utendum sit mediis. Tortura eum in finem inventa est, & hodienum apud nos usitata. Sed de ea non omnium eadem est sententia, aliis eandem defendentibus, aliis impugnantibus. Quid igitur de ea sentiendum sit, ne quid admittatur quod a ratione sit alienum, nec rejiciatur, quod finis civitatis exigit (§. 532. 579.), dispiciendum.

§. 677.

Tortura dicitur actus, quo corpus criminis suspecti dolore ac cruciatu afficitur, ut ad confessionem criminis adigatur. *Quæstio* vero vocatur *Interrogatio* de crimine commisso, ad cujus confessionem per tormenta ejusdem suspectum adigere volumus. Fert tamen inconstantia loquendi, ut & actus, quo corpus torquetur, & interrogatio de crimine commisso simul quæstionis nomine veniant. Ac ideo sermone patrio tortura dicitur die peinliche Frage, quamvis etiam die Tortur appelletur. *Tortura & quæstio quid sit.*

Genera tormentorum nec olim eadem fuerunt apud omnes gentes, nec hodienum eadem sunt apud eas, quæ hoc medio ad eruendam veritatem utuntur. Nostrum non est ea recensere. Præter ea, quæ in foro Saxonia usitata sunt, alia quædam recenset *Carpzovius* in Practica nova imperiali saxonica rerum criminalium part. 3. quæst. 117. n. 27. & seqq.

§. 678.

Territio sunt minæ de torquendo, quæ intenduntur inquisito in loco torturæ destinato, præsente carnifice & *Territio quid sit.*

Digitized by Google

apparatu ad torquendum requisito. Dividitur ea in *nudam* sive *verbalem*, & *in realem*. Nimirum *Territio verbalis* est simulatio carnificis de torquendo inquisito absque omni tactu & apprehensione ejusdem: at *Realis* vocatur, quæ cum præparatoriis & præludiis tormentorum leviusculis conjuncta est.

Nimirum ut *Carpzovii* verba nostra faciamus, in territione verbali carnifex verbis & gestibus severioribus & ad torquendum consuetis irruit in inquisitum, non aliter ac si ipsum prehendere ac torquere vellet, absque apprehensione tamen; in reali vero manus quoque apponit, inquisitum vestibus denudat, ad scalam ducit, instrumenta, quibus tortura peragitur, in conspectum ipsius ponit, forcipes digitorum affigit, iisque pollices ejus comprimit. Atque hinc patet, territionem verbalem, cum inquisitus dolores & cruciatus corporis nullos sentiat, sed saltem metuat, vere torturam dici non posse (§. 677.); etsi per abusum ita subinde dicatur; realem vero esse torturam inchoatam, cum præter actus præparatorios accedant etiam dolores, etsi a cruciatibus abstineatur.

§. 679.

Finis tortura & territionis.

In tortura cruciatibus corporis; in territione metu eorundem inquisitus adigi debet ad criminis commissi confessionem, seu ducendam veritatem. Quoniam enim cruciatus corporis tanquam malum ingens per naturam fortiter aversamur (§. 592. 596. *Psych. empir.*), consequenter eos amoliri conamur; cruciatibus corporis in tortura, metu eorundem in territione inquisitus permoveri debet, ut in illa ab iis liberetur, in hac ne in eosdem insiliat. Quamobrem cum aliter a cruciatibus, quos patitur, liberari, in casu priore, in posteriore autem eos effugere non posse sibi videatur, nisi crimen commissum confiteatur, in tortura cruciatibus corporis, in ter-

Digitized by Google

territione metu eorundem inquisitus adigi debet ad criminis confessionem, seu dicendam veritatem.

Quamvis dicatur inquisitus ideo torqueri, ut veritatem dicat, quia criminis commissi suspectus est, consequenter falso id negare præsumitur, non tamen inter tormenta neganti creditur, sed si a cruciatu liberari velit confiteatur necesse est, se id commisisse, aut perferendi sunt cruciatus, quos judex ad eruendam veritatem sufficientes arbitratus fuerit. Patet itaque torturam ideo esse introductam, quod existimatur, si quis crimen commisit, eum potius id confessurum, quam horrendos cruciatus perlaturum, & hoc respectu tortura adhiberi dicitur ad eruendam veritatem, quam alio modo eruere non datur.

§. 680.

Tortura consistit in cruciatibus diris ac impatibilibus. Abunde hoc patet genera torturæ ad animum revocanti. Mittamus illa, quæ, cum a crudelitate non abessent, passim exoleverunt, & perpendamus saltem, quæ hodienum in Saxoniæ Electoratu usitata sunt. Carnifex juncturas manus funiculis subtilioribus duriter contortis arctissime constringit, vel instrumentis excavatis ad formam forcipis pollices torquendi comprimit, aut etiam ejusmodi instrumentis tibias; torquendum scalæ subjicit & violenta extensione articulos omnium membrorum dilacerat; immo candentibus luminibus cutem in certis corporis partibus lente adurit, aut extremas digitorum partes immissis infra ungues pincis cuneolis iisque postmodum accensis adustione lædit. Vid. *Carpzovius* part. 1. quæst. 117. n. 41. Ecquis dubitet, quamvis tortura ad cruciatus majores non extendatur, hos ipsos tamen satis diros ac impatibiles esse? *Quam dira res sit tortura.*

Equidem non omnibus hisce tormentis promiscue utuntur

Digitized by Google

in quovis crimine & casu quolibet; abunde tamen patet, vel leviſſimum, qua ligatura eſt, intolerabiles creare cruciatus.

§. 681.

An tortura ſit medium aptum ad eruendam veritatem.

Tortura non ſatis apta eſt ad eruendam veritatem. Etenim cum tortura in cruciatibus diris & impatibilibus conſiſtat (§. 680.), dantur ſane haud pauci qui mori malunt, quam iſtos pati, conſequenter licet innocentes ſint, potius confiteantur, ſe commiſiſſe crimen, quam ut tantos cruciatus vel diutius perferant, vel in eos inſiliat, præſertim cum etiam accedat macula a carnifice tortis opinione hominum adhærens, quæ per omnem vitam non tollitur, nec propterea quod quis torturam adigi non potuerit ad criminis confeſſionem, liberetur ab ejus ſuſpicione, ob quam torturæ ſubjectus fuit. Dantur vero præterea alii, a quibus per tormenta nullo modo exprimi poteſt veritas, conſequenter qui quosvis cruciatus perferre malunt, quam confiteri crimen, quod commiſerunt, præſertim ſi animum attendant ad gravitatem poenæ ob id criminis infligendæ & ad ſpem vitæ conſervandæ, cruciatibus toleratis. Abunde igitur patet, torturam non ſatis aptam, eſſe ad eruendam veritatem.

Experientia dudum comprobatum eſt, plurimos innocentes propter tormentorum ſævitiam confeſſos & condemnatos fuiſſe, cum innocentia eorum demum patefacta fuerit, poſtquam poena capitali fuerunt affecti. Commemoratu dignum eſt exemplum apud *Carpzovium* loc. cit. n. 6. de duobus opificibus peregre abeuntibus, quorum unus brevi rediit cum alterius veſtitu invicem permutato, atque propterea homicidii accuſatus rotæque condemnatus fuit. Non deerat hic ſuſpicio homicidii commiſſi. Aſt cum aliunde de veritate conſtare non poſſet, aut abſolvendus in dubio erat homo miſer, aut confeſſio

Digitized by Google

festio per tormenta extorquenda. Placuit posterius, sed sinistro prorsus eventu, cum in innocentem gravi poena fuerit sævitum. Hæc sane ratio est, cur in Anglia & Suecia torturæ nullus sit locus, & cur etiam inter nos, ubi tortura in usu est, non desint multi, qui eandem damnant. Equidem *Cicero* more majorum introductum esse ait, ut per tormenta veritas exquiratur, quia pleraque crimina clam & occulte committuntur, ut semper copia testium haberi non possit; esse tamen hoc remedium indagandæ veritatis non modo periculosum, sed & maxime dubium, nec diffitentur illi, qui torturæ necessitatem defendunt. Mos vero iste ab Athenienfibus & Rhodis desumtus creditur. Nostrum igitur esse existimamus inquirere paulo sollicitius, num & quando per tormenta veritatem exquirere liceat.

§. 682.

Si tortura nunquam adhibenda, nec territioni unquam locus esse potest. Etenim territio consistit in minis de torquendo, quæ intenduntur inquisito in loco torturæ destinato præsente carnifice & apparatu ad torquendum requisito (§. 678.), ut metu cruciatuum is adigatur ad dicendam veritatem (§. 679.). Enimvero si tortura nunquam adhibenda, qui terrendus novit, sibi, utut in negando perseveret, cruciatus istos metuendos non esse, consequenter minas esse vanas. Quamobrem cum territionis nullus sit effectus, nisi ipsa quoque tortura usu recepta sit; si tortura nunquam adhibenda, nec territioni unquam locus esse potest. *De dependentia effectus territionis a tortura.*

Non est, quod excipias, nemini nisi judici constare debere, quod ultra territionem progredi non debeat. Tam tectum enim hoc esse non posse, quin detegatur, nemo hoc sibi, vel aliis facile persuaserit. Sane quod constet, territionem subinde adhiberi, qui in negando præsidium adversus poenam sibi inveniſſe putant, nihil confitentur, quamdiu minime vident

Digitized by Google

ſerio rem agi, ita ut nec territioni reali cedant, antequam vident tormentis majoribus, quam quæ in hac adhibentur, ſe eſſe ſubjiciendum. Torquendus ſemper incertus eſſe debet, quousque carnifex in torquendo ſit progreſſurus, qui omnem tormentorum apparatum in promptu habet, immo ignorare, quamdiu ſit torquendus, ſi cruciatus præſentes metum mortis vincere debent, quam ut evitet eosdem perferre mavult.

§. 683.

Quando a tortura abſtinendum.

Si vel minima ſuſpicio eſt fore, ut torquendus quodvis mentiri malit, quam tormenta pati; tormentis ſubjiciendus non eſt. Etenim tortura non alio fine adhibetur, quam ut inquiſitus, cui neganti fides non habetur, quia ſuper crimine patrato ſuſpectus eſt, vi cruciatuum adigatur ad dicendam veritatem (§. 679.). Enimvero ſi vel minima ſuſpicio eſt, fore, ut torquendus quodvis mentiri malit, quam tormenta pati; confeſſioni per tormenta extortæ parum tuto fides habetur, conſequenter adhuc verendum, ne is innocens puniatur (§. 1085. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum innocens puniendus non ſit (§. 1086. *part. 1. Jur. nat.*); ſi vel minima ſuſpicio eſt fore, ut torquendus quodvis potius mentiri malit, quam tormenta pati, tormentis ſubjiciendus non eſt.

Nemo diffitetur, præſtare ut plures nocentes abſolvantur, quam innocens unus ad poenam præſertim capitalem condemnetur. Quamobrem cum tortura non ſatis apta ſit ad eruendam veritatem (§. 681.); minime adhibenda, ubi aliqua ſuſpicio eſt, fore ut metu tormentorum, vel impatientia inquiſitus confiteatur ſe feciſſe, quod ei nunquam in mentem venit: neque enim tortura medium eſſe debet adigendi ad mentiendum, ſeu falſum dicendum. Crudele omnino eſt ac inhumanum tormentis lacerare corpus hominis, cujus confeſſioni per tormenta extortæ fides tuto haberi nequit. Multa vero ſunt, quæ ſuſpicionem movent fore, ut inquiſitus quodvis potius

Digitized by Google

potius mentiri malit, quam tormenta pati, cum a persona ejus, tum ex aliis circumstantiis desumenda. Quamobrem multa circumspectione opus est, ne tormentis abutatur judex, si vel maxime mos obtinuerit, ut per tormenta veritatem exquirere liceat. Sufficiente autem circumspectione vix ac ne vix quidem utetur, qui inquisitum non vidit, nec examini ejus interfuit. Judex igitur potius ipse de tortura statuere debebat, quam rem adeo periculosam committere aliis, quibus nonnisi acta legere datum est, & ad horum sententiam exequendam obligatum esse. Neque est quod dicas, confessioni per tormenta extortæ non haberi fidem, nisi ea ex intervallo post torturam, vel etiam territionem, extra locum torturæ ratificetur, si ratificare nolens denuo torqueatur, cum in ratificatione tum adhuc superfit metus cruciatuum tanto quidem major, quanto intolerabiliores expertus inquisitus.

§. 684.

Si tortura fuerit gravior poena criminis, ejus suspectus torquendus non est. Etenim tortura non alio fine adhibetur, quam ut per tormenta criminis perpetrati veritas eruatur (§. 679.), ne maneat impunitum (§. 656.). Quoniam vero tortura consistit in cruciatibus diris & impatibilibus (§. 680.); absurdum omnino est, cruciatibus majoribus adigere velle criminis suspectum ad ejus confessionem, ut minus quoddam malum, quale poena est (§. 285. *part. 1. Phil. pract. univ. per hypoth.*), eidem inferri possit. Quodsi ergo tortura fuerit gravior poena criminis, ejus suspectus torquendus non est. *De tortura poena gravioris.*

Si daretur electio poenæ levioris & torturæ gravioris, facile patet fore, ut etiam innocens poenam subire, quam torqueri malit, immo non desunt plurimi, qui mori malunt, quam horrendos istiusmodi cruciatus perferre. Quamobrem cum tortura per se medium parum aptum sit ad eruendum veritatem

(§. 680.)

Digitized by Google

(§. 680.); in casu propositionis præsentis ab omni ratione prorsus alienum est. Et, siquidem tanta videatur necessitas crimina puniendi, quanta tamen probata non est, cum nemo innocens sit puniendus (§. 1086. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter non ob suspicionem criminis perpetrati, sed quia vere perpetravit; præstaret tamen poenam quandam leviorem eamque minime infamem dictare, quam, ut paulo graviori locus forsan esse possit, ad torturam prorumpere. Immo ex iis, quæ diximus, facile apparet, in casu propositionis præsentis tantum non semper adesse suspicionem, ut quis malit etsi innocens dicere, se deliquisse, quam tormenta pati, consequenter eum injuste torqueri (§. 683.). Equidem negari non potest, cruciatus, quos sustinere debet torquendus, superare dolores, quos poenæ capitales pleræque inferunt; inde tamen inferri nequit, torturam quavis poena capitali esse duriorem, cum multi vitæ servandæ causa exquisitissimos quoque dolores perferre malint & revera minus malum sit illos pati, quam vita privari. Absit itaque, ut tibi persuadeas, ob hanc rationem torturam simpliciter pro illicita declarandam esse.

§. 685.

De tortura non adhibenda, si crimen poenam capitalem non meretur.

Quoniam *tortura* naturaliter illicita est, si ea poena criminis fuerit gravior; eadem *naturaliter licita non est, si crimen, leviori quacunque poena, quam capitali coërcendum.*

Quamvis ostenderimus, naturaliter illicitum esse, ut suspectus criminis, quod poenam capitalem non meretur, torqueatur; nondum tamen hinc sequitur, si crimen poenam capitalem meretur, ejus suspectum torqueri posse. Etenim inde tantummodo manifestum est, ad indagandam veritatem, ne crimen maneat impunitum, & delinquere cupidi negando impunitatem se consecuturos sperent, non esse utendum mediis ipsa poena durioribus.

§. 686.

Digitized by Google

§. 686.

Si tanta nondum fuerit probabilitas, ut ad certitudinem vix quicquam adhuc deesse videatur, quam propria inquisiti confessio; torqueri is non debet. Etenim si vel minima supersit suspicio fore, ut inquisitus quodvis mentiri malit, quam tormenta pati, tormentis subjiciendus non est (§. 683.), cumque tortura sit medium non satis aptum ad eruendam veritatem (§. 681.), & in cruciatibus diris ac impatibilibus consistat (§. 680.); a ratione alienum est, per tormenta ad confessionem adigere velle inquisitum, nisi maxima adsit probabilitas, quod criminis commissi reus sit, ut vix quicquam adhuc deesse videatur, quam propria confessio. Quamobrem si nondum tanta probabilitas adsit, torqueri is non debet.

De probabilitatis defectu torturam illicitam faciente.

Torturam absque indiciis inferendam non esse *Carolus V.* præcipit, ac ideo qui de rebus criminalibus tractant de indiciis istis prolixe agunt. Sunt autem *Indicia* rationes, per quas inducitur probabilitas criminis perpetrati. Nostrum jam non est indicia illa recensere & in valorem eorundem inquirere, cum in Jure naturæ tantummodo quæratur, quid fieri licite possit, quid nequeat. Praxis tota redit ad æstimationem probabilitatis, quippe quæ plurimos admittit gradus. Quodsi modus æstimandi probabilitatem in formam artis esset reductus, hoc est, si logica probabilium prostaret, qualis adhuc desideratur; præsens quoque praxis & facilior, & clarior evaderet. Non tamen diffitemur, ea, quæ de hisce indiciis passim traduntur, prodesse posse ad principia generalia probabilitatis eruenda, siquidem sufficiente acumine perlustrentur & universalia particularibus, in quibus latent, dextre abstrahere didiceris.

§. 687.

Quoniam torquendus nemo est, si tanta nondum fuerit probabilitas, ut ad certitudinem vix quicquam adhuc deesse

Absque indiciis sufficientibus

Sufficientes probatis injustam esse torturam.

esse videatur, quam propria confessio (§. 686.); *injustum est ad torturam prorumpere, indiciis sufficientibus nondum sufficienter probatis, multoque magis absque indiciis ad confessionem delicti per tormenta aliquem adigere velle.*

Cum indicia sint rationes, quæ probabilitatem generant (*not.* §. 686.), sufficientia intelliguntur, quando tantam probabilitatem generant, ut certum propemodum videatur, crimen revera a negante fuisse perpetratum, nec ideo ad plenam certitudinem quicquam deesse videatur, quam ut accedat propria confessio. Probatio indiciorum, quæ in factis consistunt, cum aliter fieri non possit nisi per testes (§. 1014. *part. 5. Jur. nat.*), pro sufficiente habetur, si duo, vel plures testes jurati iidemque minime suspecti (§. 1034. *part. 5. Jur. nat.*), idem affirment (§. 1037. *part. 5. Jur. nat.*). Per se autem patet, cum ad generandam probabilitatem plura indicia concurrant, singula sufficienter probari debere, indicia enim non sufficienter probata non augent probabilitatem, sed spectanda sunt, veluti abessent, seu eorum in æstimanda probabilitate nulla habenda est ratio. Crudele est inquisitionem inchoare a tortura, ut ideo confessio per tormenta hoc modo extorta pro nulla recte habeatur.

§. 688.

Quando tortura non illicita.

Si crimen e diametro securitati publicæ adversetur, inquisitus ejus valde sit suspectus, corpore autem sano & robusto, & malitia ejus manifesta; per tormenta ad confessionem adigi potest.

Etenim si crimen e diametro adversatur securitati publicæ, per se patet, Reip. maxime interesse, ne istiusmodi crimen committatur, consequenter cum hoc aliter impediri nequeat nisi metu poenarum (§. 301. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut poena gravior, qua coërcendum (§. 627.), actu infligatur, nec crimen tam grave maneat impunitum. Enimvero cum nemo puniri debeat nisi crimine sufficienter probato (§. 673.), deficiat autem probatio sufficiens *per hypoth.* & inquisitus

Digitized by Google

quisitus quamvis valde suspectus in negando tamen persistat, *per eandem*; aliud medium eum adigendi ad confessionem, siquidem revera commiserit, non suppetit quam tortura (§. 677.). Quamvis vero eadem non satis apta sit ad eruendam veritatem, quatenus scilicet torquendus quidvis potius mentiri, quam tormenta pati mavult (§. 681.); cum tamen valde suspectus sit, ut innocens torqueatur, verendum non est, & quoniam sano ac robusto corpore est *per hypoth.* & malitia ejus manifesta, ut per eam præfracte negare præsumatur id, cujus sibi maxime conscius est, nec suspicio adest fore, ut potius mentiri malit, quam tormenta pati, aut diutius pati vel iis, quæ experitur, majora. Quamobrem in hypothesi propositionis præsentis inquisitus per tormenta ad confessionem adigi potest.

Quodsi torturæ usus ita restringatur, verendum non est, ne ab innocente confessio extorqueatur ac idem poena, quam nullo modo meruit, afficiatur. Cur itaque in casu propositionis præsentis tortura damnetur tanquam injusta, ratio sufficiens dari nequit. Sed demus exemplum, ut id clarius pateat. Ponamus latrocinia & rapinas fuisse commissa. In Sylva deprehendi hominem vagabundum, res raptas habentem & instrumenta lethifera. Eundem cum examinaretur plura mentitum & mendaciorum convictum fuisse, & hoc aliove pacto prodidisse malitiam suam. Eundem esse corpore sano & robusto, ut tormenta pati possit. Ecquis putet, in hoc casu verendum esse, ne innocens ad confessionem criminis, quod tamen non commisit, per tormenta adigatur, cum ex adverso magis verendum videatur, ne tormenta pati, quam verum dicere malit? Esse autem latrocinia & rapinas istiusmodi crimina, quæ securitati Reip. e diametro adversantur, nemo in dubium vocare potest. In hunc vero censum etiam veniunt qui seditionem movent, monetam falsam cudunt, crimen perduellionis committunt. Atque in hisce criminibus, si adsint

Digitized by Google

circumſtantiæ, quas in propoſitione præſente expreſſimus, torturam illicitam non eſſe abunde evictum exiſtimamus. Ubi vero abuſus ejus vel minimum metuendus, nec tanta ſit neceſſitas exempli, ultro fatemur, eam firmiter defendi non poſſe, prouti ex iis, quæ antea demonſtravimus, ſatis ſuperque patet.

§. 689.

An conſultum ſit torturam prorſus abolere.

Parum conſultum eſt criminis ſuſpectum ad confeſſionem tormentis adigere velle, ſi convinci nequit. Quoniam enim tortura non ſatis apta eſt ad veritatem eruendam (§. 681.), nec eidem locus concedendus, ſi vel minima ſuſpicio eſt fore, ut inquiſitus quidvis potius mentiri malit, quam tormenta pati (§. 683.), & ea prorſus illicita eſt, ſi criminis poena levior fuerit, quam capitalis (§. 685.), neque adhiberi poteſt, niſi criminis commiſſi tanta fuerit probabilitas, ut ad certitudinem vix quicquam adhuc deeſſe videatur (§. 686.), ipſum vero crimen e diametro adverſatur ſecuritati publicæ, inquiſitus valde ſuſpectus ſano & robuſto corpore, ac ejus malitia manifeſta (§. 688.), itidemque indicia ſufficienter ſunt probata (§. 687.); tanta circumſpectione opus eſt ad ſuſpectum criminis torturæ ſubjiciendum, quæ in paucos cadere videtur, & abuſus magis metuendus, quam ſperandus uſus. Quamobrem cum nemo innocens ſit puniendus (§. 1086. *part. 1. Jur. nat.*), nec adeo horrendis cruciatibus, quales ſunt tormenta (§. 680.), afficiendus, quod absque probatione ſumi poteſt, utpote amori univerſali e diametro adverſum (§. 619. *part. 1. Jur. nat.* & §. 651. *Pſych. empir.*); ſi criminis ſuſpectus convinci nequit, parum conſultum eſt eum ad criminis confeſſionem tormentis adigere velle.

Qui torturam defendunt, hac potiſſimum utuntur ratione, quod

Digitized by Google

quod interfit Reip. crimina non manere impunita. Necessitas puniendi inde venit, quod alii deterreri debeant, ne exemplis pravis se addant. Enimvero hinc inferri nequit, si crimen aliquod commissum esse constat, necesse esse ut aliquis puniatur; sed saltem inde sequitur, ut puniatur is, qui id commisit, nec quod commiserit diffiteri potest. Manent poenæ exemplares, etiamsi in casu dubio executioni non demandentur. Neque vero semper ea est hominum malitia, ut præfracte negare ausint, si indicia sufficienter probata graviter ipsis commemorentur, neque delicta omnia clam & occulte committuntur, ut, nisi ad torturam confugias, impunita manere debeant. Omnia hæc satis patent exemplo illarum gentium, quæ a tortura abhorrent: neque enim propterea crimina apud ipsas sunt frequentiora, quam apud gentes alias, quæ vel immani sævitia veritatem extorquere a negantibus volunt. Quod, si vero quis torturam prorsus rejicere noluerit, rarissime saltem eadem utendum, observatis iis, quæ propositio præcedens præcipit, & habita maxime malitiæ manifestæ ratione, quam inquisitus in examine sufficienter prodit. Non magis vapulat justitia, quam si vel uno in casu detegatur, hominem innocentem fuisse punitum &, ut puniri posset, confessionem mendacii per dira tormenta immani sævitia fuisse extortam. Vindicta propria non toleratur propter facilem metuendum abusum: absonum itaque est, publicam alligare mediis, quorum si non facilior, saltem æque facilis est abusus, quam usus.

§. 690.

Tortura spiritualis dicitur juramentum purgatorium criminis suspecto a judice delatum. Quoniam juramento purgatorio præsumtiones adversus se militantes elidi debent (§. 1065. *part. 5. Jur. nat.*); *si tortura spirituali utendum ad eruendam veritatem, criminis suspectus jurare debet, se id non perpetrasse & falsa esse, ob quæ suspectus redditur, aut veram excusationem suam, prout circumstantiæ jurare jusserint.*

Tortura spiritualis quid sit.

Digitized by Google

Jurans per Deum teſtem probat ſe vera dicere (§. 852. *part. 3. Jur. nat.*). Quamorbem inquiſitus juraturus jurare debet, vera eſſe non minus ea, quæ negat, quam quæ affirmat. Ex actis itaque patere debet, quomodo concipi debeat juramentum, ſi per id de veritate facti dubii conſtare debet.

§. 691.

Quando eidem non ſit locus.

Si crimen poenam capitalem, vel corporis afflictivam, vel aliam infamem meretur; tortura ſpiritualis medium non ſatis tutum eſt ad veritatem eruendam, nec ea utendum. Etenim cum poena capitali vita adimatur (§. 691.), poenæ autem corporis afflictivæ non modo dolorem faciant in corpore (§. 611.), verum etiam perinde ac poenæ infames aliæ famæ noceant (§. 619.); valde metuendum eſt, ne quis vitæ ac famæ, quæ cum illa pari paſſu ambulare vulgo dicitur, ſervandæ cauſa pejeret (§. 926. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum nemini juramentum deferre liceat, qui de pejeratione ſuſpectus eſt (§. 938. *part. 3. Jur. nat.*); ſi crimen poenam capitalem, vel corporis afflictivam, aut infamem aliam meretur, tortura ſpirituali tanquam medio parum apto ad veritatem eruendam, *per demonſtrata*, utendum non eſt.

Pejeratio morſus conſcientiæ cauſatur, ac ideo torturæ comparatur, quia facit cruciatus in anima, ſicuti hæc in corpore. Dolores & cruciatus in corpore ſunt transeuntes, at morſus conſcientiæ permanentes. Quamobrem non deſunt, qui torturam ſpiritualem corporali duriorem eſſe exiſtimant. Hoc quidem valeret, ſi vindictæ divinæ & poenarum poſt mortem æternarum certo perſuaſi eſſent omnes, nec remiſſionem peccati ſibi promitterent; non tamen ita ſentiunt omnes, ſed alii Deum vindicem non timent, alii ſe veniam facile impetraturos putant. Atque ideo juramentum parum valet in præſenti caſu ad eruendam veritatem. Nolumus commemorare alia, quæ

Digitized by Google

quæ ex Theologia juramenti delationem dubiam reddere videntur.

§. 692.

Si constet crimen aliquod esse commissum, omnis opera danda est, ut reus detegatur; si is notus fuerit, in carcerem conjiciendus; si lateret, aut fugit, nihil intentatum relinquendum, ut apprehendatur. Etenim poenæ legibus constitutæ sunt exigendæ (§. 656.). Quamobrem cum hoc fieri nequeat, nisi constet, quinam crimen perpetraverit, & nisi reus in potestate judicis sit constitutus; si reus ignotus sit, aut lateat, opera omnino danda est, ut detegatur; si fugit, ut apprehendatur; si notus est ac præsens, in carcerem conjiciendus. *De incarceratione & captura rei.*

Reorum est fugere & spe fugæ latitare, ut poenam effugiant. Quamvis itaque carcer in numero poenarum sit (§. 598.); rei tamen incarceratio non fit poenæ, sed saltem custodiæ causa. Quamobrem etsi contingat, peracta inquisitione reum absolvi; non tamen ideo innocens punitus dici potest. Si nihil prorsus culpæ in eodem hæret, tribuendum hoc, quod factum, fortunæ adversæ, quam quis patienter ferre debet.

§. 693.

Reus in carcere non diutius detinendus, quam donec sententia judicis vel absolutus, vel condemnatus fuerit, & in casu posteriore executio poena non differenda. Etenim cum reus incarceretur, ne aufugiat & judicium eludat, quod per se patet; incarceratio fit saltem custodiæ causa. Quamobrem si sententia judicis absolvitur, nulla amplius ratio est, cur custodiatur, ne aufugiat. Quamobrem nec diutius in carcere detineri potest, cum alias carcer foret poena (§. 598.), consequenter innocens puniretur, quod fieri nefas (§. 1086. *part. 1. Jur. nat.*). *Quamdiu reus in carcere sit detinendus.*

Enim-

Digitized by Google

Enimvero si reus fuerit condemnatus, mortis supplicium, vel poenam corporis afflictivam metuens angore & tristitia maceraretur, si diutius in carcere detineretur. Quamobrem cum amori universali, quo etiam reos prosequi tenemur (§. 619. 632. *part. I. Jur. nat.*), repugnet absque ulla urgente necessitate iisdem tædia, seu molestias animi creare (§. 651. *Psych. empir.*); si reus fuerit condemnatus, quam primum fieri potest, sententia executioni mandanda, consequenter poenæ executio nequaquam differenda.

Poenæ corporis afflictivæ quin pronunciata sententia statim exigi possint, nihil obstare videtur. Nulla igitur ratio est, cur reus in carcerem reducatur. Quodsi poena capitalis fuerit decreta, in loco commodiori reus custodiri & ad mortem per aliquot dies præparari debet, antequam poena actu exigatur.

§. 694.

Incarcerationem non debere absque indiciis sufficientibus fieri.

Nemo incarcerari debet, nisi probabiles rationes eum faciant criminis suspectum. Nisi enim probabiles fuerint criminis ab aliquo perpetrati rationes, nec contra eum inquiri potest, quod per se facile patet. Quamobrem cum incarceratio custodiæ saltem causa fiat, ut inquisitioni locus esse possit & reo convicto, vel confesso poena merita decerni decretaque executioni mandari, sicque crimina non maneant impunita (§. 656.); nemo incarcerari debet, nisi probabiles rationes eum criminis suspectum faciant.

Quoniam carcer malum minus tortura est, probabilitas vero suos habet gradus, haud difficulter patet, leviora indicia sufficere ad capturam & incarcerationem, quam ad torturam. Patet vero etiam, incarcerationem ob crimen commissum & inquisitionem detrahere famæ incarcerati & inquisiti, consequenter cum naturaliter nefas sit alterius famæ detrahere (§. 871.

Digitized by Google

871. *part. 1. Jur. nat.*), & licet quis fuerit abſolutus, opinione tamen vulgi ſemper aliqua macula adhæreat, rector autem civitatis ad famam ſubditorum conſervandam obligetur (§. 395.), temerariam incarcerationem, ſeu absque indiciis ſufficientibus factam illicitam eſſe. Equidem cum Reip. interſit crimina non manere impunita (§. 656.), obligatio puniendi reos cum obligatione tuendæ famæ ſubditorum colliditur (§. 206. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quoniam tamen famam alterius lædere prohibemur, conſequenter lex prohibitiva revera colliditur cum præceptiva, abſtinendum potius ab incarceratione, quam ut verearis, ne crimen maneat impunitum, & opera danda, ut reus, qui ignoratur, detegatur, inquirendo nimirum in indicia certiora, quæ majorem probabilitatem pariunt. Hactenus dicta qui perpendit, is nihil injuſti, nedum iniqui in eo deprehendet, ut judex injuſtam incarcerationem decernens puniatur. Jure Saxonico tenetur judex pro injuſta incarceratione captivo per ſingulos dies naturales ſolvere triginta ſolidos. Vid. *Carpzovius* Crimin. part. 3. quæſt. III. n. 71. Quoniam tamen captura & incarceratio non omnibus perſonis æque nocet; rectius poena incarcerationis injuſtæ pro qualitate perſonarum variat.

§. 695.

Incarceratio fieri non debet, ſi poena in abſentem exequi detur. Etenim reus carceri includitur cuſtodiæ cauſa, ne *quando* aufugiat & judicium eludat, prouti ex demonſtrationibus præcedentibus patet (§. 691. 694.). Quoniam itaque hoc metuendum non eſt, ſi poena quoque in abſentem exequi datur; in caſu hoc incarceratione non eſt opus. *Incarceratio datur. cum non habeat.*

Inferunt hinc nonnulli, reum non eſſe incarcerandum, ſi poena ſit in relegatione (§. 595.). Illud concedi poteſt, ſi certum ſit, antequam inquiſitio fuerit abſoluta, ultra relegationem in decernenda poena progrediendum non eſſe, nec præſtandam eſſe *urphedam*, quæ eſt juramentum de non re-

Digitized by Google

vertendo; hæc enim si præstanda sit, poena in absentem exequi non datur. Gravius autem ob violatam religionem juramenti punitur, qui præstita urpheda revertitur, quam qui eadem non præstita redit.

§. 696.

De incarceratione in criminibus poenam capitalem & corporis afflictivam merentibus.

Quoniam reus incarcerandus, si poena in absentem exequi non datur (§. 695.); *si crimen fuerit tale, quod poenam capitalem, aut corporis afflictivam meretur, reus incarcerandus est.*

In hoc casu manifesta est necessitas incarcerationis. Nemo enim facile erit, qui non fuga sibi prospicere malit, quam poenam mortis, aut corporis afflictivam subire. Quamvis enim naturaliter ad poenam patiendum obligetur, qui alterum læsit (§. 1071. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter etiam is, qui crimen aliquod commisit; pauciſſimi tamen sunt, qui huic obligationi satisfaciunt, sed fugere poenæ evitandæ causa plerorumque reorum est. Rariſſima sunt exempla eorum, qui, crimine perpetrato, sua sponte ad poenam subeundam sese offerunt. Immo merito dubitatur, annon hi ipsi animi sui sententiam mutent, ubi ad se redierint: qua etiam de causa recte custodiuntur in carcere, donec inquisitio fuerit absoluta & sententia judicis poena irroganda publicata (§. 693.).

§. 697.

De teste incarcerando.

Testis, qui de fuga suspectus est, incarcerari potest. Etenim reus puniri nequit, nisi fuerit convictus, vel confessus (§. 673. 674.), consequenter cum reorum sit negare, per testes convincendi iidem sunt (§. 1014. *part. 5. Jur. nat.*), & indicia, quæ criminis clam commiſſi suspectum reddunt, vel etiam inquisitum gravant, ex testibus sunt exquirenda. Quamobrem cum neutrum horum fieri possit, si testes aufugiant; testis de fuga suspectus incarcerari potest.

Durum

Digitized by Google

Durum equidem videtur ob crimen alienum in carcerem rapi, qui in numero poenarum est (§. 598.); cum tamen Reip. intersit, ne crimina maneant impunita (§. 656.), salutis Reip. causa sentire aliquod incommodum iniquum non est. Et quamvis de fuga suspectus sit peregrinus, prodesse tamen alteri, consequentet etiam Reip. cuidam, quæ instar personæ spectanda, aut, si mavis, integro cuidam hominum multorum coetui, etiam cum aliquo incommodo suo ab officiis naturaliter alteri debitis minime abhorret.

§. 698.

Inculpatus dicitur, qui de delicto, vel crimine aliquo postulatur. *Inculpatus quinam dicatur.*

Equidem significatus hic probatæ latinitati prorsus contrarius videtur, quippe cum inculpatus significet eum, qui omni prorsus culpa caret, seu virum bonum, in quo nihil deprehenditur, quod reprehensionem meretur; in jure tamen is introductus. Vocabulum itaque tanquam terminus technicus est retinendus, præsertim cum inculpare idem significet, quod culpare, ut significatus præsens defendi possit, si dicatur, vocabulum sumi participialiter, non vero adjective.

§. 699.

Si reus, vel inculpatus metu carceris aufugit, & absens promittit judici, quod citatus judicio semper se sistere & causam suam agere velit, præstita securitate de non incarcerando; judex eam ipsi tribuere debet, præstita cautione de sistendo se judicio. Qui enim cum aufugerit absens promittit se judicio se sistere & causam suam agere velle; is vel innocentiam suam se probare, vel se in tantum defendere posse confidit, ut a poena ordinaria, quæ capitalis, vel corporis afflictiva est, aut alia quædam gravis, absolvatur. Quamobrem cum nemo puniri *An & quomodo salvus conductus sit concedendus.*

Digitized by Google

poſſit, niſi criminis convictus (§. 673.), & confeſſo concedenda ſit defenſio (§. 675.), nec puniendus ultra id, quod ipſi imputari poteſt (§. 670.); ſecuritas de non incarcerando eidem concedenda. Ne tamen judicium eludatur, ſed is citatus judicio ſemper ſe ſiſtat, cautio omnino præſtanda eſt. Atque ideo patet, ſi reus, vel inculpatus aufugit & abſens judici promittit, quod citatus judicio ſe ſemper ſiſtere & cauſam ſuam agere velit, modo a metu carceris immunis ſit, judicem ſecuritatem de non incarcerando ipſi tribuere poſſe præſtita cautione de ſiſtendo ſe judicio.

Præſtat omnino, reum, vel inculpatum innocentiam ſuam docere, vel ſe ſufficienter defendere, ac ea fini extra carcerem reſpondere, quam ſecuritatem præſtare nolle, ut fuga poena evitata fuiſſe putetur. Illud magis convenit juſtitiæ vindicativæ, quam opinio, quaſi incarceratio poenæ loco eſſe debeat. Immo cum poenæ exemplares eſſe debeant, intereſt etiam Reip. ut palam fiat, num quis ſolius carceris metu aufugerit, quam ut pro nocente habeatur & fuga ſibi conſuluiſſe videatur, ne poenam meritam ſubire cogeretur. Quodſi vero quæſiveris, quanam cautione opus ſit, ut reus, vel inculpatus ſtet promiſſo de ſe judicio ſiſtendo; facile patet, pignoribus, vel fidejuſſoribus cavendum eſſe, aut hypotheca in bonis immobilibus, ſi quæ habet, conſtituta. Naturaliter tamen nihil obſtare videtur, quo minus cautio quoque juratoria ſufficiat, ſiquidem impoſſibile ſit, ut alia præſtetur. Cautio enim obligare debet reum, vel inculpatum, ne fidem fallat; non vero medium lucrandi eſſe judici, ſi fallat. Petit autem ſecuritatem de non incarcerando, & de judicio ſiſti cautionem præſtari nomine abſentis citati curat defenſor.

§. 700.

Salvus conductus quid ſit. Securitas de non incarcerando tributa reo a judice præſtita ab ipſo cautione de judicio ſiſti dicitur *Salvus conductus*,

Digitized by Google

ctus vocatur, idiomate patrio ein ſicheres Geleite. *Salvo conducto* itaque *conceſſo reus ſecurus ad judicium ire ac inde recedere poteſt, & per totum tempus inquiſitionis durantis in loco judicii tuto commorari.* Jure Saxonico ſalvus conductus diſtinguitur in generalem & ſpecialem. *Generalis* dicitur, qui tantummodo continet jus tuto ad judicium veniendi ac inde recedendi, non vero ſimul jus in loco judicii tuto commorandi extra diem juridicum, absque præſtita cautione: *Specialis* vero, qui jus utrumque continet præſtita cautione a reo. Vocatur autem *Dies juridicus*, in quo judicium agitur. Et ſalvus conductus ſpecialis proprie; generalis improprie ſalvus conductus dicitur.

Ratio naturalis nulla eſt, cur præſtita cautione ſalvus conductus ſpecialis; absque cautione præſtita ſaltem generalis ſit concedendus, veluti ſi quis nec propria habeat bona, quibus cavere poſſit, nec adſit qui pro eo fidejuſſorie cavere velit. Rationes enim naturales deſumendæ ſunt ex ipſis rebus, de quibus agitur, non vero ab intrinſecis circumſtantiis. Salvo conductui vero non obſtat, quod judex nihil intentatum relinquere debeat, ſi reus latitet, aut aufugit (§. 692.); etenim hoc jam factum ſupponitur, antequam ſalvus conductus petatur, quippe qui non petitur, niſi quando reus abſens citatur.

§. 701.

Si qui ſalvum conductum habet ſententia a judice lata ad poenam capitalem, vel corporis afflictivam condemnatur, aut tor- De duratione ſalvi conductus.

turæ ſubjiciendus eſt; ſalvus conductus ceſſat. Etenim poena capitali, vel corporis afflictiva reus affici nequit, nec torturæ ſubjici poteſt, niſi is ſui copiam faciat judici. Quamobrem ſi ſententia judicis poena capitalis, vel corporis afflictiva, aut tortura dictatur; ut e judicio tuto ac ſecure recedat, concedi amplius nequit, conſequenter incarcerandus

Digitized by Google

est. Salvus itaque conductus in hypothesi propositionis praesentis cessat.

Salvus conductus non continet immunitatem a poena, aut tormentis, ubi tortura usu recepta est; nec in arbitrium rei confert, utrum sententiae judicis se submittere, an vero fuga eam eludere velit. Quamobrem patet cessare debere salvum conductum, sententia publicata, qua standum, etiamsi judex illum concedens hoc non expresse dixerit, prouti in foro Saxonico moris est, ubi instrumentis petenti exhibitis inseruntur haec verba: Bis so lang etwas peinliches wieder ihn erkannt. Hisce enim idem significatur, quod in propositione praesente disertius exprimitur. Quodsi dicas, reum, cui nota sunt, quae hactenus acta in judicio, facile praevidere posse sententiam judicis, consequenter tempestive sibi fuga prospecturum, nec in judicio compariturum; hoc equidem negari minime potest, non tamen inde recte infertur, salvum conductum nullius esse utilitatis. Etenim si contingat reum fugere, antequam sententia publicetur; res reducitur in eum statum, qui erat ante, quam salvus conductus concederetur, consequenter non deterior sit judicis conditio, aut, si mavis, Reip. conditio, cujus interest, ne crimina maneant impunita (§. 656.), & contra absentem jam certius eo modo procedi potest, quo alias proceditur, nec si capi possit fugitivus inquisitione ulteriori opus est.

§. 702.

Quando salvus conductus non concedendus.

Salvus conductus concedi nequit, nisi quando judex de crimine incertus est, neque reus convictus, aut confessus. Quodsi enim certum fuerit judici, reum crimen commisisse, & is fuerit convictus, aut confessus, poena capitali, vel corporis afflictiva is afficiendus (§. 656.), & in aprico est, quod nec innocentiam suam probare & se defendere possit. Quoniam itaque necesse est, ut reus copiam sui faciat judici, nec

Digitized by Google

nec ulla adest ratio, cur salvus conductus eidem sit concedendus; ideo concedi is nequit, nisi quando judex de crimine incertus est, neque reus convictus, vel confessus.

Securitas de non incarcerando nemini dari potest, qui, ut ejus copia sit, in carcerem conjiciendus. Qui convictus, vel confessus est, ad poenam subeundam obligatur (§. 1071. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter se judici sistere debet, ut ea executioni demandetur. Absurdum itaque foret concedere alicui securitatem veniendi in judicium ac inde rursus recedendi, consequenter salvum conductum (§. 700.).

§. 703.

De salvo conductu finito ob confessionem rei.

Quoniam reo confesso *salvus conductus* concedi nequit; is *statim cessat, quando in loco judicii reus confitetur, se crimen comisisse*, consequenter *hic e loco judicii in carcerem ducendus.*

Quando reus crimen fatetur, de fuga statim suspectus est. Quamobrem praesumi nequit fore, ut ad audiendam sententiam citatus judici se sistat suique copiam faciat, ut puniri possit. Quodsi ergo judicium eludi minime debet, necesse est ut reus custodiae causa in carcere detineatur, donec sententia publicari & executioni mandari possit.

§. 704.

De incarceratione rei, salvo conductu nondum finito.

Si reus durante inquisitione delictum, vel crimen commisit, ob quod incarcerari potest, non obstante salvo conductu incarcerandus. Salvus conductus enim concessus intuitu criminis commissi, quod in causa fuit, ut is peteretur, consequenter ad delicta, vel crimina alia, de quibus tunc temporis, cum concederetur, non cogitatum fuit, minime extendi potest. Quoniam itaque reo nulla data fuit securitas de non incarcerando, si durante inquisitione delictum, vel crimen committat,

Digitized by Google

mittat, ob quod incarcerari poteſt; non obſtante ſalvo conductu incarcerandus.

Salvus conductus foret licentia delinquendi, ſi ad alia crimina & delicta, quam illud, cujus intuitu conceſſus, extenderetur. Nihil vero abſurdius cogitari poteſt iſtiusmodi licentia.

§. 705.

An poena in cadavere executioni dari poſſit.

Si reus confeſſus, vel convictus moriatur, antequam poena capitali affici potuerit; in cadavere eam executioni dare licet, quantum fieri poteſt, &, ſi poena fuit corporis afflictiva, honeſta ſepultura eum privare & in loco inhoneſto ſepelire licet. Etenim cum poenæ exemplares eſſe debeant (§. 1060. 1062. *part. I. Jur. nat.*), præſertim graviores, quales ſunt capitales & corporis afflictivæ (§. 601. 611.), quibus crimina coërcenda (§. 627.); intereſt omnino Reip. ut executioni mandentur. Quodſi vero reus confeſſus, vel convictus moriatur, antequam poena capitali, quam meruit, affici potuerit; ea quidem prouti debebat, executioni mandari nequit, neceſſitas tamen exempli ſuadet, ut fiat, quantum fieri permiſſum. Quamobrem quæ in cadavere executioni dari poſſunt, quin ea licite fiant dubitandum non eſt. *Quod erat unum.*

Quodſi poena ſaltem fuerit corporis afflictiva, eam in cadavere, quod omnis ſenſus expers eſt, exequi velle, ridiculum videretur, ut inde fini, qui per poenam, quatenus exemplaris eſt, intenditur (§. 1062. *part. I. Jur. nat.*), parum ſatisfieret. Quamobrem cum a mortuo poena alia exigi non poſſit, niſi ut ſepultura honeſta privetur (§. 621.); quin poenam infamem meritus honeſta ſepultura privari & in loco inhoneſto ſepeliri poſſit, dubitandum non eſt. *Quod erat alterum.*

Ante-

Digitized by Google

Antequam reus convictus, vel confessus est, puniri nequit (§. 673. 674.), cum an poenam meruerit incertum adhuc sit. Quodsi ergo moritur, antequam convictus, vel confessus fuerit; injustum foret in cadaver sævire, immo cadaver in loco inhonesto sepelire velle. Alia vero est ratio, si certum fuerit crimen a reo fuisse perpetratum, & eum hanc præcise poenam meruisse, quæ etiam executioni demandata fuisset, nisi mors prævenisset. Quidni ergo eidem exemptioni adhuc danda sint ea, quibus mors minime obstat? Exempli gratia ponamus, reum e patibulo fuisse suspendendum & in conspectu publico suspensum relinquendum, quamdiu natura permittit. Etsi mors naturalis maleficum liberet a morte violenta manu carnificis inferenda, non tamen ideo suspensionem e patibulo & relictionem cadaveris suspensi in conspectu publico tollit. Cum cadaver suspensum in publico relinquatur, quatenus poena exemplaris esse debet; quidni in carcere mortui cadaver e patibulo adhuc suspendi & in conspectu publico suspensum relinqui debet? Poena morte non tollitur, nisi in quantum actus ad eam requisiti redduntur vel impossibiles, vel prorsus inutiles, qui in moralibus istis æquiparantur. Similiter si reus ad rotæ supplicium fuerat damnatus, cadaveris quoque crura & brachia cum cervice rota contundi possunt & ipsum deinde rotæ affigi. Cur hoc absque ulla labe crudelitatis fieri nequeat, non video. Nec qui peracto supplicio in loco inhonesto sepeliendus erat, minus recte ibidem sepelitur ante supplicium mortuus. Infami autem poena, licet minime capitali, afficiendus in loco honesto ut sepeliatur, parum convenit fini poenæ capitalis. Sicuti vero opinio tyrannus vulgo dicitur, si vulgo crudele videatur quasi sævire velle in cadavera mortuorum; consultius utique puto, cadavera reorum, etsi convictorum & confessorum, sine ullo strepitu in loco non inhonesto humari, cùm rigorem exequendi poenam in cadavere quoad actus, quos mors non effecit impossibiles, vel inutiles, necessitas exempli tum non exigat, sed potius dissuadeat.

Digitized by Google

§. 706.

De dilatione poenæ ob morbum.

Ob morbum graviorem (quo scilicet totum corpus languet) poena capitalis & corporis afflictiva differenda. Si enim reus morbo graviori decumbat, nemo non videt, quod ad locum supplicii duci nequeat, nec sine periculo ad eundem deferri. Quamobrem cum in executione poenarum, quatenus exemplares esse debent, animi spectatorum avocandi sint a rebus alienis, quos attendere debent ad ipsum supplicium; poena capitalis ob morbum graviorem differenda. *Quod erat unum.*

Quodsi homo morbo graviori laborans poena corporis afflictiva affici debeat, veluti fustigari (§. 612.), sine periculo mortis id fieri non poterit. Quamobrem cum hoc perinde foret, ac si graviori poena afficeretur reus, ubi levior sufficiebat, consequenter modus in puniendo excederetur (§. 1066. *part. 1. Jur. nat.*), hoc autem facere minime liceat (§. *cit.*); morbo graviori laborans poena corporis afflictiva affici minime debet, consequenter differenda. *Quod erat alterum.*

Utrumque simul etiam ostenditur hoc modo. Quicquid ad hoc conferre valemus, ut alter careat morbis, vulneribus, fracturis & luxationibus & ne moriatur, ad id faciendum naturaliter obligamur (§. 759. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter etiam ad non faciendum contrarium (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum id sit legis præceptivæ & prohibitivæ (§. 163. 164. *part. 1. Phil. pract. univ.*), jus autem puniendi legis permissivæ (§. 165. *part. 1. Phil. pract. univ.*); si puniendus morbo graviori laborat, lex præceptiva & prohibitiva colliditur cum lege permissiva (§. 206. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque in casu collisionis lex permissiva

Digitized by Google

missiva cedit præceptivæ ac prohibitivæ (§. 211. *part. 1. Phil. pract. univ.*); morbo graviori laborans puniendus non est. Enimvero cum poenæ legibus constitutæ a delinquentibus sint exigendæ, nisi singulares fuerint rationes, ob quas remittendæ (§. 636.), morbus autem, quo laborat puniendus, sufficiens ratio non est remissionis poenæ, quæ adhuc exigi potest, ubi convaluerit (§. 56. *Ontol.* & §. 1089. *part. 1. Jur. nat.*); ob morbum graviorem, quo reus puniendus laborat, poena non prorsus remittenda, sed saltem differenda, donec convaluerit.

Demonstratio posterior magis convenit Juri naturæ, quippe tota ex principiis ejus contexta, quam priores particulares, ad communem captum magis compositæ, sed acutioribus minus evidentes. Immo posterior revera latet in notionibus communibus, quæ cum sint communes sensum illum communem gignunt, ob quem naturaliter homines non iniquæ mentis abhorrere videntur a punitione ægrotorum, nec consistit nisi in evolutione illarum notionum: id quod facile perspicient, qui in Psychologia satis versati sunt, ac per consequens norunt, quid sibi velit notionum confusarum evolutio. Crudele videtur omnibus, qui bonam mentem non prorsus deposuerunt, in ægrotum poenis sævire. Crudelitas vero arguit non modo cupidinem vindictæ (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*), a qua alienum prorsus animum puniens habere debet (§. 1078. *part. 1. Jur. nat.*), verum etiam nimietatem ejusdem (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*), ut ideo a punitione ægroti abhorreant illi ipsi, quorum animos cupido vindictæ adhuc obsedit. Necessitas puniendi delicta & crimina, quæ inde venit, quod poenæ exemplares esse debeant, dilationi poenæ minime obstat, quippe quæ non tollit ipsam poenæ remissionem, si singulares fuerint rationes, ob quas ea remittenda (§. 656.). Et, si vel maxime contingat reum mori, eidem tamen adhuc satisfieri potest, quatenus exempli necessitas punitionem urget (§. 705.).

Digitized by Google

Forſan in re ſatis manifeſta prolixiores eſſe videmur, quam neceſſe fuerat: ſed cogitandum eſt, multa manifeſta videri iis, qui in notionibus confuſis acquieſcunt, quæ perſpicacioribus evidentia non ſunt, niſi ad notiones diſtinctas reducantur, hanc vero reductionem convenire theoriæ Juris naturæ. Ceterum non ob quemvis morbum poenæ executionem eſſe differendam, ultro largimur, ac ideo ad eos morbos, quo totum corpus languet, ſeu facultas motrix omnis læditur, dilationem reſtringimus. Dantur enim morbi chronici aliique leviores ac minus periculoſi, qui facultatem motricem minime, aut parum ſaltem lædunt. Atque iidem non obſtant, quo minus poenæ exigantur, quamvis interdum ſuadeant ejus mitigationem, quatenus dolor naturalis auget poenalem; ut poena durior habeatur, quam ſi is abeſſet (§. 635.). Sed ad particularia iſta, quemadmodum in aliis, ita nec hic deſcendere nobis datur. Sufficit excitaſſe attentionem illorum, quorum inſtituto hoc magis convenit. Iſtiusmodi autem theoria particularis ſupponit morborum hiſtoriam, ut ideo judex conſilio medicorum peritorum uti debeat, ne in executione poenæ peccet, quando morbus dilationem, aut mitigationem urget. Equidem *Carpzovius* part. 3. quæſt. 137. n. 31. 34. poenæ corporis afflictivæ dilationem probat, ne ex cruciatibus corporis mors reo immineat; executionem vero poenæ capitalis potius acceleradam eſſe exiſtimat, ne per mortem perſonæ condemnatæ ſupervenientem executio ſententiæ plane irrita fiat. Enimvero ſi quis ea perpendit, quæ cum in demonſtratione propoſitionis præſentis, tum in his, quæ ad eandem annotavimus, perpendit, is facile perſpiciet accelerationem executionis ob metum, ne morte puniendi irrita efficiatur, tantæ non eſſe neceſſitatis, quantæ videtur: neque enim alio nititur fundamento, quam quod Reip. intereſſit, ſontes poenas promeritas publice luere, quatenus ſcilicet poena unius eſt metus multorum. Hoc vero dubium modo ſuſtulimus, & in quæſtione hac decidenda utendum eſt morborum diſtinctione, quam modo commemoravimus.

§. 707.

Digitized by Google

§. 707.

Si reus condemnatus gravioris criminis reddatur ſuſpectus, vel idem ultro confiteatur, executio poenæ differenda, donec de illo quoque cognitum fuerit. Etenim crimina graviora poenis gravioribus coërcenda (§. 626.). Quamobrem ſi reus condemnatus crimen adhuc gravius commiſit, quam propter quod condemnatus eſt; poenam quoque graviorem meretur, quam quæ ipſi dictata fuit, cum illud ignoraretur. Neceſſe igitur eſt, ut de eo cognoſcatur, ut poenam meritam ſubeat, conſequenter ſi poſt condemnationem majoris criminis ſuſpectus reddatur, vel ipſe idem ultro confiteatur, executio poenæ ob crimen minus grave dictatæ differenda, donec de illo quoque cognitum fuerit.

De executionis dilatione ob crimen gravius commiſſum.

Ob crimen gravius nimirum, quod ante condemnationem rei non innotuit, executio poenæ differenda, quatenus exemplaris eſſe debet (§. 1062. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 708.

Si teſtibus crimen falſi objiciatur, qui in cauſa criminali depoſuerunt, poenæ executio differenda, donec de illo cognitum fuerit. Quodſi enim teſtes, qui in cauſa hac capitali depoſuerunt, falſi crimen commiſerunt, cum propter eorum teſtimonium pro vero habeatur, crimen a reo fuiſſe commiſſum (§. 1044. *part. 5. Jur. nat.*); is pro convicto haberi nondum poteſt, ſeu crimen, cujus arguitur, ſufficienter probatum nondum eſt. Quamobrem cum nemo puniri poſſit, niſi delicto aut crimine ſufficienter probato, ſeu niſi ejusdem convictus fuerit (§. 673.); ſi teſtibus crimen falſi objiciatur, qui in cauſa criminali depoſuerunt, poenæ executio differenda, donec de illo cognitum fuerit.

De dilatione ob crimen falſi teſtibus objectum.

Digitized by Google

Nec obstat, quod crimen confessus fuerit. Multæ enim sunt rationes, quæ movere possunt inquisitum ad confessionem, etiamsi sibi innocentiæ suæ probe sit conscius, veluti metus torturæ, ubi ea usui recepta est, vel tædium carceris diuturnioris, vel quod in præsenti animi perturbatione non videat, quomodo falsitatem testimonii probare velit, vel quod mori malit, quam labe perpetua famæ suæ per inquisitionem adsperſa affectum esse: quæ tamen voluntas mutabilis, præsertim quando metus mortis imminentis vincit metum labis sibi posthac objiciendæ ab aliis.

§. 709.

Confrontatio quid sit.

Confrontatio est actus, quo testis vel criminis socius confessus inquisito præsente ac negante narrat, quæ is fecit, factique circumstantias, consequenter testis ea, quæ deposuit, repetit atque confirmat. Quoniam non omnes adeo præfractæ sunt frontis, ut negent ea, quæ ipsis coram in judicio dicuntur ab iis, quos præsentes fuisse, cum crimen perpetrarent, vel ejus socios norunt; *confrontatione inquisitus haud raro ad confessionem adigitur.* Et quoniam praeterea ex vultu, trepidatione, voce ac gestibus, ipso etiam sermone colligitur criminis commissi si non veritas, saltem maxima probabilitas, vel etiam negantis malitia patefiat; *confrontatio medium aptum est ad eruendam veritatem delicti, vel criminis commissi.*

Ea ideo quoque adhibetur in praxi criminali, quamvis circumspectione opus sit, ne ad confrontationem absque indiciis sufficientibus deveniatur, cum ea haud parum lædat famam viri honesti.

§. 710.

De dilatione poenæ ob cri-

Ad indagandos & convincendos consocios criminis poena diffe-

Digitized by Google

differenda. Etenim ſi plures fuerint, qui crimen aliquod ſimul commiſerunt, non ſufficit unum puniri, ſed puniendi ſunt omnes (§. 1080. *part. 1. Jur. nat.*), quilibet nempe ob factum proprium (§. 1083. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem ſi velit condemnatus plures criminis, ob quod condemnatus eſt, ſocios detegere, vel aliunde innoteſcit, plures fuiſſe eorundem criminum, ob quæ ipſe damnatus fuit, conſocios, cumque præterea conſtet, inquiſiti cum ſocio criminis confeſſo confrontationem eſſe medium aptum ad eruendam veritatem criminis commiſſi (§. 709.); ad indagandos & convincendos criminis conſocios poena differenda. *minis conſocios.*

Quamdiu poena differenda ſit, ex circumſtantiis dijudicandum, præſertim ſi ratio habenda confrontationis, ubi maxime attendenda ſpes, ut conſociorum criminis copia haberi poſſit. Quodſi objicias, dilationis cauſa a reo condemnato fingi per mendacium poſſe criminis ſocios, vel etiam circumſtantias, quæ ſpem faciunt fore, ut copia illorum haberi poſſit, cogitandum eſt, non adeo facilem habendam eſſe inquiſito fidem, niſi eorum, quæ dicit, ſatis probabiles afferat rationes, immo etiam circumſtantiæ dantur, ex quibus mendacium condemnati pateſcit, aut ob quas ipſe ad ejus confeſſionem adigi nequit, ne executio temere diu protrahatur. Dilatione poenæ inprimis opus, ſi fuerit quædam furta, rapinas & latrocinia committendi cauſa contracta ſocietas, & unus vel aliquot ſocii fuerint apprehenſi, qui convicti & confeſſi condemnati fuerunt. Quoniam enim ſocietates iſtiusmodi ſecuritati publicæ e diametro adverſæ ſunt, Reip. plurimum intereſt, ut extirpentur, ita ut haud raro poena complici recte remittatur, ſi conſilia ſuppeditare poſſit, quomodo eorum copia fieri queat.

§. 711.

In poena executione ceremonia licita ſunt, quæ faciunt ad inſinuandam De ceremoniis in exe-

Digitized by Google

cutione poenæ adhibendis.

insinuandam spectatoribus turpitudinem criminis & ad ostendendam detestationem ejusdem, vel fallaces modos poenam effugiendi: tum etiam quæ malefico in memoriam revocant ea, de quibus tempore hoc mortis instantis cogitare debet. Rectori enim civitatis curæ esse debet, ut subditi a vitiis revocentur & in viam rectam reducantur (§. 456.). Quamobrem non sufficit, ut metu poenarum deterreantur, ne crimen committant (§. 347. *part. 1. Phil. pract. univ.*); verum etiam ipsis insinuentur motiva a malitia criminis desumta (§. 337. *part. 1. Phil. pract. univ.*), inter quæ etiam locum habet turpitudo ac detestatio criminis, quorum illa hominem nomine hominis indignum reddit, hæc vero omnibus bonis perosum. Quamobrem cum lex naturæ det nobis jus instituendi ceremonias, quæ ad bene & recte agendum faciunt (§. 503. *part. 2. Phil. pract. univ.*); in poenæ executione ceremoniæ licitæ sunt, quæ faciunt ad insinuandam spectatoribus turpitudinem, & ad ostendendum detestationem criminis (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat primum.*

Quoniam metu poenæ non deterrentur a crimine perpetrando, qui animum perpetrandi habent, quamdiu sibi persuadent, se hoc, vel alio modo poenam effugere posse; nil quicquam magis necessarium videtur, quam ut agnoscatur, quam fallaces sint modi, quibus malefici poenam effugere student. Quamobrem cum ceremoniæ sint signa, quæ nobis in memoriam revocare debent ea, de quibus in præsenti cogitare debemus (§. 442. *part. 2. Phil. pract. univ.*) eædemque rationi conformes (§. 443. *part. 2 Phil. pract. univ.*) & lex naturæ nobis det jus eas instituendi (§. 503. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ceremoniæ quoque in executione poenæ licitæ sunt, quæ faciunt ad ostendendum fallaciam modorum, quibus crimina committentes poenam se effugere posse

Digitized by Google

poſſe ſibi perſuadent (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat ſecundum.*

Denique cum charitas ſuadeat, ne negligamus, ut, qui male vixit, ſaltem bene moriatur, & ne poenæ imminentis cogitatio avertat animum malefici ab iis, quæ in articulo mortis cogitare debet bene moriturus, conſequenter apprime opus ſit, ut in hiſce cogitatio omnis defigatur, ceremoniæ autem ea in memoriam revocant, quorum in præſenti meminiſſe debemus (§. 442. *part. 2. Phil. pract. univ.*); patet ut ante, ceremonias licitas eſſe, quæ malefico, dum ad locum ſupplicii ducitur, in memoriam ea revocant, de quibus tempore mortis inſtantis cogitare debet. *Quod erat tertium.*

Non deſunt, qui cum ceremonias omnes damnent, eas maxime rident, quæ in executione poenæ maleficis infligendæ adhibentur, vel quod eas inutiles exiſtimant, vel quod in re ſeria non eſſe ludendum arbitrantur. Enimvero hi ſunt, qui nec theoriam ceremoniarum, quam in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis tradimus, perſpectam habent, nec mentis humanæ naturam cognitam, quam in Pſychologia explicavimus, nec animum ad ea attendunt, quæ in propoſitionis præſentis demonſtratione continentur. Quo quis enim imperitior ac rudior, eo ad reprehendendum pronior. Proſtant vero paſſim ceremoniæ in executione poenarum, quibus malefici afficiuntur, uſu receptæ. Pertinet huc proclamatio rei (das Zetergeſchrey) per præconem (den Blutſchreyer) horrenda voce vindictam criminis poſcentem. Hac ipſa enim indigitatur, crimina non manere debere impunita. In terris ſaxonicis proclamatio hæc, dum judicium criminale ſolenne peragitur, tribus vicibus repetitur ante accuſationem rei, & eam fieri jubet pro more ac conſuetudine cujusque judicii Imperator *Carolus V.* in Ordin. Crimin. art. 87. Porro huc referri debet veſti-

Digitized by Google

tus furum, quo induti ad ſupplicium ducuntur, in patria mea uſitatus. Is enim non modo ſignificat turpitudinem furti, verum etiam fallaciam modi ipſum occultandi. Similiter in crimine ſodomiæ rogo etiam imponitur brutum, cum quo rem habuit maleficus, in illius deteſtationem. Immo huc etiam ſpectat mos præferendi malefico imaginem chriſti crucifixi, ut ejus conſpectu excitetur ac conſervetur fiducia in ejus merito collocanda, quo poenæ licet temporali ſubjiciendus liberatur a poena æterna.

§. 712.

De poena autochiriæ licita.

Autochires, niſi fuerint furioſi, deliri & melancholici, vel inſano amore laborent, ſepultura honeſta privari poſſunt & inhoneſta pro ratione circumſtantiarum puniri. Etenim autochiria naturaliter illicita eſt (§. 356. *part. 1. Jur. nat.*), & pro diverſitate circumſtantiarum malum quoque inde derivatur in ipſam univerſitatem, ſeu Remp. Quamobrem cum Rector civitatis ſcelera foeda prohibere ac punire (§. 655.), immo etiam actus vitioſos punire poſſit, unde malum quoddam in univerſitatem derivatur, etſi iisdem non tollatur jus alterius cujusdam (§. 653.); autochiria quoque in civitate prohiberi ac puniri poteſt. Quoniam vero mortuus puniri nequit, niſi quatenus ipſi denegatur ſepultura honeſta, & is in loco inhoneſto ſepelitur, vel etiam modo inhoneſto ad locum ſepulturæ cadaver trahitur (§. 621.); autochires ſepultura honeſta privare & inhoneſta pro ratione circumſtantiarum punire licet. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam nemo puniri poteſt ob factum, quod imputari ipſi nequit (§. 670.), autochiria autem furioſis, melancholicis, deliris & amore inſano laborantibus imputari haud quaquam poteſt (§. 567. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.*);

Digitized by Google

nat.); nec iidem ob autochiriam puniri possunt. *Quod erat unum.*

Sunt equidem qui existimant, sepulturam inhonestam magis nocere famæ cognatorum, quam propricidis, qui cum mortui sint, nullum poenæ sensum habent; hæc tamen ratio minime sufficit, ut ea pro absurda habeatur. Etenim poena omnis infamis opinione vulgi maculam quandam adspergit famæ cognatorum malefici: ecquis vero dixerit, crimina ideo istiusmodi poena non esse coërcenda, vel saltem iniquum esse, ut eorum cadavera vel in loco inhonesto sepeliantur, vel in conspectu publico insepulta relinquantur? Et quamvis poenæ sensum nullum habeant mortui, si cadavera in loco inhonesto sepeliantur, vel ignominioso modo ad locum istum trahantur; non tamen ideo poenæ finis cessat, quatenus exemplaris esse debet. Neque enim omnes rationem nullam habent eorum, quæ post mortem ad ipsos quomodocunque spectantia consequuntur, sed dantur bene multi, qui ea magis curant, quam quæ vivis accidunt, ac inprimis volunt, ut etiam post mortem nihil ignominiosi sibi contingat, nec ipsi ignominiam suis inferant. Varias autem dari autochiriæ circumstantias, ob quas modus sepulturæ inhonestæ variari potest, non ignotum est. Ita autochiria, quæ poenæ evitandæ causa committitur, recte pro crimine habetur (§. 581.), quatenus scilicet contrariatur obligationi poenam subeundi (§. 1071. *part. 1. Jur. nat.*), & Reip. interest crimina non manere impunita (§. 656.). Si vero quis ob paupertatem vitæ pertæsus manus violentas sibimetipsi infert, is omnino minus deliquisse censendus.

§. 713.

Atheos & irreligionarios inhonesto modo sepelire non licet, nisi errores suos disseminaverint, nec moniti ab eo desistere voluerint: recte tamen iis denegatur sepultura solennis. Etenim ob atheismum, consequenter nec ideo, quod quis irreligionarius *De atheorum & irreligionariorum sepultura.*

narius est, nemo puniendus (§. 645.). Quamobrem cum sepultura inhonesta poena sit (§. 621.); atheos & irreligionarios inhonesto modo sepelire non licet. *Quod erat primum.*

Enimvero qui atheismum, vel deismum, aut alios errores religioni, bonis moribus & statui civili adversos disseminant, nec moniti ab eo desistere volunt, e civitate discedere jubendi sunt (§. 646.), consequenter eos punire licet (§. 595.) pro ratione meriti (*not.* §. 646.), quantum scilicet sufficit, ne alios seducant. Quamobrem si atheus, irreligionarius, qui errores suos disseminat, nec monitus ab eo desistere vult, antequam e civitate ejicitur, moriatur, cum in mortuum poena alia cadere nequeat, quem sepultura inhonesta (§. 621.); quin modo inhonesto sepeliri possint dubitandum non est. *Quod erat secundum.*

Quoniam tamen ceremoniæ in sepultura adhiberi solitæ desumuntur partim a religione, partim a meritis in Remp. a religione autem alieni sunt athei & irreligionarii, & meritis in Remp. adversatur atheismus & contemtus religionis, quatenus inde labes quædam eidem adspergitur; inconveniens non est, ut sepultura cum ceremoniis solitis seu solennis atheis & irreligionariis denegetur, quamvis non in poenam eorum, sed in detestationem erroris, quo imbuti fuerunt. *Quod erat tertium.*

Sævire in cadaver athei, aut eum ignominia afficere post mortem non est medium aptum atheum, vel irreligionarium convincendi erroris sui. Neque ideo poena exemplaris esse potest, ut alii deterreantur, ne eundem errorem foveant, quodsi dicas metu ignominiæ post mortem inferendæ saltem deterreri posse alios, ne atheismum profiteantur, nec religionem contemnant, suoque exemplo alios seducant; ex anterioribus jam patet, hoc minime tolerandum esse, sed si quis monitus a dis-

Digitized by Google

a diſſeminando errore ſuo deſiſtere nolit, eum e civitate eſſe ejiciendum. Quodſi quis in articulo mortis confiteatur, ſe eſſe atheum, vel irreligionarium; tum ſaltem errorem prodit, non diſſeminat, neque enim aliis eundem perſuadere conatur.

§. 714.

Poenis in civitate eſſet locus, etiamſi homo in agendo tantummodo appareret, non vero eſſet liber. Etenim metu poenarum deterreri poſſe homines ab actionibus committendis, *luntatis* tolitum etiam adigi ad eas committendas, experientia quotidiana *lantur* poeabunde docet & in brutis indies conſpicimus. Quamvis *nae.* itaque homo in agendo non eſſet liber, metus tamen poenæ eundem adhuc haberet effectum, conſequenter is medium foret impediendi, quo minus actionem quandam committeret, vel adigendi eundem, ut committat. Quamobrem cum poenæ non alio fine decernantur, quam ut homines ad actiones tam omittendas, quam committendas compellantur (§. 288. *part. 1. Phil. pract. univ.*); poenis in civitate adhuc locus eſſet, etiamſi homo in agendo tantummodo appareret, non vero eſſet liber. *An ſublata libertate voluntatis tollantur poenae.*

Conſtat & olim fuiſſe multos, & hodienum eſſe plurimos, qui libertatem voluntatis negant, aut ſaltem in dubium vocant. Sane materialiſtæ, qui nonniſi exiſtentiam corporum admittunt, ſpirituum vero & rerum immaterialium exiſtentiam negant, cum ex homine nonniſi machinam faciant, libertatem quoque voluntatis negant. Negant vero etiam eandem haud pauci; qui animam immaterialem & a corpore diverſam eſſe agnoſcunt. Alii denique, qui ad nexum perceptionum & appetitionum ac averſionum animum attendunt, cum perſpicere non poſſint, quomodo libertas voluntatis cum eodem conſiſtere queat, de ea dubitant. Immo non deſunt, qui alios impugnaturi, per conſequentiam ipſis objiciunt, quod libertatem,

Digitized by Google

tatem in agendo tollant. In vulgus notum eſt, id objectum eſſe tam contra ſyſtema cauſarum occaſionalium *Carteſii*, quam ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ *Leibnitii*. Qui libertatem hominis in agendo negant, iis vulgo objicitur, quod tollant jus puniendi maleficos in Rep. ita ut omnes poenæ civiles ſint injuſtæ. Sed recte hoc jam negavit *Hobbeſius* materialismi inſtaurator & libertatis in agendo deſtructor. Etenim ſive homo revera ſit liber, ſive tantummodo appareat, eum eſſe liberum, prouti *Spinoſæ* videtur; metus poenæ, immo motivorum quorumlibet aliorum idem ſemper erit effectus. Nec intereſt Reip. ſive effectum hunc neceſſarium eſſe dicas, ſive imperio animæ ſubjectum, cum ſufficiat eum eſſe medium deterrendi alios, ne delinquant, vel etiam eum, qui deliquit, ne denuo delinquat. Quamvis mihi nihil abſurdius videatur materialismo, immo multo abſurdius, ſi animam eſſe materialem ſtatuatur, quam ſi quis contendat, triangulum & quadratum eſſe unam eandemque figuram, & procul abſim ab opinione eorum, qui fatalem rerum omnium neceſſitatem defendunt; veritatem tamen defendere ac ſtabilire contra objectiones iniquas tanto magis meum eſſe duxi, quanto magis neceſſe eſt, ut juſtitia poenarum civilium agnoſcatur, ſine quibus civitas & ſingula ejus membra tuta præſtari nequeunt ab injuria aliorum: id quod tamen finis ſocietatis civilis maxime exigit. Effectum vero poenarum nulla licet ſuppoſita libertate in agendo clariſſime conſpicimus in brutis, veluti in canibus certo agendi modo aſſuefaciendis. Quodſi dicas homini non imputari poſſe actiones niſi liberas (§. 528. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quæ vero imputari non poſſunt, ea nec puniri poſſe (§. 670.), conſequenter ſi nulla prorſus dantur actiones liberæ, nec quenquam puniri poſſe ob factum ullum; conſequentia recte negatur. Qui enim libertatem in agendo tollunt, duplicem tamen ſtatum hominis admittunt, alterum ſcilicet, quo metus poenarum poteſt eſſe motivum non agendi, alterum, quo eſſe nequit, qualis eſt furioſorum & puerorum, aut, ſi mavis, infantium. Imputabuntur ergo actiones in caſu

Digitized by Google

casu priori, non vero in posteriori. Sed in re satis manifesta nolumus esse prolixiores.

§. 715.

Quicquid superior ad [illegible] *conferre potest, ut sanitas subditorum conservetur & amissa restituatur; ad id faciendum obligatur.* Singuli enim sanitatem conservare (§. 393. *part. 1. Jur. nat.*) &, quando in morbum incidunt, operam dare obligantur, ut sanitati restituantur (§. 413. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum in Rep. ea instituenda sint, quæ mediorum vicem præstant officiis lege naturæ præscriptis pro virili satisfacturis & eorundem praxin facilitant (§. 396.); quicquid superior ad hoc conferre potest, ut sanitas subditorum conservetur & amissa restituatur; ad id faciendum obligatur. *De cura sanitatis subditorum.*

Interest non minus singulorum, quam universorum, seu Reip. ut sanitas conservetur, aut, siquidem eandem amitti contingat restituatur. Nemo ea de re dubitabit, nisi qui minime perpendit, quod ad omnem laborem & omnes functiones munerum inepti sint ægrotantes: unde non uno modo damnum aliquod in ipsam Remp. redundat, quod utique avertere tenetur is, cujus est curare, ut bonum publicum omni, quo datur, modo promoveatur.

§. 716.

Quoniam ad sanitatem conservandam opus est cibo ac potu salubri (§. 395. 397. *part. 1. Jur. nat.*), eidem vero nocent & morborum causa sunt cibi ac potus insalubres (§. §. *cit.*); *superior* autem conferre debet, quod potest, ad sanitatem subditorum conservandam (§. 715.); idem *curare debet, ut prostent cibi ac potus salubres, ac severe prohibere, ne insalubres vendantur,* consequenter *curare ut cerevisia rite coquatur,* *De salubritate ciborum ac potuum.*

Digitized by Google

quatur, ac præparetur, nec permittere, ut vina cum detrimento ſanitatis adulterentur.

Lucri cupido in cauſa eſt, ut religioni parum habeatur inſalubritate cibi ac potus aliorum ſanitati, immo vitæ inſidias ſtruere. In hunc cenſum potiſſimum referendi vinorum adulteratores, & qui vina factitia pro naturalibus vendunt, iis potiſſimum in locis, in quæ ex oris peregrinis vina advehuntur. Unde videas oenopolas diteſcere cum detrimento ſanitatis multorum. Foeda iſtiusmodi lucri cupido in Rep. minime ferenda, conſequenter poenis coërcenda. Quibus vero mediis fraus impediatur &, ubi commiſſa fuerit, detegatur, docere non eſt hujus loci, ſed ad prudentiam civilem pertinet.

§. 717.

De apparatu medicamentorum, neceſſitate medicorum & chirurgorum & medicina cultura.

Similiter quoniam ſuperior, quicquid ad hoc conferre poteſt, ut ſanitas amiſſa reſtituatur, ad id faciendum obligatur (§. 715.), ad ſanitatem autem recuperandam opus eſt medicamentis (§. 414. *part. 1. Jur. nat.*), immo etiam medicis atque chirurgis peritis, quorum ſcilicet eſt morbos ac vulnera, rupturas, fracturas, luxationes curare; *curæ ſuperiori eſſe debet, ut non modo æquo pretio venum dentur medicamenta ſalutaria, verum etiam ne deſint medici ac chirurgi periti, & ut ars ſalutaris indies magis magisque perficiatur.*

Vitam ac ſanitatem amant omnes; ſed pauci valetudinem ſuam diligenter curant. Ad artem ſalutarem pertinet non modo docere, quomodo ſanitas conſervetur, verum etiam quibus mediis amiſſa reſtituatur. Enimvero nullibi plures audias, nec injuſtas querelas de incertitudine ſcientiarum, quam ubi de medicina ſermo incidit, ita ut optimus fere medicus habeatur, qui non nocet, quamvis parum proſit, & cui deinde ea tribuuntur, quæ naturæ vindicanda fuerunt. Non diffitentur hoc medici periti, quos artis ſuæ immaturitatem abunde docuit

Digitized by Google

docuit non unius luſtri experientia, ita ut etiam *Hoffmannus* noſter, qui præclarum inter ſui ordinis viro nomen adeptus, pro conſervanda ſanitate dudum hanc quoque regulam præſcripſerit: Fuge medicum & medicinam, ſi vis eſſe ſanus, & *Harvæus* integrum Tractatum conſcripſerit de morbis expectatione curandis, ut taceam alios, qui morbos diæta curari jubent. Quamvis hæc non in genere vera ſunt, ab omni tamen veritate non prorſus aliena ſunt. Apprime igitur opus eſt, ut medicina ad majorem certitudinem evehatur, id quod tamen non adeo facile eſt, quemadmodum ſibi perſuadent & aliis ſe perſuadere poſſe confidunt illi, qui intra breve tempus, cum experientia propria omni adhuc deſtituantur, medicinam ad certitudinem mathematicam evehere ſibi ſumunt. Abunde omnino patet, quam neceſſarium ſit, ut Rectores civitatum hanc curam ad ſe pertinere agnoſcant, nihil eorum prætermittentes, quod ad medicinam perficiendam conferre poſſunt. Et quoniam medici imperiti plurimum nocent ægris, nec ſatisfacit excuſatio, quod medicis impune occidere liceat; ideo non levis eſſe debet cura, ne ad curandum ægros admittantur, niſi qui, quantum pro præſenti rerum ſtatu permittitur, artem ſuam rite didicerunt, nec ferendum erat, ut quivis idiota in Doctorem medicinæ impune promoveatur, quaſi promotiones eſſe debeant medium acquirendi, & privilegium doctorale ſit privilegium nocendi ægris pro certa pecuniæ ſumma venale. Huc etiam pertinet, ne Profeſſores Medicinæ inſtituantur, qui nec ipſi ſatis intelligunt ea, quæ alios docere debent, nec artem ſalutarem exercuerunt, deſtituti ea experientia, quæ in Profeſſore medicinæ utique requiritur. Hoc vero jam patet ex iis, quæ ſupra de Profeſſoribus inſtituendis in genere demonſtravimus (§. 436.). Patet haud difficulter, quam multa hic conſideranda ſint, ſi ſuperior hac in parte officio ſuo ſatisfacere velit. Sed ea non Juris naturæ, verum prudentiæ civilis ſunt.

Digitized by Google

§. 718.

De morbis contagiosis & peste.

Quoniam *superior*, quicquid conferre ad hoc potest, ut sanitas subditorum conservetur & amissa restituatur, consequenter ut morbi avertantur, ad hoc faciendum obligatur (§. 715.), hominibus autem maxime infesti sunt morbi contagiosi & inprimis pestis, quod experientia abunde loquitur; *maximopere* quoque is *curare debet, ut morbi contagiosi atque pestis inprimis, quantum datur, avertantur & ubi invaluerint grassari prohibeatur.*

Pestis inter hostes capitales Reip. dudum relata, & Politici de eadem e civitate proscribenda solliciti fuerunt. Hactenus tamen problema hoc de peste e civitate proscribenda manfit insolutum, perinde ac problema de quadratura circuli, de longitudine maris, de perpetuo mobili, quorum illud Geometras, id Geographos & Astronomos, hoc Mechanicos diu multumque vexavit & hodienum vexat. Quamvis vero hactenus repertum non sit, quomodo morbi contagiosi ac inprimis pestis e civitate prorsus proscribi possint; non tamen prorsus ignorantur media, utiliter adhibenda, ne contagium propagetur, & ne in loco, ubi grassantur, nimiam stragem dent. Absit itaque, ut tibi persuadeas in propositione praesenti praecipi talia, quae in potestate non sunt.

§. 719.

De lue pecorum.

Si lues pecora corripit, opera danda ne malum late serpat, eidemque tempestive medela afferenda. Quanto emolumento sit Reip. res pecuaria, cujus ideo maxima cura habenda, in vulgus notum est. Quamobrem cum Resp. emolumenti hujus jacturam faciat, si lues pecora corripit, damnum ab ea utique avertendum omni studio atque labore (§. 420.), consequenter opera danda, ne malum late serpat eidemque tempestive medela afferenda.

Non

Digitized by Google

Non minus in pecora ſævit lues, quam peſtis in homines, ita ut quotidie ingens ſtrages detur. Damnum vero non modo ſentiunt poſſeſſores, qui jacturam bonorum faciunt; verum etiam ceteri omnes, quorum victui & amictui ex re pecuaria proſpiciendum, immo ipſa univerſitas, quatenus poſſeſſores oneribus Reip. ferendis non ſunt pares. Lues pecorum itaque accenſenda hoſtibus naturalibus Rerump. qui ſunt peſtis, atque fames ſeu annonæ difficultas, niſi eam ſub fame comprehendere volueris, conſequenter ex civitate proſcribenda foret, ſiquidem in poteſtate noſtra eſſet. Quamvis autem lues iſta haud raro graſſetur, & multi multa de eadem ſcripſerunt; ejus tamen theoriam certam & remedia efficacia adhuc deſideramus. Quamobrem rerum naturalium ſcrutatores omni animi contentione id agere debebant, ut, quæ latent, detegerent: philoſophandum enim eſt in Reip. ac generis humani utilitatem. Quamdiu vero deſunt arma, quibus Reip. infenſus hoſtis proſterni & profligari poteſt; ea tentanda ſunt, quæ in poteſtate ſunt, ne quid culpa noſtra prætermittatur, quod ad minuendum nocumentum fieri poterat.

§. 720.

Rectori civitatis curæ eſſe debet, ne ſubditi labore nimio ſanitati officere cogantur. Quicquid enim Rector civitatis ad hoc conferre poteſt, ut ſanitas ſubditorum conſervetur, ad id faciendum obligatur (§. 715.), exploratum vero eſt laborem nimium ſanitati eſſe adverſum. Quamobrem quin illi curæ quoque eſſe debeat, ne ſubditi labore nimio ſanitati officere cogantur, dubitandum eſt. *De labore nimio vitando.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Laborem nimium vitare naturaliter obligamur (§. 519. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero in Rep. ea inſtituenda ſunt, quæ mediorum vicem præſtant officiis lege naturali præſcriptis ſatisfacturis (§. 396.).

Digitized by Google

Quamobrem Rectori civitatis curæ quoque esse debet, ne subditi labore nimio sanitati officiant.

Interest Reip subditos esse sanos, cum unusquisque eorum spectandus sit tanquam membrum, quod functione sua suum confert, ut toti corpori bene fit. Absit itaque ut tibi persuadeas, curam sanitatis singulorum non pertinere ad universos, consequenter ad Rectorem civitatis, sed eam singulis relinquendam esse. Contrarium satis patet per ea, quæ in genere supra demonstravimus (§. 395.). Quæ in statu naturali sunt singulorum, ea in civili fiunt universorum, quatenus actiones & ea, quæ sunt singulorum, respectum quendam habent ad universos. Quando nimirum homines in civitatem coëunt, membra fiunt unius corporis, & actiones illorum jam referuntur ad finem, cujus causa contracta est societas. Ac ideo ea, quæ sunt singulorum, spectanda quoque sunt tanquam universorum, quatenus ad hunc finem referuntur.

§. 721.

De tempore operum diurnarum, collatione munerum publicorum & salariis.

Quoniam Rectori civitatis curæ esse debet, ne subditi labore nimio sanitati officiant (§. 720.); *tempus operis diurnis impendendum definire debet, nec qui muneribus publicis præficiuntur, pluribus simul præficiendi, quibus omnibus diligenter obeundis vix pares sunt,* consequenter *ne plura ambire teneantur, salaria sufficientia præbenda.*

Salaria sufficientia sunt, si ad ea comparanda sufficiunt, quibus ad vitæ necessitatem & commoditatem, tum etiam decorem indigemus (§. 473.). Relegenda hic sunt, quæ supra de pretio laborum determinando annotavimus (*not.* §. 424.). Facile autem patet, in salario determinando habendam non modo esse rationem quantitatis pretii rerum, quod non ubivis locorum, nec tempore omni idem est, verum etiam decori, quod non minus variat, ut ideo in genere nihil certi determinari

Digitized by Google

nari poſſit. Quodſi ſalaria fuerint nimis tenuia, vel muneris ſui negligentes alia agunt, quibus defectum illorum ſuppleant, vel modis illicitis acquirere ea ſtudent, quibus indigentiæ ſuæ proſpiciant, unde multa mala in Remp. abundant. Pro diverſitate circumſtantiarum alia adhuc conſequuntur, quæ Reip. nocent, nec in ea toleranda ſunt. Per ſe vero etiam iniquum eſt, ut, qui utilem Reip. operam præſtat, mercedem, qualem meretur, non accipiat. Quæ vero dicuntur de iis, qui operas ſuas Reip. collocant; ea quoque intelligenda de his, qui operas diurnas collocant privatis.

§. 722.

De commoditate viarum, præſertim publicarum.

Superiori curæ eſſe debet viarum, præſertim publicarum, commoditas. Quantum referat, ut ſine omni moleſtia ac periculo in viis incedere ac vehi poſſimus, nemo eſt qui ignorat, & abunde experiuntur, qui iter faciunt aut currus onuſtos de loco in locum ducunt. Quamobrem cum quilibet naturaliter obligetur damnum quodvis a ſe avertere (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*), & vitam commode transigere, quantum datur (§. 466. *part. 1. Jur. nat.*), omnemque moleſtiam quantumlibet exiguam vitare (§. 451. *part. 1. Jur. nat.*), ſuperiori vero curæ eſſe debeat, ut praxin eorum, ad quæ homo naturaliter obligatur, facilitet, conſequenter minime negligat ea, quæ ea fini conferre poteſt (§. 396.); ei quoque curæ eſſe debet viarum, præſertim publicarum, commoditas.

Neglectus viarum publicarum a nemine non reprehenditur, & multas audimus de eodem querelas, tandum abeſt ut quis ſibi perſuadeat viarum, præſertim publicarum, curam non tangere ſuperiorem civitatis. Convenit utique fini civitatis, ut absque omni moleſtia non modo incedere, ſed etiam vehi & currus onuſtos in locum deſtinatum ducere poſſis. Ex fine

Digitized by Google

autem civitatis æstimanda est cura, quæ ad superiorem pertinet.

§. 723.

De cura superioris circa ædificiorum extructionem.

Superiori curæ esse debet, ut materia ædificiis extruendis conveniens æquo pretio comparari possit, ut adsint architecti & fabri lignarii ac murarii aliique opifices periti, & ne officio suo in extruendis ædificiis desint. Etenim Rectori civitatis curæ esse debet, ne desit rerum ad habitationem necessariarum copia omnibus sufficiens (§. 420.). Quoniam itaque, ne desit habitatio commoda, extruenda sunt ædificia, ad ædificia vero extruenda non modo requiritur materia apta, sed seligenda quoque est, quæ firmitatem ædibus præstat, prouti in Architectura civili docetur; curæ superiori omnino esse debet, ut materia ædificiis extruendis conveniens æquo pretio comparari possit. *Quod erat primum.*

Quoniam vero ædificia esse debent firma, utilia sive commoda & pulchra (§. 18. *& seqq. Archit.*), architecti vero est, dato scopo fundatoris dataque area, in qua ædificium excitandum, invenire ejus formam, ac fabrorum lignariorum & murariorum aliorumque opificum ea secundum formam istam actu extruere, ideo necesse est, ut in Rep. bene constituta etiam adsint architecti & fabri murarii ac lignarii, aliique opifices periti. *Quod erat secundum.*

Enimvero cum aliud sit nosse, quomodo opus aliquod perfici debeat, aliud vero recte id perficere, naturaliter autem quilibet obligatur ad laborem suum recte perficiendum (§. 522. *part. 1. Jur. nat.*), & ut hoc fiat, superiori curæ esse debeat (§. 395.); eidem quoque curæ esse debet, ut architecti, fabri murarii atque lignarii, aliique opifices

Digitized by Google

ces, quando ædificium aliquod extruendum, officio suo ne desint. *Quod erat tertium.*

Plurima hic occurrunt, quæ superiori observanda sunt, ne in cura circa ædificiorum extructionem quicquam desiderari patiatur: sed ea ad prudentiam civilem pertinent, cum in Jure naturæ saltem doceatur, ad quod faciendum superior obligetur, minime vero, quomodo obligationi huic satisfaciat. Sed demus exemplum, nè quicquam obscuritatis supersit, vel inutilia hic præcipi quisquam sibi persuadeat. Interest Reipne patres familiarum inducantur ad infinitas sumtuum profusiones, dum ædificia extruunt, ut haud raro ex bonis ejiciantur. Quomodo huic malo Ephesi lege vetusta medelam huic malo atulerint ii, penes quos summa rerum erat potestas, *Vitruvius* in præfatione ad librum decimum de architectura commemorat. Architectus, inquit, cum publicum opus curandum recipit, pollicetur quanto sumtu id futurum: tradita æstimatione, magistratui bona ejus obligantur, donec opus sit perfectum. Eo autem absoluto, cum ad dictum impensa respondet, decretis & honoribus ornatur. Item si non amplius quarta in opere consumitur, ad æstimationem est adjicienda, & de publico præstatur, neque ulla poena tenetur. Cum vero amplius quam quarta in opere consumitur, ex ejus bonis ad perficiendum pecunia exigitur. Qui architecturam civilem didicit & ædificia extrui curavit, ut, quantum damni patiantur patresfamilias architectorum, fabrorum aliorumque opificum imperitia & negligentia; facile perspicier, quantum interfit Reip. ut ne sine poena grassentur imperiti & negligentia coërceatur. Equidem *Vitruvius* lib. 1. c. 1. præcipit, ut architectus philosophiam moralem didicerit, quæ, ut ait, eum perficit animo magno, & uti non sit arrogans, sed potius facilis, æquus & fidelis, sine avaritia, quod maximum sit, cum nullum opus vere sine fide & castitate fieri possit, & Rectoris civitatis est curare, ut subditi omnes, consequenter & ii, quorum opera in extruendis ædificiis utimur, sint virtuti dediti & ne

ne a virtutis tramite ad vitia deflectant (§. 456.); quoniam tamen virtus cogi nequit, & lucri cupido plurimos a virtutis tramite trahit, ideo aliis utendum mediis, ut architecti, fabri aliique opifices, quorum opera in ædificiis extruendis utimur, opus ſuum vere perficiant. Sed noſtrum jam non eſt ad alia deſcendere, quæ ſuperioris curæ incumbunt, ut quod ſuum eſt hac in parte faciat.

§. 724.

De cura ſuperioris circa firmitatem ædificiorum & incendia.

Quoniam ſuperiori curæ eſſe debet, ut ædificia recte, conſequenter firma extruantur (§. 18. *Archit. civ.*), ad firmitatem vero requiritur immunitas a ruinæ periculo (§. 6. *Archit. civ.*), conſequenter etiam a damno, quod caſu quodam funeſto, veluti tempeſtatibus ac inprimis incendiis iisdem dare poteſt; *non modo negligentia eorum coërcenda, qui incendium faciunt, multoque magis qui intus ſubortum occultare ſtudent, verum etiam curandum, ut tempeſtive reſtinguatur & ne flamma vicina ædificia alia corripiat, atque ut ædificia contra injurias tempeſtatum ſatis ſint munita.*

Si incendia ſæviunt, quantum detur damnum ædes inhabitantibus nemo eſt, qui ignorat, & ædificiis nihil magis adverſatur, quam incendium. Maxime igitur intereſt Reip. ut hoc damnum, quantum datur, avertatur & cum in poteſtate noſtra non ſit idem prorſus avertere, ſaltem provideatur, ne culpa noſtra augeatur. Obligationem ſuperioris ad damnum hoc avertendum deducimus ex cura, quam circa firmitatem ædificiorum adhibere debet, cum non ſufficiat ædificia firma extrui, ſed videndum quoque, ut ea tollantur, quæ firmitati adverſantur. Non tamen propterea negamus, curam circa incendia ex alio quoque fonte derivari poſſe, nimirum ex averſione damni ac periculi, quod ex incendio emergit. Aſt firmitas ædificii per ſe exigit, ut damnum metuendum non ſit ex tempeſtate.

§. 725.

Digitized by Google

§. 725.

Ædificia inprimis publica in Rep. bene conſtituta venuſta eſſe debent. Conſtat ex architectura dari ædificiorum venuſtatem, quæ nullo ſumtu peculiari, verum arte unice iisdem conciliatur, qualis eſt quæ a ſymmetria & eurythmia (§. 24. 31. *Archit. civ.*) & a perfectione ædificii, ſeu convenientia adæquata cum finibus fundatoribus ortum trahit (§. 8. 10. *Archit. civ.*). Quamobrem cum ſuperiori curæ eſſe debeat, ut ædificia recte extruantur & architecti, fabri aliique opifices opus ſuum recte perficiant (§. 723.); quin in Rep. bene conſtituta ædificia venuſta quoque eſſe debeant, dubitandum non eſt. *Quod erat unum.* *De venuſtate ædificiorum.*

Quoniam ædificia venuſta ſplendorem conciliant civitati, & publica, qualia ſunt templa, curiæ, gymnaſia, collegia academica &c. ſumtu publico extruantur & conſerventur, publica inprimis ædificia in Rep. bene conſtituta venuſta eſſe debent. *Quod erat alterum.*

Non deerunt forſitan haud pauci, qui arbitrabuntur venuſtatem ædificiorum parum curandam eſſe, cum ipſa nil conferat ad felicitatem eorum, qui ea inhabitant. Homines poſſe eſſe felices, modo ipſis non deſint ad vitam commode ac jucunde transigendam neceſſaria, nec curis ac ærumnis conficiantur, utut in caſis ſine arte factis ac ſtramine tectis habitent; & ex adverſo non deeſſe, qui ædes magnificas inhabitant, nec absque tædiis continuis integras dies noctesque conſumunt. Enimvero quamvis ædes venuſtæ miſerum ob alias cauſas non reddant felicem; negari tamen minime poteſt, eas placere unicuique &, ſi daretur optio, easdem a quovis prælatum iri ceteris paribus caſæ humiſi ac nulla arte factæ. Neque etiam negari poteſt, voluptatem, quæ ex ædificiorum venuſtate percipitur, utpote in ſe innocuam (§. 384. *part. 1. Phil. pract. univ.*)

Digitized by Google

univ.), felicitatem hominis augere (§. 286. *part. 1. Jur. nat.*). Præterea ædificia venusta & splendida possessori auctoritatem conciliant penes vulgum: quod quamvis opinione ejus tantummodo nitatur, nemo tamen est qui nesciat, dandum in Rep. multum esse hominum opinioni, prouti etiam ex sequentibus clarius eluceſcet. Mittimus alia, quæ præterea dici poterant & quæ respectum ad Remp. habent, quoad ædificia præsertim publica. Cultior vita hominum non solum exigit ea, quæ prosunt, verum etiam illa, quæ delectant.

§. 726.

De paupertate, egestate & mendicitate declinanda.

Superiori maxime curæ esse debet, ne subditi in paupertatem vel egestatem incidant, aut ad mendicitatem redigantur. Etenim quilibet sibi cavere debet, quantum in potestate sua est, ne in paupertatem, vel egestatem incidat, aut ad mendicitatem redigatur (§. 416. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum non modo superiori curæ esse debeat, ut hoc faciant subditi (§. 395.), verum etiam Reip. intersit, ne iidem sint pauperes, egeni atque mendici, ut oneribus Reip. ferendis sint pares; superiori maxime curæ esse debet, ne subditi in paupertatem vel egestatem incidant, aut ad mendicitatem redigantur.

Civitas opulenta non est, quæ plurimos pauperes, egenos atque mendicos alit. Patebit autem inferius, quantum intersit, ut sit opulenta. Ac ideo diximus, superiori maxime curæ esse debere, ut ne subditi fiant pauperes, egeni vel prorsus mendici. Hinc vero multa fluunt, quæ jam ante alio ex fonte deduximus, veluti de incendiis (§. 724.): incendia enim facere pauperes, egenos atque mendicos, per se manifestum est & obvia experientia confirmatur. Similiter hac ratione potissimum nititur lex Ephesiorum, de qua paulo ante diximus (*not.* §. 723.). Notandum vero est, ad curam hanc, de qua in præsenti loquimur, pertinere inprimis, ne ipse superior sub-

Digitized by Google

subditos ad paupertatem, egestatem aut mendicitatem redigere debeat.

§. 727.

Quoniam superiori curæ esse debet, ne subditi in paupertatem & egestatem incidant, aut ad mendicitatem redigantur (§. 726.), annonæ autem caritas plurimos efficit pauperes, egenos, immo mendicos, quod tanquam a posteriori satis notum absque ulteriori probatione sumitur; *in Rep. ferendum non est, ut annona flagelletur*, consequenter *qui hoc faciunt, puniendi* (§. 647.), *&, si qua suppetant media, quibus subditi sublevantur, ne annonæ caritas ipsis sit damnosa, iis utendum.* *De annonæ caritate.*

Incendium annonæ dudum inter crimina relatum, quod *Dardanariatus* vocari solet, quia *Ulpianus* l. 6. de extraord. crimin. *Dardanarium* appellat eum, qui annonam supprimit, ut demum carius vendat. Nec desunt media, quibus pauperioribus in annonæ caritate prospicitur. Pertinent huc granaria publica & granaria tribuum opificum. Quamvis vero de his hic non dicendi locus sit, quemadmodum in casibus similibus sæpius jam inculcavimus; eorum tamen mentionem facere voluimus, ne quis præcipi existimet, quæ in potestate superioris non sunt. Non hodie demum propositum est problema, quomodo effici possit, ut constans frumenti pretium sit, cujus solutio præmio quantovis condecoranda foret. Sed problemata istiusmodi non facilem habent solutionem, cum rerum civilium idem sit nexus, qui naturalium: qua de causa facile contingit, noceri in parte alia, si in hac opem ferre velis.

§. 728.

Superiori curæ esse debet, ut ne desit sufficiens lignorum copia. Ignis usu homines in vita carere non posse, nemo est qui ignorat. Præter hunc usum vero lignorum adhuc *De lignorum copia.*

Digitized by Google

infinitus alius usus est, quemadmodum nemo ignorat, ut opus non sit deeo disertius dici. Sane non minor est lignorum, quam annonæ necessitas, si quidem vel soli necessitati vitæ, nedum commoditati consulere volueris. Quoniam itaque Rectori civitatis curæ esse debet, ne desit rerum ad victum, amictum, habitationem vitæque commoditatem ac jucunditatem sufficiens copia (§. 420.); eidem quoque curæ esse debet, ut ne desit lignorum sufficiens copia.

Multis in locis Germaniæ, immo etiam aliarum regionum lignorum penuria indies fit major, ita ut raritas quotannis augeat pretium: id quod etiam nos experimur. Absit igitur, ut tibi persuadeas, curam de sufficiente lignorum copia superfluam esse, quod natura sua sponte eadem proferat. Nondum tamen vidi sylviculturæ ullibi operam dari, ac removeri obstacula, quæ naturæ in producendis arboribus sylvestribus objiciuntur, quamvis dudum ea de re opus egregium conscripserit & luci publicæ exposuerit vir omni laude dignus *de Carlowitz*. Et quamvis multis in locis lignorum loco straminibus utantur plurimi, atque hic mos indies magis invalescat; non tamen hoc fit sine detrimento agriculturæ, quippe cum stramina stercorationi agrorum debeantur, præsertim ubi tecta straminea non exiguam straminum quantitatem consumunt. Damnum ex lignorum raritate redundans in Remp. graphice delineaturus ampliſſimum dicendi campum ingrederetur. Quodsi solum usum, quem ligna in alendo igne præbent, respicias, majorem certe, quam annonæ deprehendes: neque enim solum sine igne homo vivere nequit, ita ut aqua & igne alicui interdicere Romanis idem fuerit, ac poena capitali eundem afficere, verum etiam innumera sunt, quibus homines maxime indigent, præsertim si moribus cultioribus vivendum, quæ tamen omnia absque ignis usu perfici minime possunt. Sylvicultura autem absurda videri nequit, propterea quod hactenus non vidimus nisi sponte in sylvis nasci arbores: antequam enim agri-

agricultura eſſet inventa, frumenta quoque nonniſi ſponte naſcebantur. Aſt ſeculum noſtrum quæſtuoſum eſt, non tam avaritia hominum, quam luxu, ut de commodo ſaltem præſenti cogitetur, quaſi poſterorum, præſertim in Rep. inter illa entia referenda, quæ ex diſtantibus conſtant (§. 489.), nulla prorſus habenda ſit ratio.

§. 729.

Quoniam ſuperiori curæ eſſe debet, ut ne deſit ſufficiens lignorum copia (§. 728.), curare vero etiam idem tenetur, ne ſubditi in paupertatem & egeſtatem incidant, aut prorſus ad mendicitatem redigantur (§. 726.), vel etiam defectu rerum neceſſariarum ſanitati damnum inferant (§. 715.); *in civitate ferendum non eſt, ut nulla urgente neceſſitate ab hominibus quæſtus ſis nefandum pretium lignorum augeatur.* *De lignorum nefando pretio non augendo*

Modo monuimus, lignorum cum annona parem eſſe neceſſitatem (*not.* §. 728.). Unde ſequitur, ut annonam incendere & lignorum pretium augere paria ſint crimina. Illud pro crimine dudum habitum; hoc vero inter crimina nondum relatum, quamdiu lignorum copia abunde ſuppetebat. Abſonum vero non eſt, ut pretium lignorum nefandum augere quæſtus ſolius cauſa pro crimine hodie habeatur, cum nunc eidem ſit locus, qui antea nullus erat. Ad publicam igitur curam pertinet pretium lignorum æquum determinare, ne lucrum unius, vel paucorum quorundam ſit damnum plurimorum. Auget & minuit curam ſuperioris in adminiſtranda Rep. tempus, pro diverſitate eorum, quæ contingunt.

§. 730.

Similiter cum ſuperiori curæ eſſe debeat, ne deſit lignorum ſufficiens copia (§. 728.), ſi vero ligna fiant rariora & ob raritatem cariora, parce iisdem utendum ſit, ne abuſu magis rareſcant & raritas magis damnoſa ſit; *ligno rarescente* *De parſimonia lignorum*

reſcente ad ejus parſimoniam obligandi ſubditi & tollendus, quantum datur, abuſus.

De parſimonia lignorum, præſertim cum indies fiant rariora & ob raritatem cariora, multa apud nos præſertim literis prodiderunt haud pauci; ſed ea hactenus curæ privatorum relicta. Conſtat vero quam difficile ſit mutari mores, niſi publica accedat autoritas. Quamobrem omnino neceſſe eſt, ut in re ad Remp. maxime ſpectante curam ſuam non deſiderari patiatur ſuperior. Multo amplior hodie, dum ligna indies rareſcunt, eorum uſus eſt, quam antea cum abundarent, ut ad utilitatem præſentem animum tantummodo, ſed perperam attendentes arbores extirparent & ſylvas in prata atque agros converterent. Quamobrem major quoque eſt neceſſitas lignis parce utendi & de hac parſimonia omnino cogitandum iis, quibus Reip. conſervatio curæ cordique eſſe debet. Resp. non ſine prudentia adminiſtranda: prudentiæ vero eſt in decernendis iis, quæ in præſenti facienda, proſpicere quoque illa quæ futura ſunt, ne quod prodeſt in præſenti vel longe in poſterum noceat.

§. 731.

Luxus quid ſit.

Luxus dicitur ſumptuoſior cibi, potus, veſtitus & aliarum rerum cura.

Luxum pluribus deſcribere velle, hodie ſuperfluum exiſtimari poteſt, cum ubivis graſſetur, ac indies magis magisque in eundem effundantur omnes pecunia licet rareſcente.

§. 732.

De damno ex luxu redundante.

Quoniam luxus eſt ſumptuoſior cibi, potus, veſtitus & aliarum rerum cura (§. 731.); *luxu pecunia dilapidatur, & eidem dediti in paupertatem atque egeſtatem incidunt, immo haud pauci ad mendicitatem rediguntur.*

Cum

Digitized by Google

Cum interfit Reip. ne subditi fiant pauperes atque egeni, & ne ea multos alere cogatur mendicos; multum ex luxu damni in Remp. redundat, quod hodie satis manifestum est & in oculos incurrit, modo eos aperire volueris. Inprimis hic probe considerandum, quod luxus doceat nefarias artes alios defraudandi, ut corrodatur pecunia multo luxu dilapidanda: luxus enim, qui vitio verti debebat, laudi ducitur, quæ potior videtur nomine viri boni atque honesti.

§. 733.

Luxus in Rep. tolerandus non est. Luxu enim pecunia dilapidatur, & eidem dediti in paupertatem atque egestatem incidunt, immo haud pauci ad mendicitatem rediguntur (§. 732.). Quamobrem cum superiori maxime curæ esse debeat, ne subditi in paupertatem, vel egestatem incidant, aut ad mendicitatem redigantur (§. 726.); luxus quoque in Rep. tolerandus non est. *De luxu non tolerando.*

Qui de principum reditibus augendis cogitant; luxum minime improbant, immo fovendum esse putant. Enimvero non omnes semper circumstantias satis perpendunt, ob quas contingit ut, dum hoc modo reditus Principum augere student, alio modo iisdem noceant. Et vix præsumitur Princeps velle reditus suos augeri cum dilapidatione pecuniæ subditorum & secuta hinc multorum defraudatione (*not.* §. 732.). Non urgeo luxum per se esse illicitum, consequenter in Rep. minime tolerandum (§. 456.). Ceterum cum luxus in cibis, potu, vestitu aliisque rebus spectetur (§. 731.); facile patet, non unum esse, quod prohibendum, ut luxus omnis proscribatur.

§. 734.

Rectori civitatis curæ quoque esse debet, ne mendicis ac egenis desint ea, quibus ad vitæ necessitatem indigent. Etenim naturaliter obligamur dare mendicis eleemosynam (§. 220. 228. *De mendicis & pauperibus.*

Digitized by Google

238. *part. 4. Jur. nat.*), itemque egenis (§. 244. *part. 4. Jur. nat.*). Quoniam itaque in conſtituenda Rep. opera danda, ut qui ad legem naturæ ſervandam proni ſunt juventur, nec ab aliis impediantur, ceteri autem vi adigantur, ut minimum actus externos ad legem naturæ componant (§. 395.), eleemoſyna autem datur ad res neceſſarias comparandas, aut in rebus neceſſariis conſiſtit (§. 237. *part. 4. Jur. nat.*); Rectori civitatis curæ quoque eſſe debet, ne mendicis ac egenis deſint ea, quibus ad vitæ neceſſitatem indigent.

Superior in civitate proſpicit ſaluti omnium promiſcue, nemine excepto. Quamobrem curam quoque gerere debet mendicorum atque egenorum, qui alieno auxilio maxime indigent. Et id tanto magis fieri neceſſe eſt, tum quod mendicare ſoleant, qui jus mendicandi minime habent, tum quod ad eleemoſynas dandas parum promti haud raro ſunt, qui largiores, quam alii, dare poterant atque debebant. In Rep. vero danda eſt opera, ut omnia, quantum datur, recte fiant, nec recte prætermittitur, aut negligitur, quod hac in parte a cura ſuperioris expectari poteſt.

§. 735.

De mendicitate illicita non permittenda.

In Rep. permittendum non eſt, ut mendicent, qui labore ſuo tantum acquirere poſſunt, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit. Etenim qui labore ſuo tantum acquirere poſſunt, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit, jus mendicandi nullum habent (§. 220. *part. 4. Jur. nat.*), ſed iis laborandum eſt (§. 514. *part. 1. Jur. nat.*), minime vero mendicandum, ut otio illicito fruantur (§. 515. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum ſuperiori curæ eſſe debeat, ne ſubditi vitiis ſeſe dedant (§. 456.); in Rep. permittendum non eſt, ut mendi-

Digitized by Google

mendicent, qui labore suo tantum acquirere valent, quantum ad vitæ necessitatem sufficit.

Ostendimus jam alias, jus mendicandi non competere nisi his, qui vel virium defectu laborare nequit, vel cui, cum laborare vellet, occasio laborandi deest (§. 221. *part. 4. Jur. nat.*). Quando itaque quæritur, num quis labore suo tantum acquirere non possit, quantum ad vitæ necessitatem sufficit; non solum spectanda est laborandi impotentia, verum etiam occasionis defectus. Atque hinc elucescit, quantum intersit, ut cura eleemosynarum superiori relinquatur, cum privatus in casu dubio judicium de mendicitate relinquere teneatur mendicanti (§. 228. *part. 4. Jur. nat.*), ut haud raro contingat, eleemosynas accipi ab iis, quibus non debeantur, & ex adverso denegari his, qui iisdem maxime indigent, cum miser homo ferre teneatur, si petenti jure a natura sibi concesso eleemosyna denegetur (§. 225. *part. 4. Jur. nat.*).

§. 736.

De labore suppeditando iis, qui laborare possunt.

Quoniam in Rep. permittendum non est, ut mendicent, qui labore suo tantum acquirere valent, quantum ad vitæ necessitatem sufficit (§. 735.), iis tamen, cui vires ad laborandum suppetunt, non semper sese offert occasio laborandi, quo in casu jus mendicandi naturaliter competit (§. 221. *part. 4. Jur. nat.*); *si cui sunt vires ad laborandum sufficientes, ne mendicare teneatur, occasio laborandi eidem suppeditanda, aut, si talem per se invenire possit, ad laborem compellendus.*

Denuo hinc apparet, quam necesse sit, ut cura eleemosynarum Rectori civitatis relinquatur: privatus enim quamvis eleemosynam petenti denegare possit, eum tamen ad laborandum compellere & ne aliorum liberalitate abutatur impedire nequit. Labore suo cum unusquisque aliis prodesse debeat,

Digitized by Google

utpote qui tendit ad communem utilitatem; si qui laborare potest, mendicare vult, perinde est ac si organum aliquod in corpore nostro functionem suam non obeat.

§. 737.

De ergastulis.

Ergastulum apellare lubet locum, in quo opus facere coguntur, qui, cum labore possint, mendicare malunt. Idiomate patrio dicuntur Zucht- und Arbeit-Häuser. Quoniam, si cui vires ad laborandum sufficientes, ne mendicare teneatur, occasio laborandi eidem suppeditanda, aut, si talem per se invenire possit, ad laborem compellendus (§. 736.); *in Rep. instituenda sunt ergastula, & in iis ad laborem adigendi, qui, cum laborare possint, mendicare malunt.*

Apud Romanos ergastulum dicebatur locus, in quo mancipia deteriora in vinculis opus facere cogebantur. Ast cum apud nos servitus dudum in desuetudinem abierit; ergastula in significatu Romanorum nullum amplius habent usum. Quoniam vero significatus generalis, qui speciali inest, convenit loco, in quo opus facere coguntur, qui cum laborare possint, nolunt, sed ut in otio vitam transigant mendicando aliis sunt molesti, in quavis autem Rep. hoc tolerandum non est (§. 735.); significatus iste generalis a moribus nostris minime abhorret, consequenter cum vocabulo alio destituamur, in eodem quin idem accipere liceat dubitandum non est. Ceterum usus ergastulorum apud nos etiam hic est, ut homines nullius frugis in ea detrudantur, & ibidem opus perficere cogantur, donec ad meliorem frugem redierint.

§. 738.

De ptochotrophiis.

Ptochotrophium dicitur locus, in quo aluntur egeni, qui labore suo ea, quibus ad vitæ necessitatem indigent, acquirere nequeunt, ac destituuntur cognatis, vel amicis, qui indi-

Digitized by Google

indigentiæ ipsorum prospiciunt. Quoniam Rectori civitatis curæ esse debet, ne mendicis atque egenis desint ea, quibus ad vitæ necessitatem indigent (§. 734.); *in Rep. instituenda sunt ptochotrophia, & in iis alendi, qui labore suo acquirere non possunt ea, quibus ad vitæ necessitatem indigent, nec aliunde habere possunt.*

Non est quod dicas, his permittendum esse ut mendicent, aut alio modo egestati ipsorum ex eleemosynis publico nomine collectis esse prospiciendum. Etsi enim hoc fieri possit, immo debeat; propterea tamen non tolluntur ptochotrophia cumque facile appareat fieri haud quaquam posse ut omnes, quibus jus mendicandi natura competit, in ptochotrophiis alantur, hisce non obstantibus erunt adhuc multi, immo plurimi, quibus vel mendicatio permittenda, aut ex eleemosynis publicis prospiciendum. Negari adeo nequit, in Rep. bene constituta ptochotrophia desiderari minime debere.

§. 739.

Rector civitatis curæ habere debet ægrotos, quibus desunt ad vitam conservandam & sanitatem recuperandam necessaria. De cura ægrotorum.

Ægroti, quibus desunt ad vitam conservandam & sanitatem recuperandam necessaria, quamvis si sani essent labore suo acquirere valerent, quæ ad vitæ necessitatem faciunt, omnino accensendi sunt egenis (§. 238. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum Rectori civitatis curæ esse debeat, ut ne egenis desint ea, quibus ad vitæ necessitatem indigent (§. 734.) & quicquid is ad hoc conferre potest, ut subditi ægroti sanitatem recuperent, ad id faciendum obligetur (§. 715.); idem quoque curæ habere debet ægrotos, quibus desunt ad vitam conservandam & sanitatem recuperandam necessaria.

Ægroti per se miseri sunt: quodsi paupertas, vel egestas

Digitized by Google

miseriam auget, eidem opem ferre nolle, plus quam immisericordiæ est. Ne igitur sint immiserabiles, aliena misericordia vivere ac sanari debent. Quamobrem Rector civitatis nihil reliquum facere debet, quod ad miseros istos alendum & sanandum pertinet. Non est quod dicas, opera misericordiæ privatis esse relinquenda, quippe qui non modo naturaliter misericordes esse obligantur, (§. 257. *part. 4. Jur. nat.*) consequenter a Rectore civitatis ad id compellendi (§. 395.), verum etiam quatenus societatem civilem contraxerunt, quæ socii miseriam communem facit. Etenim cum plurima obstent, quo minus singuli faciant, quod est officii sui, & quod universitatis est, id Rector civitatis curæ habere debet; ad ipsum omnino pertinet, ut curæ habeat ægrotos miserabiles. Non de suo misericors esse tenetur Rector civitatis erga eos, qui a morbo, quo laborant, suo sumtu se liberare nequeunt: quæ enim facit qua Rector civitatis non suo sumtu facit, sed sumtu universitatis, seu publico, cujus quippe nomine id facit. Quamvis enim etiam qua privatus misericors esse debet (§. 259. *part 4. Jur. nat.*); facile tamen patet, officium privatum non extendendum esse ultra id, quod in potestate est.

§. 740.

De nosocomiis.

Nosocomium dicitur locus, in quo ægrotantes pauperes aluntur & curantur, idiomate patrio ein Kranken-Hospital. Quoniam Rector civitatis curæ habere debet ægrotos, quibus desunt ad vitam conservandam & sanitatem restituendam necessaria (§. 739.); *in Rep. nosocomia sunt instituenda.*

Pertinet huc etiam institutum Fratrum misericordiæ in Ecclesia Romana, qui ægrotantes egenos in monasterium suum colligunt &, ne languoribus atque inedia consumantur, miserorum membra refovent. Huc et[illegible] pertinet institutum aliorum religiosorum, qui pharmacopolia instruunt, & ex iis ægro-

Digitized by Google

ægrotis pauperibus medicamenta a Medico præscripta gratis præbent. Sed de istiusmodi institutis non tam in Jure naturæ, quam in Politica agendum. Ceterum nosocomiis affines sunt domus, in quibus milites invalidi aluntur, ne mendicando vitæ necessitatibus prospicere teneantur, sermone patrio Invaliden-Häuser dictæ. Qui enim universitatis causa valetudinis jacturam fecerunt, iis officium universitati præstitum non debet esse damnosum, quin potius hujus est miseriæ ipsorum, quæ prorsus tolli nequit, medelam afferre, quantum licet.

§. 741.

Rectori civitatis curæ esse debet, ut pupilli egeni educentur. Pupillis deesse vires sufficientes, ut labore suo acquirant ea, quæ ad vitæ necessitatem sufficiunt, per se patet. Et quoniam egeni sunt, nec res necessarias in patrimonio habent (§. 238. *part. 4. Jur. nat.*), consequenter iis quoque sumtibus destituuntur, quos educatio requirit. Quoniam itaque Rectori civitatis curæ esse debet, ne egenis desint ea, quibus ad vitæ necessitatem indigent (§. 735.), tum etiam ut probe educentur liberi, quorum parentes sumtus necessarios suppeditare ipsis non potuerunt (§. 429.); is utique curæ habere debet, ut pupilli egeni educentur. *De cura pupillorum egenorum.*

Educatio liberorum magnum momentum affert ad salutem Reip. ut ideo ejus intersit, ne negligatur, aut parum diligenter curetur. Pupilli personæ miserabiles sunt, & absque ope aliena sibimetipsi consulere nequeunt. Quodsi fuerint egeni, miseria ipsorum augetur inopia. Quamobrem si nemo sit, qui opem ferat, miseris pereundum foret. Crudelitatis itaque foret eos negligere. Quod vero universitatis sit, consequenter ad Rectorem civitatis pertineat eorum miseriam sublevare, abunde intelligitur per ea, quæ paulo ante annotavimus.

Digitized by Google

§. 742.

De orphanotrophiis. *Orphanotrophium* est locus, in quo educantur pupilli egeni. Idiomate patrio dicuntur Wayſen-Häuſer, itemque Kinder-Hoſpitäler. Quoniam Rectori civitatis curæ esse debet, ut pupilli egeni educentur (§. 741.); *in Rep. orphanotrophia condenda sunt.* Et quoniam perinde est, sive liberi fuerint parentibus orbi, consequenter pupilli (§. 840. *part.* 7. *Jur. nat.*), sive parentes sint adeo pauperes, ut sumtus in educationem liberorum facere nequeant; *in orphanotrophia etiam recipiendi sunt liberi parentum paupertate pressorum.*

Non hic agimus de iis, quæ pertinent tum ad pupillos in orphanotrophiis educandos, tum ad eos, qui educationi eorum præsunt. Quamvis enim Jus naturæ, sicuti omnes actus humanos, ita etiam institutionem orphanotrophiorum regat, & in iis singulis officia sua præscribat; ad particularia tamen istiusmodi descendere non licet: id quod etiam de ergastulis, ptochotrophiis, aliisque institutis publicis tenendum. Sufficit nos in Tomis anterioribus demonstrasse principia, unde talia sunt derivanda, & eum, qui animum advertit ad ea, quæ ex officiis lege naturæ præscriptis deduximus, non ignorare modum, quo illa hinc sint derivanda.

§. 743.

De liberis pauperibus absque parentum sumtu instituendis. *Si parentes equidem habeant, unde de alimentis prospicere possunt liberis suis, ast sumtus facere nequeunt, ut instituantur in iis, quorum notitia ipsis necessaria; in Rep. curandum, ut absque parentum sumtu instituantur.* Etenim in Rep. non modo curandum, ut liberi absque sumtu parentibus oneroso instituantur in iis, quorum notitia ipsis necessaria atque utilis, verum etiam negligendi non sunt illi, quorum parentes sumtus necessarios suppeditare non possunt (§. 429.). Quoniam ergo

Digitized by Google

ergo negligendi essent, nisi gratis instituerentur, quod per se patet; in Rep. curandum est, ut absque parentum sumtu instituantur.

Gratuita liberorum egenorum institutio species eleemosynæ est, cum ejus eadem sit necessitas, quæ alimentorum: hæc enim faciunt ad vitam animalem, illa vero requiritur, ut vitam hominis vivere possis. Pueri itaque & puellæ sumtu publico educandi alimentariis æquiparantur. Horum cum curam gerere debeat Rector civitatis (§. 741.), quidni etiam illorum?

§. 744.

De Scholis pauperum.

Scholæ pauperum dicuntur, in quibus gratis instituuntur pueri atque puellæ in iis, quorum notitia ipsis necessaria ac utilis. Quoniam ut hoc fiat, in Rep. curandum (§. 743.); *in Rep. scholæ pauperum sunt instituendæ.* Vocantur hæ etiam *Scholæ piæ*, idiomate patrio Armen-Schulen. Et quia in orphanotrophiis pueri atque puellæ similiter instituuntur in iis, quorum notitia ipsis utilis ac necessaria (§. 648. *part. 7. Jur. nat.* & §. 743. *h.*); *Scholæ pauperum cum orphanotrophiis conjungendæ.*

Orphanis æquiparantur liberi quoad institutionem quorum parentes in eandem sumtus facere nequeunt, cum perinde sit ac si carerent parentibus eorumque præsidio ac ope. Quamobrem a fine orphanotrophiorum minime abhorret, ut liberi pauperum in iis gratuita fruantur institutione. Iidem vero, quatenus carent didactro, componuntur egenis, quibus jus mendicandi, consequenter eleemosynam petendi (§. 53. *part. 4. Jur. nat.*), naturaliter competit (§. 244. *part. 4. Jur. nat.*). Solvere igitur pro ipsis didactum idem est ac eleemosynam dare.

§. 745.

Digitized by Google

§. 745.

De promiscua mendicandi libidine non toleranda.

In Rep. promiscua mendicandi libido non toleranda. Permittendum enim non est, ut mendicent, qui labore suo tantum acquirere possunt, quantum ad vitæ necessitatem sufficit (§. 735.), sed quibus sunt vires ad laborandum sufficientes iis occasionem laborandi suppeditare, aut, si talem per se inuenire possunt, eos ad laborem compellere debemus (§. 736.). Cumque naturaliter nemini liceat plus mendicare, quam quantum ad vitæ necessitatem sufficit (§. 226. *part.* 4. *Jur. nat.*); nec permittendum ut quis ultra id eleemosynas corrodat in præjudicium aliorum egenorum & cum molestia dantium. Curandum tamen mendicis atque egenis, ne desint ea, quibus ad vitæ necessitatem indigent (§. 734.). Quamobrem cum admissa promiscua mendicandi libidine fieri haud quaquam possit, ut eleemosynæ rite distribuantur, & illi eas accipiant, quibus debentur, nec plures accipiant, quam debentur, quod per se patet; in Rep. promiscua mendicandi libido toleranda non est.

Clarissime hinc perspicitur, quam sit necesse, ut eleemosynarum distributio curæ publicæ demandetur, & eleemosynatii constituantur.

§. 746.

De poenis mendicationis illicitæ.

Quoniam in Rep. promiscua mendicandi libido non toleranda (§. 745.), qui vero faciunt, quæ in Rep. permittenda non sunt, poenis coërcendi (§. 647.); *si qui mendicant, aut eleemosynas petunt, qui jus mendicandi non habent, eos punire licet; multoque magis eos, qui miseriam simulant, præsertim si crimen falsi accedat, seu falsis literis utantur ad fidem faciendam assertioni suæ, sive mendacio.*

Amori

Amori univerſali omnium erga omnes & ſocietati quoque civili maxime convenit, ut indigentiam egenorum ſublevent illi, quibus fortuna opes dedit. Nemo tamen ſua culpa carere debet iis, quæ ad vitæ neceſſitatem faciunt. In Rep. igitur conſtituenda curæ quoque habendum, ne ſint mendici, qui oſtiatim eleemoſynas colligere tenentur. Ideo Moſes in Rep. Hebræorum conſtituit, ne inter eos ſint mendici, & mendicationem ſuſtulit. Quam moleſta ſit promiſcue permiſſa mendicandi libido, ſatis experiuntur omnes, ubi ea non coërcetur, & quam parum ea conveniat amori univerſali & ſocietati civili, abunde intelligunt, qui perpendunt, quod eleemoſynas corrodant indigni, neglectis haud raro iis, qui easdem maxime merebantur, & otio diffluant, qui laborare debebant, tandemque nihil agentes male agere diſcant, immo mendicando viam ad furta ſternunt. Crimen falſi potiſſimum committitur fimulando damna ex incendiis: quales mendici recte furibus æquiparantur, non ſolum quatenus furripiunt, quod naturaliter egenis debetur, verum etiam quatenus error, in quem doloſe inducunt alios, dat cauſam eleemoſynis. Durum itaque videri minime debet, ſi prava mendicandi libido poenis coërceatur.

§. 747.

De nimietate eleemoſynarum praecavenda.

Cavendum eſt in Rep. ne ſubditi nimiis eleemoſynis onerentur. Etenim ſuperiori curæ eſſe debet, ne ſubditi in paupertatem, vel egeſtatem incidant, aut ad mendicitatem redigantur (§. 726.). Quamobrem cum eleemoſynæ nimiæ exhauriant opes ſubditorum, facile contingit, ut multi in paupertatem, vel egeſtatem incidant, aut tandem ipſi ad mendicitatem redigantur. Cavendum igitur eſt in Rep. ne ſubditi nimiis eleemoſynis onerentur.

Erunt forſitan nonnulli, qui exiſtimaturi ſunt, ſuperioris nullas eſſe hac in re partes. Enimvero plures ſunt, quam vi-

Digitized by Google

deri poterat, re non satis expensa. Ita huc pertinet, si ad eleemosynas referantur sumtus alio longe fine faciendi, quam ut necessitati egenorum prospiciatur. Et in eundem censum referendum, si permittatur, ut obtentu pietatis insignis ærarium commune sectæ condatur & hoc pacto excutiantur loculi locupletiorum, ut ipsi tandem & liberi ipsorum ad mendicitatem redigantur, qualis secta inter nos est eorum, qui *Herrenbutti* dicuntur, & comitem de *Zinzendorff* auctorem & directorem venerantur. Tacemus alia, quæ in casu emergente facile agnoscuntur. Eadem nimirum vigilantia requiritur in Rectore civitatis, quæ est patrisfamilias in domo sua, ut principiis obstet, ne sero medicina paretur.

§. 748.

De usuraria pravitate.

In Rep. usuraria pravitas non permittenda. Usuraria enim pravitas consistit in exactione usurarum illicitarum (§. 1432. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem cum usuræ illicitæ sint, si quis pecuniæ tuæ usu vix tantum lucrari potest, quantum ad præsentem vitæ necessitatem sufficit (§. 1416. *part.* 4. *Jur. nat.*), aut si excedunt lucrum, quod usu pecuniæ facere potest debitor (§. 1430. 1431. *part.* 4. *Jur. nat.*), consequenter omnium maxime, si quis extremæ necessitatis causa oppignorare cogitur reculas suas; facile apparet, solutionem istiusmodi usurarum esse viam ad egestatem & mendicitatem. Quoniam itaque Rectori civitatis curæ esse debet, ne subditi incidant in paupertatem, vel egestatem, aut ad mendicitatem redigantur (§. 726.); in Rep. usuraria pravitas non permittenda.

Usuris immodicis maxime vexari pauperes, abunde notum est: id quod charitati maxime repugnat, ut vel hoc nomine toleranda non sit usurarum immodicarum exactio (§. 395.). Plurimum autem nocet usuraria pravitas etiam aliis, qui alienæ pecuniæ usu indigent, etiamsi eodem nihil lucrari possint. Nocent

Digitized by Google

Nocent his uſuræ lege conceſſæ, prouti indies videmus, conſequenter multo majus damnum afferunt immodicæ, ſive ut tales exigantur, ſive in fraudem legis ſub alio titulo præſtentur. Quibus damna ex immodicarum & alias illicitarum uſurarum exactione emergentia non ignota ſunt; is haud difficuker perſpiciet, uſurariam pravitatem inter ea, quæ in Rep. toleranda non ſunt, haud poſtremum ſibi vendicare locum, præſertim cum lucri cupido, quæ plurimorum animos obſedit, facile eandem perſuadeat hominibus a charitate alienis. Quamvis enim charitas hominibus omnibus communis atque familiaris eſſe debebat; vix tamen ea quicquam aliud rarius eſt.

§. 749.

De poena uſurariæ pravitatis & uſurarum quantitate definienda.

Quoniam uſuraria pravitas in Rep. non permittenda (§. 748.), quæ vero permittenda non ſunt, pœnis coërcenda (§. 647.); *Superior non modo quantitatem uſurarum definire debet, verum etiam iis majores, aut etiam in caſu prohibito alias permiſſas exigentes punire.*

Difficile eſt in genere determinate, quantæ uſuræ juſtæ eſſe debeant, vi eorum, quæ in parte quarta de uſuris licitis ac illicitis demonſtravimus (§. 1407. & *ſeqq. part. 4. Jur. nat.*). E. gr. apud nos uſuræ quincunces legitimæ ſunt, conſtat tamen fructus ex prædiis percipiendos non æquiparari hiſce uſuris. Quodſi ergo quis pecuniam alienam in uſum prædii ſui vertere cogatur, is eadem non tantum lucratur, quantum pro ejus uſu ſolvere tenetur, conſequenter uſuræ quincunces in hoc caſu naturaliter illicitæ ſunt (§. 1407. *part. 4. Jur. nat.*), præſertim ſi reditus prædii poſſeſſori alendo vix ſufficiant, quamvis in caſu alio naturaliter exigi liceret iſtis majores. Videbimus tamen deinceps fieri non poſſe, ut rigor juris naturalis in Rep. ſtricte obſervetur, ſed tolerandum ſubinde, quod iniquum, niſi ſubditi ſua ſponte æqui eſſe velint, inſtar zizaniorum, quæ penitus evelli ſine majore damno, quod frugibus datur, nequeunt. Videndum tamen, ne plura tolerentur,

Digitized by Google

quam quæ tolerari neceſſe eſt. Cumque nihil magis ab omni humanitate alienum ſit, quam uſurariam pravitatem exercere in pauperes, præſertim a ditioribus; in hoc caſu tanto ſeverius animadvertendum in acerbiſſimos ſoeneratores.

§. 750.

De pecuniæ uſu opificibus pro levibus uſuris comparando.

Opera danda eſt in Rep. ut opifices, qui aliena pecunia indigent, ea tamen vix tantum acquirere poſſunt, quantum valent uſuræ legitimæ, ſeu lege definitæ, uſum illius pro levioribus uſuris accipere queant. Per ſe patet, intereſſe Reip. ut opifices in opificio ſuo ſint diligentes, conſequenter ſi aliena pecunia indigeant, ne ejus uſu deſtituantur. Quoniam vero uſuræ illicitæ ſunt, quæ excedunt lucrum pecuniæ alienæ uſu faciendum (§. 1407. *part.* 4. *Jur. nat.*), nec in Rep. permittendum ſit, ut cives ad paupertatem, vel egeſtatem rediganturtur (§. 726.); ſi qui opifices aliena pecunia indigent, ea tamen vix tantum acquirere poſſunt, quantum valent uſuræ legitimæ, opera omnino danda eſt, ut uſum pecuniæ alienæ pro levioribus uſuris accipere valeant.

Non eſt quod exiſtimes hic præcipi, quæ ad praxin transferri nequeunt. Etenim non deerunt multi, præſertim locupletiores, qui levibus uſuris contenti ſunt, modo de ſorte ſint ſecuri. Quamobrem inſtitui poteſt ærarium publicum, in quod pro levibus uſuris confertur pecunia, unde deinceps adminiſtratores proſpiciunt indigentiæ opificum. Immo quidni pluribus perſuadeat charitas, ut ſine uſuris in idem conferant nummos ſuos, quos inde recipere poſſunt, quando iisdem ipſimet indigent. Quænam vero de æratio iſtiusmodi publico ſint conſtituenda, ea ad prudentiam civilem pertinent.

§. 751.

De dilapidatione bonorum.

In Rep. tolerandum non eſt, ut cives bona ſua dilapident. Qui

Digitized by Google

Qui enim bona sua dilapidat, abusu ea imminuit (§. 459. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter tandem in paupertatem, immo egestatem incidit (§. 238. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum superiori maxime curæ esse debeat, ne subditi in paupertatem vel egestatem incidant (§. 726.); in Rep. tolerandum non est, ut cives bona sua dilapident. *rum non tolerandum.*

Equidem naturaliter unicuique permittendus rerum suarum abusus (§. 169. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter etiam in statu naturali nemo impedire potest, ne quis bona sua dilapidet; non tamen inde sequitur, idem nec licere in statu civili. Etenim in civitate libertas naturalis singulorum restringitur quoad eas actiones, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt (§. 47.), consequenter quatenus respectum quendam ad Remp. habent. Interest autem Reip. ne cives fiant pauperes, vel egeni.

§. 752.

Quoniam prodigus plures & majores facit pro facultate patrimonii sui expensas, quam quas officium aliquod erga seipsum, vel erga alios exigit (§. 385. *part. 4. Jur. nat.*), adeoque dominio suo abusus (§. 168. *part. 2. Jur. nat.*), bona dilapidat (§. 459. *part. 2. Jur. nat.*), in Rep. vero tolerandum non est, ut cives bona sua dilapident (§. 751.); *prodigalitas in Rep. non ferenda*, consequenter *prodigis administratio bonorum suorum adimenda & curator dandus, qui administret.* *De curatore prodigorum.*

Prodigis recte datur curator Jure Romano: id enim convenit æquitati naturali. Constare autem debet de prodigalitate, antequam dari possit. Quare si curatorem dari petunt agnati, vel cognati; prodigalitatem probare tenentur.

§. 753.

Similiter quoniam in Rep. tolerandum non est, ut cives *Quinam lu-*

di sint prohibendi.

cives bona sua dilapident (§. 751.), constat autem ludendo haud paucos bona sua dilapidare; *in Rep. prohibendi sunt ludi, quibus bona dilapidantur.*

Istiusmodi ludus est, qui Gallis *Bassette* dicitur, & qui in ejus locum successit *Pharao*, qui ludi nil habent, quod delectet, sed saltem insidias struunt pecuniæ alienæ.

§. 754.

De nimio lucro ex ludis.

Quoniam ludi sunt prohibendi, quibus bona dilapidantur (§. 753.); ideo *non permittendum, ut quis lucrum capiat ex ludis, quibus bona dilapidantur, seu ut ex iis fiat locupletior* consequenter *ferendum non est, ut ludo de lucro nimio, paupertatis & egestatis causa, contendatur* (§. 365. *part. 5. Jur. nat.*).

Controversia agitatur inter JCtos, utrum ex ludo concedenda sit actio in foro, nec ne. Quoniam naturaliter permittendus est etiam dominii abusus (§. 169. *part. 2. Jur. nat.*), & contractus lusorius omnis jure externo in se illicitus non est, modo hoc dare vel facere lege naturali non sit prohibitum (§. 357. *part. 5. Jur. nat*); si lege civili contrarium non sancitum, quod ex ludo debetur, solvendum, & per consequens ratio nulla est, cur actio in foro ad consequendum id, quod debetur, non sit concedenda. Enimvero si ludi fuerint prohibiti lege civili, vel lucrum, quod ex iis sperare licet, ad certam quantitate restrictum, in casu priori deneganda est actio in foro, in posteriori non concedenda nisi quoad quantitatem lege spectatam, salva tamen poena propter legis transgressionem irroganda. Quoniam tamen in Rep. prodigalitas non permittenda, ita ut prodigis adimenda sit bonorum administratio & dandus curator, qui administret (§. 752.); Reip. bene constitutæ parum convenit, ut ad consequendum id, quod ex ludo debetur, actio in foro concedatur, præsertim si in dando ludentes naturali libertate abutantur, quæ contractum luso-

Digitized by Google

lusorium tuetur (*§. 356. 357. part. 5. Jur. nat.*). Ceterum si quæras, quodnam lucrum sit nimium; haud difficulter respondetur, si consistat in pecunia, qua quis ad res necessarias, ac utiles sibi comparandas indiget, vel ad prospiciendum futuræ vitæ necessitati: id enim legi naturali repugnat (*§. 365. part. 5. Jur. nat.*) & curæ quoque superiori in statu civili incumbenti (*§. 726. b. & §. 238. part. 7. Jur. nat.*). Et huc omnino respiciendum, si vel certa lucri ex ludo capiendi quantitas determinanda, vel certis personis ludi omnes prohibendi (*§. 367. part. 5. Jur. nat. §. 395. b.*).

§. 755.

Similiter cum lotaria, olla & rota fortunæ æquiparentur ludis fortuitis (*§. 320. 336. 337. 353. part. 5. Jur. nat.*), & spes lucri facile imponat hominibus tenuioris sortis, ut pecuniam, quæ ad res necessarias sibi comparandas maxime indigent, aleæ committant, consequenter dilapident (*§. 459. part. 2. Jur. nat.*); ludi autem, quibus bona dilapidantur, permittendi non sunt (*§. 753.*); ideo *nec lotaria, nec olla fortunæ, nec rota fortunæ in Rep. bene constituta permittenda, nisi boni publici causa, quod aliter promoveri nequit, lotaria concedantur* (*§. 24. 25.*). *De lotaria, olla & rota fortunæ.*

Lotariarum hodie frequentissimarum maximus abusus est, qui in detrimentum Reip. cedit, cum homines tenuioris sortis spe lucri ad dilapidandam pecuniam, qua maxime indigent, adducantur, multum pecuniæ in regiones peregrinas mittatur, pro qua nihil recipitur. Nemo negare potest, id non fieri sine manifesto Reip. detrimento. Quamvis itaque lotariarum detur usus fini civitatis conveniens, ac ideo non improbandus; non tamen propterea lotariæ promiscue sunt permittendæ, & usus earum, quantum datur, ita restringendus, ne facile degeneret in abusum, aut, si a potiori fieri debeat denominatio, magis abusus, quam usus dici mereatur. Dico, quantum datur:

Digitized by Google

tur: neque enim concipi poteſt ulla Resp. quæ absque omni injuria adminiſtratur. Reip. omni ex parte perfectæ nonniſi in utopia locus eſt. Id tamen minime obſtat, quo minus ea cognoſcamus, quæ ad perfectionem Reip. pertinent, ut ad eam contendamus, ne quid deficiat culpa noſtra. Olla autem ac rota fortunæ ad publicam utilitatem nihil prorſus confert & lucra plerumque in rebus conſiſtunt, quas emere nollet, qui eas lucratur, & inſidias utplurimum ſtruunt hominibus tenuioris ſortis, qui cani apud *Æſopum* fruſtum carnis perdenti, dum umbræ inhiat, aſſimilantur.

§. 756.

Luſor & aleator quinam dicatur.

Luſores dicuntur, idiomate patrio Spieler, qui luſum tanquam artem exercent: in ſpecie autem *Aleatores* appellantur, qui aleam tanquam artem exercent. Quoniam hominibus laborandum eſt (§. 514. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter labore ſuo unusquisque acquirere debet pecuniam, qua res, quibus indiget, ſibi comparet; *luſorum non eſt vitæ genus honeſtum* (§. 968. *part. I. Jur. nat.*).

Convenit hoc notionibus hominum communibus. Inde nimirum eſt, ut luſores & aleatores vulgo male audiant, & communis hominum opinio labem quandam famæ ipſorum adſpergit.

§. 757.

De luſoribus non tolerandis.

Quoniam luſores & aleatores luſum & aleam tanquam artem exercent (§. 756.), conſequenter pecuniæ aliorum inhiantes præſertim imperitos & incautos defraudare ſtudent & iſtiusmodi ludos eligunt, in quibus ipſis eſt major ſpes lucrandi, quam perdendi metus, immo de lucro nimio contendere ſolent, ut ea de cauſa multos ad pecuniam dilapidandam ſeducant, tolerandum vero non ſit, ut unus alterum

Digitized by Google

alterum fraudet (§. 537.) & ut ludendo pecunia dilapidetur (§. 753.), immo ad laborem compellendi, qui, cum possint, laborare nolunt (§. 514. *part. 1. Jur. nat.* & §. 395. *h.*); *lusores & aleatores in Rep. tolerandi non sunt.*

Tolerandum non est, ut cives pecuniam dilapident (§. 751.), nec fraudi faciendus locus (§. 537.). Proscribendum igitur e Rep. est vitæ genus, quo non aliud intenditur, quam ut pecunia dilapidetur, ac alii defraudentur. Neque enim sufficit, ut incauto nebulas offundat lucri cupido, ne prævideat damnum, quod incurrit, immo ne videat periculum, cui pecuniam exponit, nec fraudem lusoris advertat, qua eidem insidiatur. Præcavendum omnino est, præsertim cum hoc facillime fieri possit, ne sero nimis cum damno suo sapere discant, qui tempestive sapere nolunt. Convenit maxime naturæ societatis civilis, quæ omnium eandem contrahentium facultates naturales animæ atque corporis unit, aut, si mavis, communes facit, ut intellectus eorum, qui sapiunt, suppleat defectum illorum, qui per se sapere nequeunt.

§. 758.

Superiori curæ habendum, ut pupillis sint tutores, qui eorum educationem diligenter curant & eorundem bona fideliter ac diligenter administrant. Etenim superiori curæ esse debet, ut liberi, consequenter etiam pupilli (§. 840. *part. 7. Jur. nat.*) probe educentur (§. 429. *h.* & §. 255. *part. 7. Jur. nat.*), cumque ferendum non sit, ut quis ab altero fraudetur (§. 537.), & præcavendum ne quis in paupertatem, vel egestatem incidat, aut ad mendicitatem redigatur (§. 726.), pupilli autem bona sua per se administrare nequeant, illi etiam curæ esse debet, ut bona pupillorum fideliter administrentur. Quoniam itaque tutorum est pupillos educare & bona eorundem administrare fideliter ac diligenter (§. 850. *part. 7.*

De cura superioris circa tutelam.

Digitized by Google

Jur. nat.); superiori omnino curæ habendum, ut pupillis sint tutores, qui eorum educationem diligenter curant eorundemque bona fideliter atque diligenter administrant.

Pupilli, cum orbi sint parentibus, quos ipsa natura ducit ad eos educandum & fortunatos efficiendum, miseratione digni sunt, quod parentibus orbati fuerint, antequam essent educati & fortunæ ipsorum ab illis prospectum fuisset. Plus igitur quam inhumanum foret, nisi in societate civili universitas causam eorum suam faceret, consequenter superior, penes quem jus universitatis est, eorum curam in se susciperet. Non suæ tantum utilitatis causa homines in civitatem coiverunt; verum etiam liberis suis non minus, quam sibi prospicere voluerunt. Obligationi itaque, qua universi tenentur singulis (§. 28.), etiam inest cura pupillorum. Quod igitur pupilli per se facere nequeunt, sed per alios fieri necesse est, id ut recte fiat curæ superioris relictum.

§. 759.

Ea disertius explicatur. Quoniam superiori curæ habendum, ut pupillis sint tutores, qui eorum educationem diligenter curant & eorundem bona fideliter administrant (§. 758.); *ad tutelam administrandam admittendi non sunt, nisi personæ, quæ educationem pupillorum diligenter curare eorundemque bona fideliter administrare valent, & ut muneri suo satisfaciant omni cura dispiciendum,* consequenter *tutores testamentarii & legitimi prævia cognitione confirmandi, antequam administrationi se submittant & si tales desint, vel satis tuto tutelam illis demandari non posse appareat, publicæ auctoritate dandi idonei.*

Paucis hic multa comprehenduntur, ex quibus ea facile deducuntur, quæ de tutela constituenda sunt in civitate tum quoad ejus delationem, tum quoad administrationem.

§. 760.

Digitized by Google

§. 760.

Magistratus tutelaris sunt personæ, quibus publico nomine omnis cura tutelarum committitur. Quamobrem *magistratus tutelaris est inquirere, num tutores testamentarii & legitimi sint idonei, & his deficientibus dare tutores, nec non despicere, num tutores tutelam rite administrent, & curare, ut hoc faciant.* Jure Romano *tutores* a magistratu dati dicuntur *dativi*, qui significatus quoad statum civilem etiam in Jure naturæ retineri potest. Patet autem, *magistratum tutelarem esse tutorem superiorem, cui ceteri subsunt.* Idiomate Germanico collegium illarum personarum, quæ tutelarum curam publicam gerunt, vocatur das Vormundschafts-Amt.

De magistratu tutelari.

Necessitatem magistratus tutelaris colligere licet ex iis, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 758.). Facile autem patet magistratum hunc munere suo recte fungi debere, ut pupillis satis sit prospectum.

§. 761.

In Rep. curæ habendum, ut, qui bene de eadem merentur, a ceteris honorentur. Quoniam enim unusquisque alterum tanti existimare debet, quanti meretur (§. 647. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter agnoscere perfectionem alterius (§. 538. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque virtutes intellectuales atque morales, quibus instructus est (§. 548. *part. 1. Jur. nat.*); si qui de Rep. bene merentur, ceteri ejus merita agnoscere & propter ea honorare eosdem debent. Quamobrem cum in Rep. opera danda sit, ut singuli minimum actus externos ad legem naturæ componant (§. 395.), honor autem in actibus externis consistit (§. 538. *part. 1. Jur. nat.*); in Rep. curæ habendum, ut, qui bene de eadem merentur, a ceteris honorentur.

De honorandis iis, qui bene de Rep. merentur.

Digitized by Google

Honor hic tanto magis debetur, quanto certius eſt eos, qui de Rep. bene meretur, bene mereri de ſingulis ejus membris, etſi diverſo modo. Alii enim conſulunt univerſis, alii vero coetui cuidam in ſpecie, ita ut univerſus iſtiusmodi perſonarum ordo de ſingulis bene mereatur, conſequenter perſonæ iſtæ ab aliis honorandæ propter earum merita in ſe & propter merita univerſi ordinis, in quo ſunt, in ſingulos. Ita e. gr. paſtor eccleſiæ meretur honorem propter merita in eccleſiam particularem, in qua munere ſuo fungitur, meretur vero etiam honorem propter merita totius ordinis eccleſiæ miniſtrorum in univerſos. Ideo Apoſtolus 1. Tim. V, 7. Qui bene præſunt, ait, presbyteri, duplici honore digni habeantur, nimirum primo, quia bene præſunt, ſecundo autem, quia ſunt in ordine presbyterorum, per ſe honore digno, conſequenter propter munus, quo funguntur.

§. 762.

De honore ob merita in Remp. determinando.

Quoniam in Rep. curæ habendum, ut, qui bene de eadem merentur, a ceteris honorentur (§. 761.), nemo autem ob merita in Remp. alterum honorare poteſt, niſi qui verum de iis judicium ferre valet (§. 540. *part. 1. Jur. nat.*), ut vero merita in Remp agnoſcantur & rite æſtimentur a ſinguhs, fieri haud quaquam poteſt; ideo *in Rep. determinandi ſunt actus externi, quibus honor ob merita in Remp. exhibetur bene de eadem merentibus a ceteris* (§. 538. *part. 1. Jur. nat.* & §. 395.).

Haud difficile intelligitur, fieri non poſſe, ut ſinguli merita aliorum in Remp. diſtincte agnoſcant &, prouti par eſt, æſtiment, conſequenter unumquemque, qui de Rep. bene meretur, tanti exiſtiment, quanti meretur. Qui vero per ſe de re aliqua judicare nequit, is ſtare tenetur judicio aliorum. Quamobrem ſubditi acquieſcere debent in judicio ſuperioris de meritis in Remp. Hoc autem ſuppoſito, quæritur, quibusnam actibus externis judi-

Digitized by Google

judicium istud significare debeant, ut honorem debitum bene merentibus exhibeant. Necesse igitur est, ut superior eosdem determinet, cujus ideo standum est voluntate, quemadmodum statur ejusdem judicio. Per se enim patet, actus istos externos, in quibus honor consistit, judicio illo niti (§. 538. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 763.

De titulis.

Tituli vocantur vocabula, quibus significatur præcellentia cujusdam supra alios ob merita in Remp. Idiomate patrio dicimus Titul. Huc pertinet, quod nomina, quibus certum in Rep. munus designatur, tribuantur aliis, qui hoc munere non funguntur, ut indicetur, ipsos quoad merita singularia iis æquiparari, qui funguntur.

Titulos definimus, quales esse debent, insuper habito abusu, cujus ratio habenda in Jure naturæ non est, in quo nimirum veritati unice litatur, & titulorum usus, non abusus demonstratur.

§. 764.

De titulorum & præcedentiæ effectu.

Tituli & præcedentia sunt modi apti ad honorem bene de Rep. merentibus a singulis exhibendum. Etenim titulis significatur præcellentia supra alios propter merita in Remp. (§. 767.) & præcedentia est jus prioritatis in ordine a pluribus simul observando (§. 104. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum titulos alteri tribuendo & præcedentiam in conventibus concedendo significetur, nos merita ipsius in Remp. agnoscere ac de iis stare judicio superioris, consequenter eidem honorem, quem judicio superioris meretur, exhibeamus (§. 538. *part. 1. Jur. nat.*); tituli & præcedentia sunt modi apti ad honorem bene de Rep. merentibus a singulis exhibendum.

Digitized by Google

Nimirum si tituli & præcedentia determinantur pro diversitate meritorum in Remp. singulis, qui de ea bene merentur, vel etiam certo cuidam ordini convenientes; eo ipso docetur, quomodo ob merita in Remp. unusquisque sit honorandus. Signa, quæ significatum fixum ac determinatum habent, referri nequeunt inter inania, quasi tituli sint vocabula nihil significantia & præcedentia nihil habeat realitatis, consequenter in titulis & præcedentia honor non consistat verus, sed saltem putatitius. Id enim tum demum verum est, si tribuuntur non merentibus, in quo abusus consistit usum minime tollens.

§. 765.

In quo dignitas civilis consistat. Quoniam tituli & præcedentia sunt modi apti ad honorem bene de Rep. merentibus exhibendum (§. 764.), in hoc autem honore præcellentia supra alios consistit, qui nimirum eodem carent, & præcellentia hæc dignitas civilis est (§. 205.; *dignitates civiles in titulis & præcedentia consistunt.*

Confunduntur subinde munera Reip. cum dignitatibus civilibus, quia hæ istis adhærent inseparabiliter, ita ut qui munere fungitur, dignitate, quæ illam comitatur, fruatur. Sed quæ diversa sunt, ea a se invicem distinguenda.

§. 766.

Quibusnam dignitates civiles conferendæ. *Dignitates civiles non conferendæ sunt nisi meritis.* Consistunt enim in titulis & præcedentia (§. 765.). Quamobrem cum tituli significent præcellentiam supra alios ob merita in Remp. (§. 763.), ut sint modi apti una cum præcedentia ad honorem bene de Rep. merentibus a singulis exhibendum (§. 764.), unicuique autem honor exhiberi debet, quem meretur (§. 648. *part. 1. Jur. nat.*); dignitates civiles non sunt conferendæ nisi meritis.

Ponamus dignitates civiles conferri absque meritis. Quo-

Digitized by Google

Quoniam in titulis & præcedentia consistunt (§. 765.); tituli & præcedentia non amplius erunt signa præcellentiæ supra alios ob merita in Remp. ideoque desinunt esse modi apti ad honorem exhibendum bene de Rep. merentibus a singulis, prouti ex demonstratione anteriori (§. 764.) clarius eluceſcet. Erunt itaque dignitates civiles prorsus inutiles & nonnisi arrogantiam fovere aptæ (§. 566. *part. 1. Jur. nat.*), quæ cum sit vitium (§. *cit.*), a vitiis autem revocandi sint subditi (§. 456.), consequenter non ad eadem incitandi; dignitates civiles conferri non debent nisi meritis.

Arrogantia vitium est, quod plurimum nocet Reip. si præsertim publice fovetur. Ut enim alia taceamus, si dignitates civiles conferantur immeritis, arrogantia luxum parit, in Rep. minime tolerandum (§. 733.); utpote eidem maxime infensum. Quodsi dignitates civiles conferantur absque meritis, necesse est, ut vilescant, & his superbientes eridentur ab iis, qui rectius sapiunt, præsertim exteris. Accidit hoc inprimis, si nomina munerum, quibus dignitates adhærent, convertantur in titulos, ut iis superbiant homines, quorum non sunt paria merita cum illis, qui muneribus istis funguntur. Arrogantes non modo sibi persuadent, se his esse pares, verum etiam ab aliis tales haberi prætendunt: id quod in contemtum ipsorum munerum vergit, cum dignitas illorum, qui hisce funguntur, simul vilescat, consequenter hi priventur honore, quem habere debebant, ut habeant alii, qui eam in contemtum adducunt. Non existimandum est, dignitates civiles sola hominum opinione niti & ab ea accipere naturam suam, seu, ut clarius loquar, determinationes essentiales ab ea esse petendas: id enim tum demum obtinet, ubi abusu promiscue conferuntur cuilibet, quem arrogantia compellit ad eas petendas, contrarium vero abunde patet ex iis, quæ hactenus dicta sunt. In Rep. bene constituta ratio regit omnes actus, nec recte admittitur, nisi quod ex fine civitatis vi principiorum Juris naturæ

naturæ legitime deducitur. Pseudopolitici sunt, qui aliter sentiunt, nec saluti publicæ consulunt, sed officiunt.

§. 767.

De dignitatibus civilibus & titulis venalibus.

Quoniam dignitates civiles non conferendæ sunt nisi meritis (§. 766.), promiscue vero ad easdem patet aditus, si fuerint venales, seu certa pecuniæ summa soluta obtineri possint; *dignitates civiles*, consequenter *tituli* (§. 765.) *non debent esse venales.*

Sunt equidem qui existimant medium aptum esse ad locupletandum fiscum vendere titulos. Sed in Rep. bene constituta fiscus augendus non est modo saluti publicæ adverso & contra nitente Jure naturæ, quod reverenter habendum in omnibus, quæ in Rep. & Reip. causa fiunt. Pertinent huc, quæ modo de Pseudopoliticis annotata sunt (*not.* §. 766.). Resp. bene constituta non fert actus contradictorios in exercitio imperii, nec ita prospiciendum est bono publico, ut dum prosis in parte una, noceas in altera. Multa circumspectione opus est, ut quid expediat in Rep. rite dijudices. Qui bonum publicum non ex omni parte cognoscunt, iis facile imponit ratio a parte una desumta: neque enim perspiciunt indivulsum nexum, quem partes omnes inter se habent. Actus, in quibus exercitium imperii consistit, ita inter se connectuntur, ut unus dependeat ab altero, consequenter si unus vitiosus fuerit, contagium inde trahat alter, & idem continuo etiam ad alios serpat, ac difficile tandem sit fontem malorum perspicere. Quamobrem hic maxime valet illud pervulgatum, principiis esse obstandum.

§. 768.

De usu dignitatum civilium.

Dignitates civiles debent esse præmia meritorum insignium in Remp. Consistunt enim in titulis & præcedentia (§. 765.) & per titulos significatur præcellentia supra alios ob merita in

Digitized by Google

in Remp. (§. 763.), cumque præcedentia consistat in jure prioritatis in ordine a pluribus simul observando (§. 104. *part. 1. Jur. nat.*), hac ipsa significatur, quod supra alios meritis in Remp. excellat. Quamobrem si ob merita insignia in Remp. dignitates civiles a superiori conferuntur, ad quas conferendas nemini perfecte obligatur, ita ut eas exigere possit, quod per se patet; dignitates civiles spectantur tanquam præmium meritorum insignium in Remp. (§. 295. *part. 1. Phil. pract. univ.*) Quoniam itaque dignitates civiles non conferendæ sunt nisi meritis (§ 766.); dignitates civiles debent esse præmia meritorum insignium in Remp.

Intereſt Reip. ut ad præclara in Remp. merita incitentur illi, quibus sunt vires sufficientes ad præclare de Rep. merendum. Motivis itaque opus est (§. 889. *Psych. empir.*), consequenter præmiis (§. 296. *part. 1. Phil. pract. univ.*), sine quibus non concipitur civilis obligatio ad præclare de Rep. merendum (§. 301. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Præmia non consistunt nisi in pecunia & honore. Gloria stimulus est ad præclara præstanda absque ulla spe lucri (§. 771. *Psych. empir.*), & qui gloria ducuntur, ii sunt, qui præclare de Rep. mereri student. Placet his benignum aliorum de se judicium (§. 772. *Psych. empir*), ac per consequens honor alit studium bene de Rep. merendi. Quamobrem cum tituli & præcedentia, consequenter dignitates civiles (§. 765.), sint medium aptum ad honorem bene de Rep. merentibus a singulis exhibendum (§. 764.); præmia meritorum egregiorum in Remp. meliora concipi nequeunt dignitatibus civilibus, sive ea cohæreant muneribus publicis, sive eadem ab iis sint divulsa. Quodsi conferantur promiscue petentibus, nulla prorsus habita ratione meritorum, omnium autem maxime si fuerint venales; præmia esse desinunt, quæ ad præclare merendum incitamento esse debent, ut ideo dignitates civiles promiscue conferre in immeritos idem propemodum sit ac

Digitized by Google

studium bene merendi de Rep. supprimere. Etsi vel maxime etiam conferantur in bene meritos gratis, motivis tamen detrahitur vis, ubi vident immeritos æquiparari bene meritis. Non ignotæ sunt querelæ, nec eæ injustæ, si meritis nullum statuatur pretium, vel saltem non statui appareat.

§. 769.

De ignominia, quibus præsertim afficiuntur præsertim ad dignitates civiles evecti.

In Rep. ferendum non est, ut quis ignominia afficiat alios, quibus præsertim eos, qui dignitatibus civilibus ornati. Etenim nemo alterum ignominia afficere debet (§. 829. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum curandum sit in Rep. ut actiones minimum externæ ad normam legis naturalis componantur (§. 395.); in Rep. ferendum non est, ut quis ignominia afficiat alios. *Quod erat unum.*

Enimvero in Rep. potissimum curæ habendum, ut qui bene de Rep. merentur a ceteris honorentur (§. 761.), & eo fine in eos conferuntur dignitates civiles (§. 763. 764.), tanquam præmia meritorum egregiorum in Remp. (§§. 768.). Quamobrem cum ignominia honori contrarietur (§. 538. 811. *part. I. Jur. nat.*); in Rep. inprimis ferendum non est, ut ignominia afficiantur, qui dignitatibus civilibus ornati. *Quod erat alterum.*

Peccat in personam, qui alium ignominia afficit, quatenus naturaliter unicuique debetur, ne ab alio ignominia afficiatur. Peccat vero etiam in Remp. quatenus superioris voluntate, quæ universi populi voluntas esse censetur, aut, si mavis Reip. instar personæ consideratæ, is, quem honorari præ ceteris vult, ignominia non afficiendus. Obligatio autem, qua tenemur Reip. venit ab ipsa obligatione naturali, quatenus non modo civitates legi naturali convenienter instituuntur, verum etiam Resp. constituuntur, prouti ex anterioribus abunde liquet, ut ideo obligatio utraque non lædendi famam alterius sit æquiparanda. Quot vero modis ignominia qui afficiatur, patet ex iis, quæ alias prolixe docuimus (§. 812.

Digitized by Google

(§. 812. *& seqq. part. 1. Jur. nat.*). Pertinent huc inprimis, quæ de injuriis specialiter dictis tam verbalibus, quam realibus tradidimus (§. 874. *& seqq. part. 1. Jur. nat.*).

§. 770.

Quoniam in Rep. ferendum non est, ut quis alios, præsertim eos, qui dignitatibus civilibus ornati sunt, ignominia afficiat (§. 769.), qui vero faciunt, quæ in Rep. permittenda non sunt, poenis coërcendi (§. 647.), & delicta atque crimina graviora poenis quoque gravioribus coërcenda (§. 626.) & publica magis, quam privata (§. 627.), consequenter ea, quibus injuria committitur adversus Remp. quam illa, quibus injuria saltem affertur privato (§. 581.); *Qui alios ignominia afficiunt, puniendi sunt; qui vero ignominia afficiunt dignitatibus civilibus conspicuos, gravius puniendi.* *De poena eorum, qui ignominia afficiunt alios.*

Ostendimus jam superius injurias tam reales, quam verbales puniri posse in Rep. (§. 651.): sed ostendendum quoque erat, graviorem poenam mereri eos, qui ignominia afficiunt viros dignitatibus civilibus conspicuos. Duplicem hi committunt injuriam, utpote eodem actu & personam, & Remp. lædentes (*not.* §. 769.). Duplicem ideo merentur poenam, consequenter poena graviori afficiendi. Ut vero hoc jure utatur superior absque omni conscientiæ labe, sollicitè cavere debet, ne dignitates civiles conferantur in immeritos, consequenter ne culpa ipsius vilescant. Alias enim quodammodo concurrere videtur ad injuriam in viros dignitatibus civilibus ornatos, quatenus in hos committitur, cum dignitatibus istis destituti se illis pares existiment, & ipsæ dignitates contemtus materiam aliis præbeant: id quod in vulgus notum est. Quodsi tituli sint nomina munerum publicorum, quibus dignitates cohærent, contemtus in eos ipsos redundat, qui muneribus istis funguntur: id quod multum detrahit autoritati ipsorum, qua maxime indigent.

Digitized by Google

§. 771.

De modo obligandi ad praeclara in Remp. merita.

Ad praeclara in Remp. merita civiliter nemo obligari potest nisi dignitatibus civilibus. Etenim dignitates civiles, remoto abusu, sunt praemia meritorum insignium in Remp. (§. 768.). Enimvero obligari civiliter nemo potest nisi poenis & praemiis (§. 301. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum per se patet, poenas non esse aptas ad aliquem obligandum, ut praeclare de Rep. mereatur; ad praeclara in Remp. merita civiliter nemo obligari potest nisi dignitatibus civilibus.

Non est, quod objicias, praemia quoque consistere posse in pecunia (*not.* §. 768.), aut rebus aliis, quae donari possunt. Neque enim solum jam ostendimus honore potissimum alii merita egregia in Remp. (*not. cit.*); sed & considerare debemus, dona pleraque esse transeuntia, nec ad omnium notitiam pervenire, titulos vero & praecedentiam, seu dignitates civiles esse constantes & omnibus innotescere, quorum interest, ne earum sint inscii. Neque est, quod porro urgeas, dari etiam res alias, quibus collatis in viros de Rep. praeclare meritos significatur eorum praecellentia supra alios, quales sint nostro aevo in Europa ubivis recepti ordines equestres, quos idiomate patrio Ritter-Orden appellamus, & ordo bene meritorum, quem nomine a Gallis mutuato l'ordre pour merite dicimus, idiomate patrio den Verdienst-Orden dicere debebamus, cum nostra lingua vocabula composita amet, quae lingua Latina & Gallica non ferr. Etenim hi ordines non differunt a titulis, quamvis certis insignibus gaudeant ad personas in eos evectas ab aliis distinguendas. Inventum hoc maximi faciendum, sed in Politica disertius explicandum. Ceterum ex propositione praesente denuo eluceset, quantum intersit, ut dignitatum civilium eviterur abusus, quo vilescunt, immo in contemtum adducuntur.

§. 772.

Digitized by Google

§. 772.

De puniendis libellorum famosorum autoribus & vulgatoribus.

Libellorum famosorum autores & qui eos divulgant, graviori poena coërcendi, quam quæ in injurias verbales alias statuitur. Etenim libellorum famosorum autores scriptis verbis injuriam inferunt aliis, eorumque famam lædunt (§. 876. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter delictum, vel crimen eorum præmeditatum est, & malitia manifesta (*not.* §. 631.). Quamobrem cum delictum vel crimen præmeditatum graviori poena sit coërcendum (§. 631.) & in gravitate poenæ determinanda habenda sit ratio malitiæ (§. 632.); libellorum famosorum autores graviori poena coërcendi, quam quæ in injurias verbales alias statuitur. *Quod erat unum.*

Enimvero qui libellos famosos divulgant, ad injurias, quæ per eos inferuntur, concurrunt, quatenus nimirum autor illius non alio fine libellum famosum conscribit, quam ut quæ nocent famæ alterius per alios latius divulgentur (§. 106. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum poenam inter se communicent qui ad actionem ejus, qui te læsit, concurrunt (§. 1082. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter ob læsionem istam simul puniendi (§. 1081. *part. 1. Jur. nat.*), pro qualitate facti proprii (§. 1083. *part. 1. Jur. nat.*); qui libellos famosos divulgant, perinde ac eorum autores *per demonstrata*, graviori poena afficiendi, quam quæ in injurias verbales alias statuitur. *Quod erat alterum.*

Si libellorum famosorum significatus latior retinetur, quem in Jure naturæ vocabulo tribuimus (§. 876. *part. 1. Jur. nat.*); cum injuriæ verbales gradu differant, poenæ quoque libellorum famosorum gradu differre debent, nec eadem affici possunt eorum autores, vel vulgatores. Quodsi vero injurias leviores a gravioribus distinguere velis, & libellos famosos

Digitized by Google

reſtringere ad crimina, quæ alicui objiciuntur, quemadmodum in Jure civili obtinet; hoc utique civile eſt & rationem civilem habet, non naturalem (*not. §. cit.*). Nimirum ſignificatus reſtrictior huc facit, ut facilius certa quædam poena libellorum famoſorum determinari poſſit. Quod vero vulgatores eorundem cum ipſorum autoribus in eundem fere cenſum referantur, manifeſta ratio eſt, quia nimirum absque animo injuriandi non propalantur. Qui enim famæ aliorum detrahi non vult, is quæ eidem adverſa ſunt minime propalabit. Delectatur utique læſione famæ alterius, qui eidem adverſa divulgat.

§. 773.

De vulgatoribus libellorum famoſorum in ſpecie.

Quoniam qui libellos famoſos divulgant, puniendi (§. 772.); *typographi* quoque *libellum famoſum excudentes & qui emendum vendendumque curant, puniendi.* Et quia *cenſores librorum* permittere non debent, ut typis deſcribantur ſcripta bonis moribus & ſtatui publico adverſa continentes (§. 477.), conſequenter impedire tenentur, ne libelli famoſi excudantur; *ſi libellos famoſos imprimi permittunt, gravius omnino puniendi, quam qui alio modo eos divulgant.*

Quædam jam ſupra de cenſoribus libellorum famoſorum annotavimus, ut turpitudinem facti oſtenderimus (*not. §. 477.*). Hic vero adhuc oſtendendum erat, in eos ſeverius eſſe animadvertendum, cum non modo ad vulgationem illorum concurrant, verum etiam faciant, quod e diametro officio illorum repugnat.

§. 774.

Onera Rep. quid ſint.

Onera Reip. dicuntur omnes ſumtus Reip. adminiſtrandæ ac defendendæ cauſa faciendi.

Multos & magnos requiri ſumtus tum ad Remp. bene conſtitutam

Digitized by Google

stitutam administrandam, tum ad eandem contra omnes insultus hostiles defendendam, non minus ex iis intelligitur, quæ hactenus de Rep. constituenda demonstrata fuerunt, quam obvia experientia confirmatur, ita ut nemo sit, qui onera Reip. in dubium vocare possit. Hoc adeo manifestum est, ut derideretur, qui fingere vellet Remp. sine sumtu administrandam & defendendam.

§. 775.

Onera Reip. ferre tenentur universi. Qui enim in civitatem coëunt, sese invicem sibi obligant, quod commune bonum conjunctim promovere velint (§. 28. 9.). Quamobrem cum hoc obtineri non possit, nisi Resp. administretur & contra omnes insultus hostiles defendatur, prouti ex iis abunde intelligitur, quæ hactenus de Rep. constituenda, consequenter de civitate rite ordinanda (§. 16.), demonstrata fuerunt, sine sumtu autem Resp. nec administrari, nec defendi possit (*not.* §. 774.); universi quoque istos suppeditare debent. Quoniam itaque sumtus ad Remp. administrandam & defendendam necessarii sunt onera Reip. (§. 774.); onera Reip. ferre tenentur universi. *Quinam onera Reip. ferre debeant.*

Nihil magis naturale est, quam ut ad sumtus societatis causa faciendos contribuant omnes conjunctim, qui in ea sunt, nisi ob rationem quandam singularem consensu ceterorum quidam eximantur. Quamobrem cum civitas sit societas (§. 4.), qui in ea sunt ad sumtus quoque civitatis causa faciendos, consequenter ad Remp. administrandam & defendendam necessarios conjunctim contribuere debent.

§. 776.

Quoniam onera Reip. ferre tenentur universi (§. 775.); *De modo onera Reip. sustentandi*

in Rep. constituenda determinandi quoque sunt modi, quibus sumtus

Digitized by Google

determinando.

tus ad Remp. administrandam ac defendendam necessarii suppeditantur & sustentantur (§. 774.).

In constituenda Rep. haud postrema cura est determinare modum onera Reip. sustentandi, ne singuli nimis onerentur, & ne desint sumtus necessarii ad Remp. administrandam & defendendam. Hisce enim deficientibus, fieri haudquaquam potest, ut finis civitatis obtineatur, consequenter singulis, qui in eam coiverunt, ita prospiciatur, quemadmodum intendebatur. Non sufficit nosse, quænam finis consequendi causa fieri debeant: nisi etiam adsit rerum gerendarum nervus, pecunia, magno conatu nihil agitur.

§. 777.

De contributione singulorum ad onera Reip.

Singuli ad onera Reip. contribuere debent pro modo facultatum, ne scilicet ad egestatem redigantur. Onera enim Reip. ferre tenentur universi (§. 775.), consequenter singuli ad ea contribuere tenentur. Quoniam tamen nemo obligari potest ultra id, quod possibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & curæ habendum, ne subditi in paupertatem, vel egestatem incidant (§. 726.); singuli ad onera Reip. contribuere debent pro modo facultatum suarum, ne scilicet ad egestatem redigantur.

Vulgo dicitur onera in Rep. esse distribuenda in ratione lucri, quod percipitur. Quemadmodum vero hoc ex principiis de jure civitatis minime demonstratur; ita etiam contingit plures emergere casus, in quibus regula fallit & principiis illis adversatur, ut oneribus in ea ratione distributis haud pauci evadant pauperes atque egeni, nec amplius ea acquirere labore suo valeant, quæ ad vitæ necessitatem faciunt. Accidit hoc, si extra ordinem onera majora ferenda sunt; si difficillimis temporibus annona ingravescit & quæstus conteritur; si qui ob numerosam familiam, vel alia de causa vix tantum acqui-

Digitized by Google

acquirunt, quantum ad præsentem vitæ necessitatem, nedum commoditatem sufficit; si denique ob calamitates privatas, veluti morbos diuturniores, expensæ privatæ multæ extraordinariæ fieri debent. Quodsi ergo onera ita distribuenda, ne si non omnes, saltem multi nimis premantur, immo opprimantur, magna circumspectione opus est.

§. 778.

Curæ habendum in Rep. ne onera subditis imponantur ultra, quam Reip. administratio & defensio exigit. Onera enim, ad quæ ferenda universi tenentur (§. 775.), imponuntur Reip. administrandæ & defendendæ causa (§. 774.). Quamobrem patet, non imponenda esse onera, quæ huc non faciunt; consequenter curæ in Rep. habendum, ne onera subditis imponantur ultra, quam Reip. administratio & defensio exigit. *Unde quantitas onerum determinanda.*

Nihil in Rep. fieri debet absque ratione sufficiente: ratio autem petenda est a fine civitatis. Ejus causa ordinatur civitas, consequenter Resp. constituitur. Quamobrem non alia datur ratio onerum subditis imponendorum, quam quod sine iis Resp. administrari & defendi nequeat. Hinc igitur æstimandum est omne jus onerum imponendorum, quod lege naturali concessum.

§. 779.

Onera ordinaria sunt, quæ perpetuus usus in administranda Rep. exigit: *extraordinaria* vero, quæ casus quidam emergentes exigunt. *De oneribus ordinariis & extraordinariis.*

Istiusmodi casus extraordinarius est, si bellum exardescit. Huc etiam pertinet, si munimenta excitanda, ædificia publica extruenda, Rex magnam habeat familiam, legati in aulis exteris sustentandi & ita porro.

Digitized by Google

§. 780.

De oneribus extraordinariis imponendis.

Quoniam onera Reip. universi ferre tenentur (§. 775.); eadem autem non imponenda sunt ultra quam Reip. administratio & defensio exigit (§. 778.). *Si casus quidam emergunt, qui vel Reip. administrandæ, vel defendendæ causa sumtus extraordinarios exigunt, onera extraordinaria imponenda sunt* (§. 779.).

Ostendendum hic erat jus onera extraordinaria imponendi, quod sola necessitas non facit. Onera omnia Reip. ferre tenetur universitas (§. 775.), ac ideo etiam obligatur ferre extraordinaria: ex hac vero obligatione nascitur jus onera extraordinaria imponendi (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). Quæ vero de modo onera distribuendi antea demonstrata sunt (§. 777.), ea inprimis in imponendis oneribus extraordinariis, præsertim majoribus ac subditos gravantibus, observanda.

§. 781.

Ærarium publicum quid sit.

Ærarium publicum dicitur locus, in quo pecunia publica reposita est.

Vocatur etiam ærarium ipsa pecunia publica uno in loco condita; sed præstat ab hac æquivocatione abstinere.

§. 782.

De necessitate ærarii publici.

Quoniam universitas onera Reip. ferre debet (§. 775.), & singuli ad onera ista contribuere tenentur pro modo facultatum suarum (§. 777.), ærarium vero publicum locus est, in quo pecunia publica reponitur (§. 781.); *Reip. ærario opus habet.*

Non ignoro, esse nonnullos, qui existimant, sine ærario contineri posse Remp. Sed ut verum fatear, æquivocatio quædam latet in verbis. Etenim qui illud affirmant, potissimum

Digitized by Google

mum ac unice fere contendunt, sine milite mercenario consistere posse Remp. consequenter tributis non esse opus. Ast etsi concedamus in quibusdam Reip. formis milite mercenario non esse opus, negari tamen haud quaquam potest alios adhuc requiri sumtus, sine quibus Resp. administrari nequit, &, si vel maxime tota civitas non habeat ærarium quoddam, coetus tamen particulares, ex quibus constat, habere debent ærara, in quæ reponuntur pecuniæ in usum publicum a singulis collectæ, & quæ simul sumtæ subeunt vicem ærarii publici, sicuti revera etiam hodie, ubi ærarium publicum habetur, adhuc hodie sunt ærara coetuum particularium, quæ revera considerandæ sunt tanquam pars ærarii publici, nec alia de causa constituuntur, quam ut brevi manu inde haberi possit pecunia ad usus publicos in certis locis necessaria. *Huberus* de Jure Civitatis lib. 3. sect. 3. c. 1. n. 2. qui sententiam istam defendit, expresse ait: si rebus & finibus suis contenti populi nihil aliud agerent, quam ut quietem suam adversus exteros tuerentur, & hac gratia se ipsos in armis exercitos & pro aris focisque paratos ad decertandum exhiberent, mercenariis militibus, qui majorem usum, quam ut libertatem ipsorum opprimant, a quibus aluntur, habent nullum, facile careerent, quemadmodum plerosque veterum illis caruisse constat. Probat hoc exemplis Lacedæmoniorum & Frisiæ patriæ suæ. Illos enim, quamdiu se domi continebant, sine mercenariis militibus & sine tributis, immo sine auri & argenti usu per quingentos annos id consecutos fuisse, ut ne hostis ullus pedem in terra Laconica poneret; Frisiam vero vetustissimam libertatem inde a Romanis temporibus, maxime post *Caroli M.* ætatem sine mercenariis, & sine tributis ullis contra maximas exterorum invasiones facile defendisse. Quis itaque non videt, ærarium publicum hic unice restringi ad usum belli? Mutantur vero etiam tempora, & in illis mutatur Rerumpstatus. Unde ipse *Huberus* l. c. §. 5. tandem fateri cogitur, res vere nunc æstimanti nullum præstantius optimi status civitatis & imperii signum atque argumentum haberi posse,

Digitized by Google

quam ærarii communis providam conſtitutionem & diligentem adminiſtrationem.

§. 783.

De ſtatu ærarii publici. Quoniam in ærario publico reponitur pecunia publica (§. 781.), conſequenter ea, quibus neceſſitatibus Reip. proſpicitur (§. 23.); *in ærario publico ſemper parata pecunia eſſe debet, quantum Reip. adminiſtratio & defenſio exigit,* conſequenter cum onera Reip. a ſubditis ferenda vel ordinaria ſint, vel extraordinaria (§. 779.), *modi ærarium locupletandi duo ſunt, ordinarius & extraordinarius.*

Pecunia parata in ærario eſſe debet cum ad uſus ordinarios, qui ſatis certi ſunt; tum ad extraordinarios, qui in caſu emergente, præſertim belli tempore, offeruntur. Illis proſpicitur modis ordinariis, hisce vero extraordinariis locupletandi ærarium. Quamobrem ſufficit, pecuniam paratam ſemper eſſe in ærario eo tempore, quo eodem indiget Rector civitatis, nec opus eſt, ut uſus incerti gratia pecunia ſterilis in ærario reponatur, niſi quantum prudentiæ eſt proſpicere caſui ſubito emergenti. Sed hæc pertinent ad prudentiam civilem, nec proprie ſunt hujus loci.

§. 784.

De ſumtibus Rectori civitati ſuppeditandis. *In regno ſubditi Regi ſumtus ſuppeditare tenentur ad ſuſtentandum ſe familiamque regiam & obtinendum dignitatis regiæ ſplendorem ſufficientes. Idem tenendum de optimatibus in Ariſtocratia.* Etenim penes Regem eſt imperium (§. 139.), qui id boni publici cauſa exercet (§. 42. 35.). Et quantam in eo exercendo adhibere teneatur curam, ex iis abunde patet, quæ hactenus demonſtrata fuerunt. Quamobrem cum per ſe pateat, ſine ſumtu ſe familiamque ſuam Regem ſuſtentare non poſſe; populus omnino eos ſuppeditare tenetur.

Digitized by Google

tur. In regno itaque subditi Regi sumtus suppeditare tenentur, ad sustentandum se familiamque regiam sufficientes. *Quod erat primum.*

Quoniam vero per se patet, interesse Reip. ne dignitas regia contemtui pateat, vulgus vero eandem æstimet ex iis, quæ in oculos incurrunt, necesse omnino est, ut dignitas regia sit in summo splendore. Quamobrem cum subditi Regi suppeditare teneantur sumtus ad se familiamque regiam sustentandum, *per demonstrata*; sumtus hi sufficientes quoque esse debent ad obtinendum dignitatis regiæ splendorem. *Quod erat secundum.*

Cum in Aristocratia collegium optimatum idem sit, qui Rex est in regno (§. 135. 139.); quæ de Rege demonstravimus, ea etiam tenenda sunt de optimatibus in aristocratia. Quamobrem optimatibus quoque suppeditandi sunt sumtus ad se familiasque sustentandas & dignitatis suæ splendorem obtinendum sufficientes. *Quod erat tertium.*

Subditos seu populum Regi suppeditare debere sumtus ad sustentationem sui atque familiæ regiæ sufficientes, instar axiomatis sumi poterat. Quæ vero de splendore regio adjecimus, ea decorum requirit, quod ipsa lex naturæ imperat (§. 204. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Status civilis efficit homines inæquales, propter diversa eorundem in Remp. merita, quos natura fecerat æquales, cumque Rector civitatis meritis hisce superet omnes, ejus quoque summa est in civitate dignitas. Hujus igitur in determinando decoro maxime habenda est ratio. Quemadmodum enim decorum naturale determinatur per ea, quæ homini natura insunt, vel inesse debent & huic convenientem ejus statum (§. 196. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ita *decorum civile* determinatur per ea, quæ unicuique insunt, vel inesse debent, quatenus hanc in civitate gerit personam

Digitized by Google

moralem. Unde *Decorum regium* æſtimandum ex iis, quæ perſonæ Regis qua talis inſunt, vel ineſſe debent. In ſtatu autem civili multum haud raro dandum eſt opinioni vulgi, ut per ea, quæ ſenſui patent, tanquam latentium ſigna adducatur ad debitum certarum perſonarum præſertim Rectoris civitatis exiſtimationem, prouti jam ante (*not.* §. 762.) inſinuavimus.

§. 785.

De reditibus fixis eo fine Rectori civitatis aſſignandis.

Quoniam ſubditi *Rectori civitatis* ſuppeditare tenentur ſumtus, *ad ſe familiamque ſuam ſuſtentandum & dignitatis ſuæ ſplendorem obtinendum* ſufficientes (§. 784.); eo fine ipſi *aſſignandi ſunt certi reditus, pro diverſitate circumſtantiarum augendi.*

In Reip. conſtitutione a voluntate populi dependet, quosnam reditus ipſi aſſignare velit, utrum ſcilicet ex agris publicis, an ex aliis ſubditorum præſtationibus fixis. Præſtat tamen prius, ne ſubditi contributionibus nimium onerentur. Ita olim *Romulus* urbe condita inſtituit, ut ager Romanus in tres æquas divideretur partes, quarum una pro ſacerdotibus & ſacrorum ſumtibus, ſecunda Reip. oneribus ſerviret, tertia in cives divideretur. Hoc nimirum pacto onera Reip. non erant civibus moleſta, & Regi proſpicebatur abunde de ſumtibus ad ſe familiamque ſuam ſuſtentandum neceſſariis. Enimvero cum lex naturæ ſaltem onera Reip. ad ſubditos devolvat, modum vero eadem ferendi, qui varius eſſe poteſt, non definiat, niſi quod lex perfectiva ceteris meliorem eligi jubeat, quem circumſtantiæ eligi permittunt; ideo nihil de eo per modum conſtantis præcepti injungi poteſt.

§. 786.

Domania quid ſint.

Prædia, quorum reditus aſſignantur Rectori civitatis ad ſuſtentandum ſe familiamque ſuam, dicuntur *Domania*, idiomate patrio ſolent Taffelgüter appellari.

Signifi-

Digitized by Google

Significatum hunc fixum vocabulo tribuere libuit, ut citra confuſionem demonſtrentur ea, quæ de oneribus Reip. tenenda ſunt, nec in quavis Rep. eodem modo ſeſe habent, etſi vaga loquendi libido ſignificatum laxiorem admittat, immo ſubinde idem a ratione non alienus ſit. Ita ſane Romuli ævo tertia pars agrorum Romanorum Reip. oneribus ſervjens *domaniorum* nomine a ceteris diſtingui potuiſſet, quia tunc ſumtus ad Regem regiamque familiam & ſplendorem dignitatis regiæ ſuſtentandum neceſſarii non ſeparabantur a ceteris ſumtibus Reip. cauſa faciendis.

§. 787.

Quoniam reditus ex domaniis Rectori civitatis ad ſuſtentandum ſe familiamque ſuam aſſignati ſunt (§. 786.), conſequenter ad uſus ipſius privatos deſtinantur, bona autem Regis privata ſunt, quæ ad uſus ipſius privatos deſtinantur (§. 286.); *reditus ex domaniis bona Regis privata ſunt. Et idem intelligitur de optimatibus in ariſtocratia.*

Qualia bona ſint reditus ex domaniis.

Si ſignificatus vocabuli domaniorum latius extendatur, ut etiam complectatur ſumtus adminiſtrationis Reip. cauſa faciendos; reditus ex domaniis præter bona Regis privata comprehendunt quoque regia, quæ tamen cum iſtis in unam maſſam confundi non poſſe, ſi de jure Rectoris civitatis quoad uſum redituum ex domaniis ex lege naturæ ſtatuendum, ſupra oſtendimus (§. 287.).

§. 788.

Quia reditus ex domaniis bona Regis ſeu Rectoris cujuscunque civitatis privata bona ſunt (§. 787.), conſequenter tanquam ipſius propria in dominio ejusdem (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*), de re vero ſua dominus pro arbitrio ſuo diſponere poteſt (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*); quoque *ex domaniis Rex, ac Rector quilibet civitatis pro arbitrio ſuo*

Libera alicujus ſponendi poteſtas de reditibus ex domaniis.

Digitized by Google

ſuo diſponere poteſt, conſequenter *uſumfructum in domanio ad dies vitæ ſuæ alteri concedere, reditus ex domaniis aliis locare poteſt.*

In reditus ex domaniis Rector civitatis plenum habet dominium, modo eos liberalitate ſua non ita imminuat, ut, cum non amplius ſint ſufficientes ad ſuſtentandum ipſum familiamque ejus & ſplendorem dignitatis eidem convenientis, ſubditi tributis extraordinariis onerentur: id nimirum perinde foret, ac ſi liberalis eſſet non de ſuo, ſed de eo, quod civium eſt, id quod legi naturæ, quamvis ea liberalitatem præcipiat (§. 251. *part. 4. Jur. nat.*), parum convenit (§. 97. *part. 4. Jur. nat.*). Bene merita in Remp. compenſare ad Reip. adminiſtrationem pertinet, conſequenter huic fini ſerviunt ſumtus adminiſtrationis Reip. cauſa faciendi, quantum ærarium publicum permittit (§. 781.).

§. 789.

De proprietate domaniorum.

Domania non ſunt in dominio Rectoris civitatis, ſed univerſitatis ſeu populi, niſi regnum fuerit patrimoniale. Etenim cum reditus ex domaniis aſſignati ſint Rectori civitatis ad ſuſtentandum ſe ſuamque familiam (§. 786.), conſequenter eo mortuo pertineant ad ſucceſſores quoscunque; domania in uſum perpetuum inſtituta, conſequenter in dominio Rectoris civitatis, qui nunc eſt, eſſe nequeunt (§. 121. *part. 2. Jur. nat.*). *Quod erat primum.*

Quoniam vero univerſitas ſeu populus domania inſtituit, ne deſint reditus ad ſuſtentandum Rectorem civitatis ejusque familiam neceſſarii, conſequenter ea ab initio fuerunt populi, ſeu univerſitatis; dominio in Rectorem civitatis minime translato; eadem manent in dominio univerſitatis, ſeu populi. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero ſi regnum fuerit patrimoniale, imperium eſt

Digitized by Google

est in patrimonio, consequenter in dominio (§. 448. 452. *part. 2. Jur. nat.*), Regis (§. 155.), ac ideo etiam in dominio ipsius omnia sunt, quæ imperii causa constituta. Quamobrem cum per se pateat, imperii causa constituta esse domania (§. 786.); si regnum fuerit patrimoniale, domania sunt in dominio Regis. *Quid erat tertium.*

Si regnum non fuerit patrimoniale, usufructuarium est (§. 155.). Quamobrem etiam domania Rex habet saltem usufructuario jure, unde jus ipsius æstimandum est ex iis, quæ de usufructu demonstrata sunt (§. 1420. *& seqq. part. 5. Jur. nat.*). Quando vero in regno patrimoniali dominium in domaniis tribuitur Regi; id intelligitur de regno perfecte patrimoniali. Quodsi enim fuerit imperfecte tale, cum saltem jus transferendi imperium pro lubitu sit penes Regem (§. 292.), domania non possidet nisi jure usufructuario, consequenter jus in domaniis non majus habet quam Rex usufructuarius. In casu dubio regnum præsumitur patrimoniale imperfecte tale, & semper tale præsumitur, si populi voluntate fuerit patrimoniale factum, neque enim populus voluisse præsumitur, ut in præjudicium sui domania alienentur. Aristocratia perfecte talis, ut pro lubitu de domaniis disponere possint optimates, vix concipitur.

§. 790.

Quoniam domania non sunt in dominio Rectoris civitatis nisi regnum sit patrimoniale (§. 789.), non dominus vero rem alienare nequit (§. 667. *part. 2. Jur. nat.*); *Rector civitatis, nisi regnum patrimoniale fuerit, domania alienare nequit*, consequenter *si alienaverit, successor domanium alienatum revocare potest.* Quoniam tamen de reditibus ex domaniis pro arbitrio ad dies vitæ suæ disponere potest (§. 788.);

De alienatione domaniorum.

788.); *fructus perceptos a possessore repetere nequit successor nisi a tempore mortis antecessoris.*

Successori ex alienatione nullum nascitur præjudicium, nisi quatenus carere debet fructibus inde percipiendis. Ad hos ipsi jus est, quam primum regnum ad eum devolvitur. Fructus igitur perceptos a morte antecessoris repetens, quod suum est repetit.

§. 791.

De oppignoratione domaniorum.

Rector civitatis domania oppignorare nequit, nisi habeat jus nova tributa indicendi absque ulla restrictione. Etenim Rector civitatis domania in dominio non habet, nisi regnum fuerit patrimoniale, quod hic non supponitur (§. 789.). Enimvero nemo oppignorare potest, nisi rem suam (§. 1164. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem Rector civitatis domania oppignorare nequit. *Quod erat primum.*

Enimvero si habeat jus nova tributa indicendi, absque ulla restrictione, ea indicere poterat, si ita visum fuisset, cum domania oppignoraret, ne oppignoratione opus fuisset, consequenter si subditi pignus luere coguntur, perinde est ac si tributum solverent, quod Rector civitatis jure suo imponere poterat. Quamobrem si habet jus nova tributa indicendi absque ulla restrictione; domania oppignorare potest. *Quod erat secundum.*

Quodsi vero jus nova tributa indicendi ad certos casus fuerit restrictum, cum domania oppignorare nequeat, nisi quatenus ipsi competit jus nova tributa indicendi *per demonstrata n. 2.* domania quoque oppignorare nequit nisi in eo casu, in quo ipsi permissum est nova tributa indicere. *Quod erat tertium.*

Non

Non est, quod absonum videatur oppignorare domania, non sine novo tributo tuenda, si Rectori civitatis competat jus nova tributa pro lubitu indicendi. Etenim non uno in casu contingit, ut tributum, si hoc tempore solvendum, oneret cives, quod alio tempore minus gravat. Oppignoratio igitur fit in commodum civium, non in detrimentum eorundem.

§. 792.

Domania nullo tempore præscribi possunt. Etenim naturaliter usucapio, consequenter præscriptio (§. 1031. *part. 3. Jur. nat.*), non procedit, nisi ex derelictione præsumta (§. 1024. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum ad Rectorem civitatis præsentem non pertineant nisi reditus ex domaniis (§. 787. 789.), nec factum antecessoris cujuscunque nocere potest suo successori (§. 790.); derelictio domaniorum concipi nequit, consequenter præsumtio ejus nulla est. Quamobrem patet domania nullo tempore præscribi posse. *De præscriptione domaniorum.*

Domania non subjacere juri civili, quod disponit de rebus privatorum, facile patet. Quamobrem de iis judicandum est ex lege naturali, quod genuinum fontem præscriptionis aperit. Ad hoc vero si recurrimus, præscriptio domaniorum in numerum non entium utique referenda, cum notio, quæ ei convenire debet, contradictionem involvat, prout ex demonstratione propositionis præsentis patet. Accedit, quod ex silentio diuturno rei derelictio non præsumatur, si manifestæ fuerint rationes in contrarium (§. 1058. *part. 3. Jur. nat.*), quales in casu domaniorum adesse nemo facile in dubium vocaverit. Cum enim silentium, ex quo consensus præsumitur, debeat esse scientis ac volentis (§. 1055. *part. 3. Jur. nat.*) abunde autem constet, Rectores civitates curæ potius habere incrementum redituum, quam decrementum, ne quidem præsumuntur scire alium percipere fructus ad se pertinentes, nisi

singulares prorsus fuerint rationes, cur id velint, multo difficiliores iis, quæ fuerunt domania alienantibus.

§. 793.

Quod quantocunque tempore elapso revocari possint.

Quoniam *domania* nullo tempore præscribi poterant (§. 792.), alienata vero revocari possunt (§. 790.); *quantocunque tempore elapso revocari possunt.*

Etenim si præscriptio allegari nequit a possessore domaniorum, revocationi, aut, si mavis vindicationi nihil obstat, consequenter quovis tempore revocari, seu vindicari domania possunt a quolibet possessore.

§. 794.

An cum consensu populi alienari possint.

Domania alienari nequeunt in regno successorio cum populi consensu, nisi æquivalens in eorum locum substituatur: si non fuerit successorium, cum populi consensu alienari possunt. Etenim si regnum fuerit successorium, in locum Regis deficientis certa lege succedunt alii (§. 279.), voluntate nimirum populi regnum condentis definita (§. 277.). Quamobrem cum ex ista delatione omnes successores habeant jus quæsitum ad regnum, quale primo Regi fuerit delatum; jus etiam quæsitum habent ad reditus, qui ad regiam dignitatem sustentandum destinati sunt. Quoniam itaque jus quæsitum nemini invito auferri potest (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); reditus, qui ad regiam dignitatem sustentandam destinati sunt, consequenter cum ad hos pertineant reditus ex domaniis (§. 786.), in regno successorio ne quidem cum populi consensu domania alienari possunt. *Quod erat primum.*

Quoniam tamen nihil detrimenti capit successor, si in locum domaniorum alienatorum substituatur æquivalens, cum ipsa domania in dominio ejus non sint (§. 789.),

sed

Digitized by Google

sed saltem reditus ad eum pertineant (§. 787.); quin cum populi consensu alienari possint, dubitandum non est. *Quod erat secundum.*

Quod si regnum non fuerit successorium, sed electivum, dum Rex novus eligitur, cum is nullum jus sicuti ad successionem, ita nec ad reditus ex domaniis ante electionem habeat (§. 278.), sumtus ad sustentandum ipsum familiamque ejus & splendorem dignitatis regiæ eidem assignare potest, quos voluerit. Quamobrem nil prorsus obstat, quo minus Rex præsens cum consensu populi domania alienet. Ea igitur cum populi consensu alienare potest. *Quod erat tertium.*

Quæ in regno successorio adhuc notari poterant de eo casu, in quo nondum nati sunt ad regnum capaces, quando domania alienantur, patet ex iis, quæ in casu simili superius de jure succedendi demonstrata sunt (§. 366.). Ceterum cum jus succedendi in reditus ex domaniis conjunctum sit cum jure succedendi in regnum; non puto fore quenquam, qui dubitaverit, quæ de successione in regnum valent, ea etiam valere debere de successione in reditus ex domaniis. Quando Rex electus moritur, imperium ad populum redit (§. 314.). De regno igitur & ad idem pertinentibus pro lubitu disponere potest populus, cum nemo sit, cui jus quoddam auferri queat.

§. 795.

Si reditus ex domaniis augeat populus ob rationes, quæ unice ad personam Regis præsentis respectum habent; a populi unice voluntate dependet, utrum incrementum hoc successori relinquere velit, an nolit; secus, si ob rationes alias quascunque. Etenim si populus reditus ex domaniis augeat ob rationes, quæ unice ad personam Regis præsentis respectum habent; po-

De incremento reditum ex domaniis a populo facto.

pulus saltem in incrementum consensit Regis præsentis causa, minime autem voluisse intelligitur, ut sit perpetuum. Jus igitur ad istud incrementum tantum transtulit in Regem præsentem, non vero in successorem, consequenter jus hoc personale est (§. 539. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum jus personale morte personæ extinguatur (§. 542. *part. 3. Jur. nat.*); jus ad incrementum illud morte Regis præsentis expirat, consequenter a populi unice voluntate dependet, utrum id ipsum successori relinquere velit, an nolit. *Quod erat unum.*

Enimvero si rationes incrementi respectum non habeant ad personam Regis præsentis; eædem subsistunt, etiamsi alius in regno succedat. Quamobrem populus facile voluisse intelligitur, ut incrementum hoc sit perpetuum & jus ad idem non minus cohæreat juri succedendi, quam jus ad reditus ceteros ex domaniis. Quoniam itaque jus ad reditus ceteros ex domaniis successori auferre nequit populus *per partem secundum propositionis præcedentis* (§. 794.); nec jus ad incrementum redituum ex domaniis auferre potest. *Quod erat alterum.*

E. gr. Ratio augendi sumtus ad dignitatem regiam sustentandum necessarios, quæ personam Regis præsentis unice respicit, est numerosa ejus familia. Quæ igitur respectu hujus dantur, ea successor prætendere nequit. Gemina ratio est, si ob calamitates temporum reditus ordinarii ex domaniis non fuerint sufficientes: qua de causa etiam incrementum illorum saltem in certum tempus, aut sub certa conditione decerni potest. Quæ vero non personæ Regis præsentis, sed regni causa constituuntur, ea utique perpetua sunt, seu tamdiu durant, quamdiu regnum hoc modo constitutum durat. Ceterum rationes personales desumi quoque possunt ab iis, quæ dona-

Digitized by Google

donationum causæ legitimæ sunt (§. 124. *& seqq. part. 4. Jur. nat.*). Et ne dubitationi locus relinquatur, utrum rationes incrementi sint tantummodo personales, nec ne; consultum est, ut populus incrementum decernens easdem exprimat.

§. 796.

Si Rex de suo domaniorum reditus augeat, incrementum pertinet ad omnes ejus successores. Etenim si Rex de suo domaniorum reditus augeat, actus hic æquiparatur donationi sub lege fideicommissi mortis causa factæ (§. 140. *part. 4. hujus* & §. 1070. *part. 7. Jur. nat.*), scilicet ut post mortem suam incrementum, quod fecit, sit successoris ac deinde a quolibet successore transferatur in sequentem. Quamobrem cum non minus fideicommissum (§. 1069. *part. 7. Jur. nat.*), quam donatio mortis causa sit juris naturalis (§. 142. *part. 4. Jur. nat.*); incrementum hoc omnino pertinet ad omnes ejus successores. *De domaniis a Rege de suo auctis*

Populo igitur nullum jus est in hoc incrementum, nec successorum ullus jus ad idem auferre potest. Dantur autem rationes, cur Rex de suo domaniorum reditus augere velit, veluti si id facit in majorem familiæ suæ splendorem, aut, si desit familia, in splendorem ipsius civitatis. In jure tamen æstimando saltem respicitur voluntas, non vero attenduntur motiva.

§. 797.

Si Rex de suo domaniorum reditus augeat; incremento legem dare potest, quamcunque voluerit. Etenim ex demonstratione propositionis præcedentis patet, incrementum hoc esse donationis quandam speciem successorum gratia factæ. Enimvero a voluntate donatoris unice dependet, qua lege donare velit (§. 130. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem si Rex *De libertate Regis domania de suo augentis.*

de

de ſuo domaniorum reditus augeat; incremento legem dare poteſt, quamcunque voluerit.

E. gr. adjicere poteſt onus quoddam, veluti ut quotannis certa pecuniæ ſumma erogetur in pauperes, vel detur clericis, qui in aula ſacra adminiſtrant. Vix autem opus eſſe videtur, ut moneam; quando de incremento redituum ex domaniis loquimur, nos non intelligere incrementum, quod ex ipſis domaniis quomodocunque melioratis provenit, ſed de eo ſermonem eſſe, quod aliunde illis accedit.

§. 798.

An fideicommiſſum tolli poſſit.

Fideicommiſſum tolli poteſt conſenſu eorum, qui nunc vivunt & quorum intereſt, ne tollatur. Etenim cum nondum natus jus nullum habere poſſit (§. 830. *part. 6. Jur. nat.*), nec antequam foetus in utero materno concipitur, ſpem acquirendi per nativitatem jus aliquod habeat (§. 836. *part. 6. Jur. nat.*); ſi fideicommiſſum conſenſu eorum, qui nunc vivunt, & quorum intereſt, ne tollatur, nondum natis, nec in utero materno conceptis nihil adimitur, quamvis fideicommiſſum, ſi jam nati, aut minimum in utero concepti eſſent, ad eos quoque quodammodo pertineret. Quamobrem ſi qui nunc vivunt & quorum intereſt, ne fideicommiſſum tollatur, in hoc conſentiunt, ut tollatur; nihil obſtat, quo minus conſenſu eorum tolli poſſit. Tolli igitur eorum conſenſu poteſt.

Nimirum nemini ſublatione fideicommiſſi fit injuria. Nec eſt quod objicias, repugnare hoc voluntati fideicommiſſum relinquentis: neque enim prohibuiſſe ſupponitur, ne tollatur, nec ea dixiſſe, unde voluiſſe intelligatur, ut ſit perpetuum.

§. 799.

Digitized by Google

§. 799.

Quoniam fideicommissum tolli potest consensu eorum, qui nunc vivunt, & quorum interest ne tollatur (§. 798.), ex demonstratione autem propositionis anterioris (§. 796.) constat, *incrementum redituum domaniorum a Rege praesente pro successoribus institutum* sub lege fideicommissi; incrementum hoc *consensu eorum, qui nunc vivunt, & regni capaces sunt, alienari potest.* *De alienatione incrementi reddituum domaniorum a Rege facti.*

E. gr. ponamus, Regem praesentem domaniis adjecisse praedium quoddam suum, vel sua pecunia emtum. Successor consensu eorum, qui regni capaces sunt, praedium hoc alienare potest, immo dominium ejus transferre in filium quendam suum, vel filiam suam, vel agnatum alium.

§. 800.

Si Rex incrementum domaniorum de suo instituens velit, ut idem sit perpetuum; successor consensu eorum, qui nunc vivunt, & regni capaces sunt, illud alienare nequit. Etenim cum successor incremento domaniorum, quod de suo instituit, legem dare possit, quamcunque voluerit (§. 797.); prohibere etiam potest, ne alienetur, ac per consequens ut idem sit perpetuum. Quamobrem cum institutio incrementi istius donationis quaedam species sit, prouti ex demonstratione superiori (§. 796.) apparet, donatio autem etiam fieri possit sub pacto non alienandi rem donatam (§. 133. *part.* 4. *Jur. nat.*); si Rex incrementum reddituum ex domaniis, quod de suo fecit, velit esse perpetuum, standum erit ejus voluntate, consequenter idem nec consensu eorum, qui nunc vivunt & regni capaces sunt, alienari potest. *Quando ea fieri non possit.*

In casu dubio facilius praesumitur voluisse, ut sit perpetuum, quam idem non curasse, cum ordinarie id feciisse intelligi-

telligatur in majorem familiæ cognatricis ſplendorem, vel ipſius etiam civitatis ſplendorem.

§. 801.

De moneta procuranda.

Curæ habendum in Rep. ne deſit moneta ad res & operas comparandas ſufficiens. Cum enim pro pecunia res & operæ quælibet ab alio comparentur (§. 293. *part. 4. Jur. nat.*), ſi deſit moneta ad res & operas comparandas ſufficiens, fieri haud commode poteſt, ut unusquisque ſibi comparet res & operas, quibus indiget. Quamobrem cum in Rep. curæ ſit habendum ne deſit rerum ad victum, amictum, habitationem vitæque commoditatem ac jucunditatem neceſſariorum copia omnibus ſufficiens (§. 420.), & tam laborum, quam rerum pretia ita determinanda ſint, ut quilibet ea ſibi comparare poſſit, quibus indiget (§. 424.); curæ etiam habendum, ne deſit moneta ad res & operas comparandas ſufficiens.

Monetæ penuria ingens malum eſt. Quamvis enim omnium rerum abundantia adſit, cum tamen nemo ſit, qui iis ſolis contentus eſſe poſſit, quæ ipſe habet, nemo quoque monetæ uſu quotidiano carere poteſt. Quantum penuria iſta ſit malum, inprimis experiuntur qui res majoris pretii emere ac vendere volunt, nec ſine moneta ſufficiente commercia florere poſſunt.

§. 802.

De diverſis moneta ſpeciebus.

Quoniam curæ habendum, ne deſit moneta ad res & operas comparandas ſufficiens (§. 801.), variis autem monetæ ſpeciebus diverſi nimirum valoris opus eſt, tum ad res & operas majoris pretii, tum ad eas, quæ minoris pretii ſunt, comparandas, & ſpeciebus exigui valoris indigemus indies cum ad frangendos majores nummos, tum ad ſuppleu-

plendum, quod excurrit; *opera danda est, ut singularum specierum monetæ prostet sufficiens copia.*

Nummorum minutorum necessitatem aperte loquitur indispensabilis singulis diebus usus. Et quam sit molesta illorum raritas, etiamsi majoribus abundes, experientia docet. Summæ igitur curæ haberi debet, ut nummorum minutorum sufficiens copia prostet.

§. 802.

De bonitate monetæ.

Curæ habendum in Rep. bene constituta, ut bonitas extrinseca monetæ conveniat cum ejus bonitate intrinseca, seu ut moneta extrinseca sit proba. Quoniam enim pecunia datur pro re qualibet (§. 292. *part. 4. Jur. nat.*), consequenter etiam pro ea materia, ex qua moneta cusa, veluti auro & argento (§. 333. *part. 4. Jur. nat.*), necesse omnino est, ut si quis aurum vendat, vel argentum, tantundem auri in nummis aureis, vel tantundem argenti in argenteis accipiat, quantum dat auri, vel argenti (§. 976. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum bonitas intrinseca monetæ æstimetur ex materia & pondere, extrinseca vero consistat in valore arbitrio Rectoris civitatis eidem imposito (§. 544. *part. 4. Jur. nat.*); in Rep. bene constituta curæ habendum, ut bonitas extrinseca monetæ conveniat cum intrinseca, seu, cum proba sit moneta, si bonitas extrinseca determinatur per intrinsecam, seu valor impositicius respondet valori intrinseco, quem a materia ac pondere habet (§. 545. *part. 4. Jur. nat.*), ut moneta sit proba.

Quantum interfit Reip. ut moneta sit proba, non ignotum est illis, qui omnem commerciorum rationem intimius perspiciunt, quæ quantum momentum habeant in Rep. satis exploratum est. Ideo *Huberus* lib. 3. de Jure Civit. sect. 3. c. 2. §. 10. monet, monetam reprobam omnis commercii, quo

Digitized by Google

ſtat res publica, nervos ſuccidere & fundamenta ſubruere: cujus aſſerti ratio luculenter patet per ea, quæ de pretio rerum & pecunia demonſtravimus in parte quarta Juris naturæ. Et hæc ſane ratio eſt, cur Sinenſes aliique populi uſi fuerint loco monetæ auro & argento puro pondere æſtimato.

§. 804.

De ære viliori auro & argento puro permiſcendo.

Quoniam curæ habendum in Rep. bene conſtituta, ut bonitas extrinſeca monetæ conveniat cum ejus bonitate intrinſeca (§. 803.), in cudendis autem nummis & vaſis fabrefaciendis artifices auro & argento puro commode uti non poſſunt, ac ideo tantum æris ſoliditatis cauſa, aut plumbi, vel ſtanni coloris gratia addunt, quantum ad ſumtus & moderatum artificis lucrum ſufficit; *Rector civitatis præſcribere debet, quantum metalli vilioris auro & argento puro in nummis cudendis & vaſis fabrefaciendis admiſcere liceat, nec permittendum, ut ab ea lege recedatur,* conſequenter *qui hoc facere audent, poenis coërcendi* (§. 647.).

Niſi hoc obſervetur, impoſſibile eſt, ut civium & commerciorum detrimentum evitetur: naturaliter tamen fraus omnis prohibita eſt (§. 148. *part. 5. Jur. nat.*) & Rectori civitatis utique incumbit, omnem movere lapidem, ne eidem ullus concedatur locus.

§. 805.

Moneta adulteratores.

Moneta adulteratores dicuntur, qui vel monetam falſam cudunt, veluti vilioris metalli quantitatem majorem permiſcendo, quam lege publica cautum, vel etiam radendo eandem deminuunt.

Poſterius potiſſimum contingit in monetis aureis, præſertim iis, qui ex auro puriori conſtant.

§. 806.

Digitized by Google

§. 806.

Quia permittendum non est, ut major metalli vilioris quantitas auro & argento in cudendis nummis admisceatur, quam lege publica definitum & qui hoc faciunt, poenis coercendi (§. 804.), consequenter nec ferendum, ut moneta, cujus bonitas extrinseca publica fide nititur (§. 803.), radendo deminuatur, & qui hoc faciunt, poenis itidem coërcendi; adulteratores vero monetæ sunt, qui alterutrum faciunt (§. 805.); *in Rep. ferendum non est, ut moneta adulteretur, & adulteratores poenis coërcendi.* *De monetæ adulteratoribus puniendis.*

Cum monetarum adulteratores fraude, quam committunt, plurimum dent damni; graviorem omnino poenam merentur (§. 625.), inprimis autem illi, qui falsam monetam cudunt, cum eorum fraus non a quolibet, qui eam accipit, detegi possit. Optandum vero foret, ne, qui punire debent alios monetam corrumpentes, ipsimet internam monetæ suæ bonitatem intrinsecam corrumperent, præsertim cum ejus usus ob commercia cum exteris vicinis intra proprium territorium vix contineri possit.

§. 807.

In Rep. permittendum non est, ut quilibet pro lubitu monetam cudat, si vel maxime moneta, quam cudit, fuerit bona. Etenim in Rep. ferendum non est, ut major metalli vilioris quantitas auro & argento in cudendis nummis admisceatur, quam lege publica definitum (§. 804.). Quamobrem cum hoc difficillime evitetur, nec adulteratores monetæ facile detegantur, immo si vel maxime proba moneta cudatur, de probitate tamen ejus non satis certi esse possunt, qui eadem utuntur, siquidem promiscue permittatur, ut monetam cudat, qui velit; in Rep. permittendum non est, ut quilibet *De jure monetandi non promiscue concedendo.*

Digitized by Google

pro lubitu monetam cudat, si vel moneta, quam cudit, fuerit bona.

Monetæ probitatem tueri debet publica fides, cum qui eadem utuntur eam examinare minime valeant. Quod vero interfit Reip. ne fides publica fiat subleſta, aut ſuſpecta, nemo eſt qui neſciat. Signum utique fidei publicæ eſſe debet Imago & inſcriptio Rectoris civitatis una cum inſignibus, ut quilibet tutus ſit ab omni fraude, quæ in corrumpenda moneta facile committi poterat. Quamvis itaque qui ſine permiſſu ſuperioris proprio auſu monetam probam cudunt, adulteratoribus monetæ accenſeri nequeant; hoc tamen non obſtante graviter puniri poſſunt, quatenus fidem publicam ſurripiunt & lucro publico inhiant animo ſe locupletandi: id quod furto utique gravius crimen.

§. 808.

De exportatione monetæ probæ & invectione minus probæ.

In Rep. ferendum non eſt, ut moneta proba ad exteros exportetur & ejus loco minus probam invehant trapezitæ, aliique lucri ſordidi cupidi. Etenim perinde eſt, ſive moneta corrumpatur, ſive exportata proba minus probam invehant trapezitæ & alii lucri ſordidi cupidi. Quamobrem cum adulteratio monetæ ferenda non ſit (§. 807.); nec monetæ probæ exportatio & minus probæ invectio ferenda.

Facile patet, ſi moneta proba exporterur & cum minus proba permuterur, id non fieri ſine manifeſto plurimorum damno, præſertim ſi ærario publico inferri nequeat niſi proba & a ſuperiore probata, quæ apud trapezitas & alios homines lucri ſordidi cupidos cum minus probata non ſine foenore permutanda.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Juribus majestaticis.

§. 809.

De modo exercendi imperium civile.

Imperium civile ita exerceri debet, ut bonum publicum, quantum fieri potest, promoveatur. Imperium enim civile quod est jus universis in singulos in civitate competens (§. 32.), non extenditur ultra eas actiones, quæ ad bonum publicum obtinendum pertinent (§. 35.). Quicunque igitur fuerit, qui imperium publicum exercet, id non sui, sed boni publici gratia exercet. Quamobrem patet, id ita exerceri debere, ut bonum publicum, quantum fieri potest, promoveatur.

Si status fuerit popularis, cum imperium in hoc sit penes populum (§. 131.), obligatio hæc nascitur ex ipso pacto, quo in civitatem coivit hominum naturaliter liberorum (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*) multitudo (§. 28.). Quoniam vero in cæteris Reip. formis imperium a populo delatum est vel uni cuidam personæ, vel pluribus conjunctim, & in utroque casu jus populi habet civitatis Rector (§. 133. *& seqq.*); eadem obligatio oritur ex pacto, quod in delatione imperii populus vel cum ea persona, vel iis init, cui vel quibus imperium defert.

§. 810.

Jura majestatica quænam sint.

Quoniam imperium civile ita exerceri debet, ut bonum publicum, quantum fieri potest, promoveatur (§. 809.), *status* vero naturæ dat jus ad ea, sine quibus obligationi naturali satisfieri nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *qui imperium civile exercere debet, ei competunt omnia jura, sine quibus ita exerceri nequit, ut bonum publicum, quantum fieri potest, pro-*

Digitized by Google

promoveatur, consequenter cum jura majestatica sint, quæ ad summum imperium ejusque exercitium pertinent (§. 207.), *jura majestatica sunt, sine quibus imperium civile ita exerceri nequit, ut bonum publicum, quantum fieri potest, promoveatur.*

Obligationem imperii ita exercendi, ut bonum publicum promoveatur, esse naturalem, seu a lege naturæ venire, inde patet, quod civitates legi naturæ convenienter fuerunt constitutæ (§. 26.). Quamobrem cum pactum, quo constitutæ fuerunt (§. 4.), licitum sit (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); pactum hoc, sicuti cetera omnia juri naturæ non repugnantia, naturaliter obligat (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*). Quoniam vero in capite præcedente prolixe admodum demonstravimus, quænam in Rep. fieri debeant, ut bonum publicum promoveatur; inde haud difficile erit jura majestatica deducere. Id tamen adhuc notandum est, quia imperium civile hic spectatur, quale in se est, non quale uni, vel pluribus personis fuit delatum, nisi expresse aliud dicatur, jura quoque majestatica recenseri, quæ in imperio continentur, & tanquam ejus partes potentiales considerantur, sive omnia conjunctim existant in uno subjecto, sive in diversis, & sive exercitium fuerit absolutum, sive ad certas leges fundamentales restrictum, prouti in formis Rerump. mixtis obtinet.

§. 811.

Quam late pateant.

Quia ei, qui imperium civile exercere debet, competunt omnia jura, sine quibus id ita exerceri nequit, ut bonum publicum, quantum fieri potest, promoveatur (§ 810.); *Qui imperium civile exercet, ei competit jus omnia constituendi, qua ad bonum publicum consequendum ipsi facere videntur.*

Exercitium cujuslibet juris majestatici respectum habere debet ad bonum publicum, tanquam constantem ejus normam.

§. 812.

Digitized by Google

§. 812.

Potestas legislatoria dicitur jus condendi leges. *Potestas legislatoria.*

De legibus ferendis in Rep. plurima demonstranda veniunt, ut pateat, quomodo leges civiles sint condendæ, eaque doctrina maximi momenti est & apprime ad Jus naturæ pertinet, quo regitur voluntas legislatoris. Quamobrem necesse erit, ut ea de re postea dicamus. Hic saltem ostendendum, quod superiori civitatis competat.

§. 813.

Superiori competit potestas legislatoria. Superior enim habet jus omnia constituendi, quæ ad bonum publicum consequendum ipsi facere videntur (§. 811.). Quamobrem quæ fieri debent hujus consequendi causa, præcipere, quæ fieri non debent, prohibere potest, immo debet & obligare subditos, ut ad normam præscriptam actus externos componant (§. 29. 36.). Quamobrem cum regula, a superiore præscripta, juxta quam subditi actiones suas determinare obligantur, lex sit (§. 131. *part. 1. Phil. pract. univ.*); superiori competit jus condendi leges, consequenter potestas legislatoria. *Cuinam competat.*

Ostenditur etiam hoc modo. Quælibet societas habet jus ferendi leges de iis, quæ ad eandem spectant (§. 46. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem cum civitas sit societas (§. 4.); eidem quoque competit jus ferendi leges de iis, quæ ad civitatem pertinent. Quoniam itaque superiori competit jus in actiones subditorum (§. 141.), quatenus ad bonum publicum consequendum faciunt (§. 35.), consequenter respectum ad civitatem, seu Remp. habent (§. 30.); superiori competit potestas legislatoria.

Digitized by Google

Poteſtas legislatoria inter jura majeſtatica eminet, ita ut imperium ſine ea concipi nequeat. Hac nimirum ſublata, ſtatus civilis foret nullus, cum ſalva unicuique maneret libertas naturalis, vi cujus ipſi permittendum, ut faciat, quod viſum fuerit (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Etſi enim fingas Remp. in qua ſaltem bellum privatum ſingulis ademtum, quatenus conſiſtit in violenta perſecutione juris ſui atque jure puniendi injurias inferentem; ne hoc quidem ſine poteſtate legislatoria concipi poterit. Quodſi homines omnes obligationi naturali, quæ a lege naturæ venit, ſua ſponte ſatisfacerent & ſatisfacere poſſent; non opus foret ut in civitates coirent, & legibus civilibus libertas naturalis circumſcriberetur. Iſtiusmodi autem homines cum ne per ſomnium quidem fingi poſſint, nec fictio ſpeciem quandam mentiri queat, niſi ſupponas eos in civitate educari; neceſſitas conſtituendi civitates legum quoque civilium neceſſitatem continet.

§. 814.

Idem porro eſt penditur. Quoniam ſuperiori competit poteſtas legislatoria (§. 813.), in democratia autem populus univerſus ſuperior eſt (§. 142.), in ariſtocratia univerſitas optimatum (§. 143.), in monarchia monarcha (§. 134.); *in democratia poteſtas legislatoria competit populo univerſo, in ariſtocratia univerſitati optimatum, in monarchia monarchæ*, conſequenter *in democratia lex eſt, quod populus conſtituit, in ariſtocratia, quod conſtituunt optimates, in monarchia, quod conſtituit monarcha.* Quoniam vero in Rep. mixta imperium limitatum (§. 138.), prouti populo imperium deferenti viſum fuerit (§. 36.), ita ut jus omne Rectoris civitatis metiendum ſit ex voluntate, quæ populo fuit, cum imperium transferret (§. 43.); poteſtas quoque legislatoria limitari poteſt, ſcilicet ut ſuperior ad condendas leges requirere debeat vel populi univerſi, vel certorum quorundam ex populo conſenſum. Et quia lex funda-

Digitized by Google

fundamentalis civitatis est, ut Rector ejus in certis negotiis requirat consensum vel populi universi, vel certorum quorundam ex populo (§. 78.); *in Rep. mixta potestas legislatoria superiori competens metienda est ex legibus fundamentalibus.*

Legibus civilibus restringitur libertas civium, seu subditorum, cum secundum eas actiones suas determinare teneantur, non vero pro lubitu, seu prouti sibi visum fuerit. Quamobrem cum homines naturaliter sint libertatis suæ amantes; leges novæ iisdem semper sunt suspectæ, quatenus verentur, ne libertas eorum arctius constringatur, quam par sit. Sane non alia de causa populi libertatis amantes statum popularem aliis Rerump. formis prætulerunt, aut saltem Resp. mixtas statui monarchico & aristocratico. Ac ideo potestatem legislatoriam vel sibi reservarunt, vel saltem legibus fundamentalibus circumscripserunt: quod num benefactum sit, hic non disputandum, ubi non quæritur de eo, quod melius fit, sed omnis de jure saltem quæstio est. Ceterum hinc intelligitur, cur Imperator in Instit. §. 4. de J. N. G. & C. legem dicat, quod populus Romanus senatorio magistratu veluti consule interrogante constituebat. Definitio enim hæc aptata est ad formam Reip. Romanæ, quemadmodum definitiones in Jure civili formari debent, ubi de eo, quod in certa quadam civitate obtinet, quæstio est.

§. 815.

Potestati legislatoriæ non subsunt leges fundamentales. An leges fundamentales ad potestatem legislatoriam referendæ.

Leges enim fundamentales civitatis sunt, ad quarum observantiam Rector civitatis adstringitur in exercitio imperii (§. 77.), consequenter eædem ad modum habendi & exercendi imperium pertinent. Enimvero cum a populi voluntate dependeat, definire, a quonam & quomodo imperium exerceri debeat (§. 36. *& seqq.*); modus habendi & exercendi imperium non in ipso imperio continetur, sed eidem extrinsecus

trinsecus accedit, quatenus scilicet populus de imperio tanquam re sibi propria (§. 34.) pro lubitu disponit (§. 118. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem cum potestas legislatoria sit jus in imperio tanquam pars potentialis contenta (§. 63.); leges fundamentales civitatis non subsunt potestati legislatoriæ.

Ostenditur etiam hoc modo. Leges fundamentales præscribuntur superiori, ut secundum eas imperium exerceat, seu Remp. administret (§. 77.). Leges vero, quas condit superior, tenent subditos, & jus eas condendi, seu potestas legislatoria superiori competit (§. 813.). Quamobrem cum leges fundamentales non subsint juri superioris, eadem quoque subesse nequeunt potestati legislatoriæ.

Non est quod objicias, leges fundamentales constitui a populo, populum vero universum, quamdiu imperium in alium, vel alios nondum transtulit, esse superiorem civitatis (§. 133.), ac per consequens quia potestas legislatoria superiori competit (§. 813.), eidem quoque subesse leges fundamentales. Etenim leges fundamentales condit populus, dum Remp. instituere, seu civitatem ordinare vult, cum non uno modo id fieri possit (§. 37. 38.). Tum vero populus non agit jure universis in singulos competente, seu imperii (§. 32.), consequenter non tanquam superior (§. 141.); sed instar domini de re sibi propria disponit, quomodo eandem administrari in utilitatem suam velit (§. 34.).

§. 816.

Non superior leges fundamentales condere potest.

Quoniam potestati legislatoriæ non subsunt leges fundamentales civitatis (§. 815.); *superior vi potestatis legislatoriæ leges fundamentales condere nequit.*

Superior nimirum non ordinare civitatem, sed gubernare Remp.

Digitized by Google

Remp. debet. Imperium vero non est jus civitatem ordinandi, sed Remp. gubernandi, quæ ante instituenda, quam gubernari possit. Dum Resp. instituitur, singuli sese obligant sibi invicem vi pacti, quod hanc formam Reip. habere velint, consequenter inter se conveniunt de legibus fundamentalibus, quas de modo habendi & exercendi imperium observari & ad quas superiorem adstringere velint, qui cum iisdem subjectus sit (§. 77.) nihil quoque juris in iisdem sibi arrogare valet.

§. 817.

Abrogatio legis quid sit.

Lex abrogari dicitur, quando declaratur, quod subditos non amplius obligare debeat. Unde patet, quid sit *jus abrogandi leges*, nimirum jus declarandi, quod ea non amplius obligare debeat, seu legis instar observanda sit. Quoniam leges mutare idem est ac veteres tollere & alias in earum locum substituere (§. 290. *Ontol.*); *jus mutandi leges jure abrogandi continetur.*

§. 818.

Cuinam competat jus leges abrogandi & mutandi.

Quoniam superiori competit jus condendi leges (§. 812. 813.); a voluntate ipsius dependet, quales condere velit (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*), consequenter etiam jus legem quandam tollere velit, & utrum aliam in ejus locum substituere velit, an nolit. Quamobrem cum legem abroget, qui eam tollit, hoc est declarat, quod ea subditos amplius obligare non debeat (§. 817.); *superiori competit jus leges abrogandi*, & quoniam eodem jure continetur jus mutandi leges (§. *cit.*), *eidem* quoque *competit jus mutandi leges.*

Cum in Rep. mixta potestas legislatoria metienda sit ex legibus fundamentalibus (§. 814.), per has vero exercitium imperii, consequenter potestatis legislatoriæ limitatur (§. 77.);

in Rep. mixta fieri poteſt, ut ſuperiori non liceat leges quasdam abrogare, vel mutare ſine populi, aut aliorum certorum conſenſu. Tum vero poteſtas legislatoria, quæ jus leges abrogandi & mutandi continet, non eſt imminuta; ſed ſaltem non tota in ſuperiorem translata, verum pars quædam ejus populo, vel aliis reſervata. In Rep. nimirum mixta populus vel alii certi ex populo ſunt participes imperii eo modo, qui per leges fundamentales definitur. Quamvis vero libera ſit voluntas ſuperioris in legibus ferendis, mutandis & abrogandis; libertas tamen hæc, perinde ac naturalis (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*), non tollit obligationem naturalem, qua ſublata jus degenerat in licentiam (§. 150. *part. 1. Jur. nat.*). Poteſtas legislatoria jus eſt, quod oritur ex obligatione imperium civile ita exercendi, ut bonum publicum, quantum fieri poteſt, promoveatur (§. 809. 810.). Ac ideo voluntas legislatoris regitur jure naturali, quemadmodum omne exercitium imperii civilis. Evidentius hoc patebit ex ſequentibus, quæ de modo condendi leges civiles demonſtraturi ſumus. Neque aliud fert obligatio, quæ ex pacto, quo civitas conſtituta (§. 4.), reſultat (§. 28.), nec aliter populus in perſonam unam, vel plures poteſtatem legislatoriam conferre, aut ejusdem aliquos participes facere potuit, quam ut leges condantur, quæ præſcribunt media bonum publicum promovendi.

§. 819

De interpretatione legum civilium.

Jus interpretandi leges ſuperiori in civitate competit. Etenim cum leges interpretari idem ſit ac inquirere, quidnam per verba legis indicare voluerit legislator (§. 459. *part. 6. Jur. nat.*), leges autem condere (§. 813.) & mutare ſit ſuperioris (§. 817.); in caſu dubio omnino ipſius quoque eſt declarare, quomodo verba legis intelligenda ſint, ac ideo jus interpretandi leges in civitate ſuperiori competit.

In

Digitized by Google

In casu dubio legem interpretari nequit, nisi qui leges condere ac mutare potest. Facile enim contingit, ut alius verbis tribuatur sensus, quam quem intendit legislator. Quamvis vero hoc fiat, etiamsi Rector civitatis, qui nunc est, legem ab antecessore latam interpretatur; in eo tamen nihil est, quod juri ejus adversatur; si vero fiat ab aliis, quibus potestas legislatoria minime competit, ii jus usurpant ipsis minime competens.

§. 820.

Leges fundamentales superior interpretari nequit. Et- *An superior*
enim superior vi potestatis legislatoriæ, quæ eidem com- *leges funda-*
petit, leges fundamentales condere nequit (§. 816.), nec *mentales*
eidem illi subsunt hæ leges (§. 815.). Quamobrem nec *interpretari*
superiori competit jus leges fundamentales interpretandi (§. *possit.*
459. *part. 6. Jur. nat.*).

Ostenditur etiam hoc modo. Superior obligatur ad legum fundamentalium observantiam (§. 77.). Ponamus igitur eum habere jus eas interpretandi, prouti voluerit: contra leges fundamentales facere poterit, quod voluerit, ac idem populo ferendum, qui stare tenetur interpretatione ipsius. Legum fundamentalium hoc modo vis & efficacia aut nulla erit, aut pro lubitu labefactari potest. Quod quam sit absurdum, nemo non videt.

Nemo est qui dubitet, nihil absurdius concipi posse, quam legem alicui ferre & ejus interpretationem liberam relinquere eidem, ita enim in fraudem legis facere potest, quæ libuerit (§. 521. *part. 6. Jur. nat.*): id quod legislator fieri noluit (§. 522. *part. 6. Jur. nat.*). Idem vero valet de legibus fundamentalibus, quod de omni lege verum est.

§. 821.

Digitized by Google

§. 821.

An populus. *Leges fundamentales populus interpretari nequit*; Etenim per leges fundamentales definitur jus superioris, quando imperium limitatur (§. 74. 77.), consequenter interpretatione opus est, quando de jure superius controvertitur (§. 459. *part. 6. Jur. nat.*). Quamobrem cum superiori jus tale competat, quale leges fundamentales esse volunt, jus vero per eas acquisitum eidem auferri non possit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); populus quoque leges fundamentales interpretari nequit.

Quando de jure superioris inter ipsum ac populum controvertitur, facile patet neutrum esse posse judicem in propria causa. Quoniam vero communem judicem non habent, quæritur, quomodo controversia sit decidenda. Necesse igitur est, ut ad hanc quæstionem adhuc respondeatur.

§. 822.

Quomodo interpretatio legum fundamentalium fieri debeat. *Si lex fundamentalis interpretanda, id ferri debet secundum regulas, quas Jus naturæ approbat: quodsi vero de ea convenire nequeunt superior atque populus, necesse est ut vel amicabili compositione, vel transactione, vel per arbitros lis finiatur.* Neque enim superior (§. 820.), neque populus leges fundamentales interpretari potest (§. 821.). Quamobrem cum dentur regulæ interpretandi juri naturæ approbatæ, quas c. 3. part. 6. Jur. nat. demonstravimus; juxta eas omnino interpretatio fieri debet. *Quod erat unum.*

Enimvero si de applicatione illarum regularum conveniri non possit; lis inter superiorem & populum de vero sensu legum fundamentalium in casu dubio nondum finitur. Quamobrem cum inter eos, qui communem judicem non agnoscunt, lis aliter finiri nequeat, nisi vel amicabili compositione

Digitized by Google

positione (§. 869. *part. 5. Jur. nat.*), vel transactione (§. 880. *part. 5. Jur. nat.*), vel arbitrio (§. 945. *part. 5. Jur. nat.*), fini autem civitatis, nimirum tranquillitati, adversum sit vi armorum adigere superiorem ad transactionem (§. 1103. 1104. *part. 5. Jur. nat.*); necesse omnino est ut vel amicabili compositione, vel transactione, vel per arbitros lis finiatur. *Quod erat alterum.*

Æquitati naturali maxime convenit, ut legum fundamentalium interpretatio fiat secundum regulas interpretandi, quas Jus naturæ approbat. Et cum dissidia inter superiorem ac populum tollant tranquillitatem Reip. omnium maxime, si ad arma veniatur, populo libertatem suam, superiore jus suum defendere volente, fini civitatis apprime convenit inquirere in interpretationem, utrum recte fiat, nec ne, ac recta interpretatione stare. Immo cum non minus populus, quam superior ad ea facienda obligetur, quæ ad securitatem publicam conservandam requiruntur; naturali quoque obligationi tam populi, quam superioris maxime convenit, ut ad interpretationem, quam Jus naturæ probat, confugiant. Quodsi vero de ea convenire nequeunt, ne quid committatur, quod obligationi isti contrarietur, lege naturali non permittitur modus alius controversiam de interpretatione finiendi, quam vel per amicabilem compositionem, vel per transactionem, vel per arbitros: in sortem ut consentiant partes dissentientes vix credendum. Quid vero prudentiæ sit, non est hujus loci disquirere.

§. 823.

Dispensatio est permissio actus lege prohibiti in casu singulari facta. *Dispensare* igitur *idem est ac legem tollere in casu quodam singulari*, consequenter *ab obligatione, quæ inde venit, aliquem liberare.* *Quid sit dispensatio.*

Ex. gr. ponamus matrimonia inter certas personas propter

Digitized by Google

gradum cognationis esse prohibita. Quodsi permittatur, ut personæ quædam in eodem gradu sibi invicem cognatæ matrimonium ineant; permissio hæc dispensatio est. Similiter dispensatio fit, si prohibitum sit, ne nobilis ignobilem ducat, & nobili cuidam permittatur, ut ducat.

§. 824.

De jure dispensandi. Quoniam dispensare idem est ac legem tollere in casu quodam singulari (§. 823.), consequenter quoad unam, vel alteram personam, legem autem abrogare idem ac eandem tollere quoad omnes (§. 817.); *qui legem abrogare potest, is etiam dispensare potest.* Quamobrem cum *superiori* competat jus abrogandi leges (§. 818.); eidem quoque *competit jus dispensandi.*

Jus dispensandi casus quidam particularis est juris abrogandi, ac ideo cum eo sub potestate legislatoria continetur.

§. 825.

Quando non dispensativa esset. *Contra legem naturæ &, si qua datur, legem divinam positivam superior dispensare nequit.* Etenim obligatio, quæ a lege naturæ venit, necessaria & immutabilis est (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem nemo ab eadem liberari potest. Quoniam itaque superior dispensans aliquem ab obligatione, quæ a lege venit, liberat (§. 823.); contra legem naturæ dispensare nequit. *Quod erat unum.*

Quodsi detur lex positiva divina, obligatio penderet a voluntate Dei (§. 149. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero homo omnis, consequenter etiam superior in civitate quacunque, obligatur ad omittendas actiones voluntati divinæ contrarias (§. 978. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem superior ab ea obligatione neminem liberare, ac per conse-

Digitized by Google

consequens contra legem divinam dispensare nequit (§. 823.). *Quod erat alterum.*

Obligatio naturalis tantæ necessitatis est, ut ne quidem Deus contra eandem dispensare quenquam possit (§. 282. *part. 1. Phil. pract. univ.*), neque etiam tanquam ejus autor velit (§. 275. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Convenit hoc sanctitati ejusdem (§. 1063. 1065. *part. 1. Theolog. natur.*). Nolle autem eidem adversa omnipotentiæ ejus nihil derogat (§. 347. 353. *part. 1. Theol. nat.*). Nemo hominum actiones suas liberas determinare debet suo arbitratu, sed necesse est, ut eas determinet, quemadmodum Deus vult (§. 970. *part. 1. Theol. nat.*). Quodsi ergo velit, ne quis hoc faciat, superiori liberum non est velle ut faciat, consequenter contra legem divinam is dispensare nequit.

§. 826.

Quoniam superior contra legem naturæ &, si qua datur, legem positivam dispensare nequit (§. 825.); *jus dispensandi in civitate superiori competens* (§. 824.), *ultra leges humanas extendi nequit.* *Intra quos limites contineatur.*

Jus dispensandi fluit ex potestate legislatoria (*not.* §. 824.). Eam igitur non egreditur hoc jus. Circa eas leges, quæ juri superioris subsunt, dispensare potest; non vero circa alias, quæ a voluntate ipsius minime pendent.

§. 827.

Similiter quia *superior* contra legem naturæ &, si qua datur, legem positivam dispensare nequit (§. 825.); *si quædam permittere tenetur, quæ legi naturæ, aut, si qua datur, legi naturæ ac divinæ positivæ contrariantur, ea tantum impune fieri permittit.* *De permissione eorum, quæ legi naturæ ac divinæ repugnant.*

Quædam legi naturæ contraria in civitate subinde esse permittenda, patebit inferius, ubi de legibus civilibus sumus actu-

Digitized by Google

ri, & quodammodo jam inde patet, quod imperium civile, ad quod etiam jus dispensandi referendum, non extendatur ultra eas actiones, quæ ad bonum publicum consequendum pertinent (§. 35.). Si qua datur lex positiva divina, ea a voluntate divina venit (§. 149. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter cum non habeat rationem sufficientem in ipsa hominis rerumque essentia atque natura, esset enim tum lex naturalis (§. 135. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ea nobis aliunde innotescere nequit nisi per revelationem, prouti constat ex iis, quæ de modo cognoscendi voluntatem divinam demonstravimus (§. 443. *& seqq. part. 1. Theolog. natur.*). In Jure igitur naturæ demonstrari nequit, num detur lex quædam positiva divina; sed disquisitio hæc alterius fori est.

§. 828.

Interpretatio authentica.

Interpretatio legum authentica dicitur, quæ fit ab ipso superiore. Quamobrem cum eidem jus interpretandi competat (§. 819.), idemque leges mutare possit, prouti e re visum fuerit (§. 817.); *interpretatione authentica semper standum*, consequenter *judices secundum eam jus perpetuo dicere tenentur.*

Non alio fine interpretatio a superiore requiritur, quam ut de genuina ejus voluntate constet. Quando igitur eam declaravit, cum voluntas ipsius faciat legem (§. 149. *part. 1. Phil. pract. univ.*), interpretatio authentica instar legis habenda, hoc est, verba legis obscura vel ambigua in eo sensu accipienda sunt, quem ipsis tribuit legislator. Perinde nimirum est, ac si tum legem demum tulisset.

§. 829.

Interpretatio doctrinalis quid sit.

Interpretatio doctrinalis vocatur, quæ fit secundum regulas rectæ interpretationis a judice. Quoniam interpretandi jus superiori in civitate competit (§. 819.), consequenter judici

Digitized by Google

judici, qui curare debet, ut jus suum unicuique tribuatur, & unumquemque adversus injurias aliorum defendere (§. 538.), interpretatio non permissa intelligitur, nisi quatenus sensum legis secundum leges rectæ interpretationis eruere valet; *interpretatio doctrinalis locum non habet, si lex fuerit adeo obscura, ut per regulas rectæ interpretationis constare nequeat de mente ejus*, consequenter *tum recurrendum est ad authenticam* (§. 228.).

Eliguntur judices legum periti (§. 541.), qui ideo quoque leges rite interpretari posse præsumuntur. Quamobrem cum iis committatur, ut controversias civium causa cognita decidant (§. 540. *b.* & §. 960. *part. 5. Jur. nat.*), facta nimirum applicatione legum ad factum præsens; ipsis quoque permittendum, ut leges interpretentur, ubi secundum regulas interpretationis rectæ de mente earum constare potest. Constituuntur enim judices, ne superior semper sit adeundus. Subdividitur a Dd. interpretatio doctrinalis *in ampliativam*, qua ob similitudinem casus legis casus specialis ad alios similes extenditur; *in illativam* seu *comprehensivam*, qua ex generali legis ratione infertur aliquid, quod verbis legis non enunciatur; *in restrictivam*, qua verba generalia ad casum verbis legum expressum restringuntur, & *in explicativam* seu *declarativam*, qua sensus legis ex verborum significatu eruitur. Enimvero si ea teneamus, quæ de interpretatione demonstrata sunt (§. 460. & *seqq. part. 6. Jur. nat.*); subdivisiones istæ abunde intelliguntur, nec iisdem hic immorari tenemur. Quæ enim ibidem de interpretatione tradita fuerunt; ad doctrinalem spectant vi definitionis, quæ sola ratione regitur, ita ut voluntati interpretis locus nullus relinquatur, sicuti in authentica (§. 828.), in eo a doctrinali differente. Nimirum quamvis interpretatione inquiratur, quid legislator per verba legis indicare voluerit (§. 459. *part. 6. Jur. nat.*); ea tamen extendenda quoque est ad casus, lege minime comprehensos, quatenus

Digitized by Google

eædem vel earundem rationes ſpectantur tanquam principia generalia, ex quibus alia recte inferuntur, quemadmodum tanquam verum admittitur, quod ex veritatibus aliis tanquam principiis demonſtrandi recta ratiocinatione infertur. Nam quia legum concordia eſſe debet, non vero eædem ſibi mutuo contradicere debent; legislator ea quoque voluiſſe præſumitur, quæ cum iis conſentiunt, etſi de eo non cogitaverit, cum leges ferret. Recta enim interpretatio etiam ducit ad ea, quæ voluiſſet legislator, ſi eidem cognita fuiſſent, quæ nunc palam ſunt (§. 515. *part. 6. Jur. nat.*). Hæc omnino ratio eſt, cur doctrinalis interpretatio habeatur pro præſumtione voluntatis legislatoris, a qua omnem vim ea accipit, cum obligatio civilis veniat a lege civili (§. 290. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter tota pendeat a poteſtate legislatoria. Unde patet, quomodo intelligi debeat quod dicitur, interpretationem doctrinalem vim ſuam accipere ab authentica.

§. 830.

De valore interpretationis doctrinalis.

Quoniam interpretatio doctrinalis fit a judice (§. 429.), judici autem non competit poteſtas legislatoria (§. 813.); *interpretatio doctrinalis per modum legis recipi nequit*, conſequenter *ſecundum eam judices alii non tenentur jus dicere in eodem caſu recurrente.* Et quoniam appellationes in Rep. ſunt permittendæ (§. 549.), appellatio vero eſt provocatio a judice ad ſuperiorem, ut ipſe cauſam decidat (§. 548.); *ſi quis in ſententia a judice ſecundum interpretationem doctrinalem lata acquieſcere nolit, ei permittendum eſt, ut ab interpretatione doctrinali ad authenticam provocet* (§. 828.).

Inde eſt, quod dicitur, judicis deciſionem, ſecundum ſcilicet interpretationem doctrinalem factam in cauſa dubia, valere tantum in iſta cauſa, nec extendi ad alias. Etenim cum judici permiſſa ſit interpretatio doctrinalis, judex vero quilibet in exercitio juris ſui dependeat a ſuperiore, cujus nomine jus dicit,

Digitized by Google

dicit, non vero a judice alio; in interpretandis quoque legibus, quatenus hoc ipsi concessum, suum sequitur judicium, non vero judicio alterius stare tenetur. Quando vero ratio appellandi alia non est, quam interpretatio doctrinalis, quam pars sententia gravata minus recte factam existimat ob rationes a regulis interpretandi desumtas, quæ aliter faciendam ipsi persuadent; utique ab interpretatione doctrinali ad authenticam provocatur. Quare si contingat sententiam a superiore confirmari, id quod obtinet, si superior vel ipse in tribunali appellationum, quando causa deciditur, fuerit præsens, vel sententia ab eodem lata ipso offeratur, ut eam confirmet, vel reformet; confirmatio omnino continet interpretationem authenticam, cum eo ipso confiteatur, doctrinalem menti suæ conformiter factam esse. Sane etiam si judex interpretationem authenticam a superiore petit; an ita intelligenda sit lex, quemadmodum sibi videtur, quærere potest: id quod omnino idem est ac interpretationem doctrinalem confirmationi ejus submittere, qua facta ecquis dubitet interpretationem istam pro authentica habendam esse?

§. 831.

Interpretatio usualis appellatur, quæ usu fori introducta, seu secundum quam semper pronunciatum in judicio, consequenter *ea vim consuetudinis obtinet.* Facile autem patet, *interpretationem usualem esse doctrinalem in foro receptam* (§. 829.). *De interpretatione usuali.*

Nimirum qui primi fuere interpretes, interpretatione doctrinali usi sint. Eam deinceps continuo approbarunt judices, quoties idem casus denuo occurrit. Constante igitur hac approbatione interpretatio ista consecuta est autoritatem, ut non facile sine approbatione superioris ab eadem discedere liceat. Pleniorem lucem affundent ea, quæ de consuetudine demonstranda veniunt.

§. 832.

Digitized by Google

§. 832.

Jus puniendi jus majestaticum esse, seu partem imperii.

Ad jura majestatica pertinet jus puniendi, seu jus puniendi pars imperii civilis est. Etenim superiori civitatis competit potestas legislatoria (§. 813.), jus nimirum condendi leges (§. 812.), tum de iis, quæ fieri debent a civibus, seu subditis, tum de his, quæ facere non debent, tum denique de his, quæ permissa esse debent (§. 582.). Quoniam itaque civilis obligatio, quæ positiva est (§. 290. *part. 1. Phil. pract. univ.*), faciendi nimirum ea, quæ præcipiuntur, non faciendi ea, quæ prohibentur, nec impediendi aliquem in iis, quæ permissa sunt, introducitur sanctione poenali (§. 291. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter poenarum constitutione (§. 289. *part. 1. Phil. pract. univ.*); superiori quoque competit jus puniendi. Quamobrem cum jus superiori competens in actiones singulorum (§. 141.) imperium sit (§. 32.) & jus ad exercitium imperii requisitum jus majestaticum est (§. 207.); jus puniendi est pars imperii civilis & ad jura majestatica pertinet.

Ostenditur etiam hoc modo. Legibus tales ac tantæ addendæ sunt poenæ, quæ ad cohibendam legum transgressionem, quantum datur, sufficiunt (§. 585.). Quoniam itaque superiori competit potestas legislatoria (§. 813.), nimirum jus condendi leges (§. 812.), & præterea sublato bello privato (§. 560.) per judices punire debet eum, qui injuriam fecit privatis (§. 559.), universitati etiam in civitate competit jus puniendi eum, qui ipsam seu Remp. læsit (§. 579.); superiori utique jus puniendi competit. Unde porro patet, ut ante, eam esse partem imperii civilis & ad jura majestatica pertinere.

Jus puniendi a potestate legislatoria inseparabile est, nec bellum

Digitized by Google

bellum privatum tolli potest, nisi jus puniendi injurias aliis facientem in superiorem transferatur, quod in locum illius succedit. Sine jure igitur puniendi imperium civile exerceri nequit, ac per consequens idem ad jura majestatica pertinet (§. 810.). Inseparabilitas juris puniendi a potestate legislatoria adeo manifesta est, ut a nemine in dubium revocari queat, cum leges ferendo nihil agatur, nisi metu poenarum ad earum observantiam obligentur, qui sua sponte obligationi suæ satisfacere nolunt. Neque enim sufficit naturaliter unumquemque civem obligari ad observantiam legum civilium, quæ sunt media finis civitatis consequendi (§. 49. *part.* 7. *Jur. nat.* & §. 4. *b.*), vi pacti, quo civitas constituta (§. 4.) & singuli sese obligant universis ad bonum publicum promovendum (§. 28.) & vi pacti cum superiore, in quem imperium transtulerunt (§. 36.), quatenus nimirum pacta naturaliter sunt servanda (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*). Obligatio hæc naturalis supponit homines ratione utentes & ab affectibus eidem contrariis animum immunem possidentes. Quoniam vero istiusmodi subdi[illegible] supponere non licet, cum plerique homines affectibus potius, quam ratione regantur tantum non semper, & subinde facile omnes; ideo obligatio positiva opus est, non aliter quam sanctione poenali introducenda (§. 301. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), metu poenarum affectus alios in contrarium nitentes superante. Similiter necessitas puniendi eum, qui injurias facit alteri, cum sublatione belli privati adeo arcte cohæret, ut sine injustitia a se invicem separari nequeant. Naturaliter enim cuilibet competit jus puniendi eum, qui ipsum læsit (§. 1061. *part.* 1. *Jur. nat.*), ut in posterum tutus sit ab injuriis ejus atque aliorum (§. 1059. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam itaque ad finem civitatis pertinet tranquillitas (§. 13.), ut nimirum quilibet habeat animum vacuum a metu injuriarum (§. 11.), ac ideo Rectori civitatis curæ esse debet, ut quilibet sit tutus ab injuria aliorum (§. 532.); non eo fine in civitatem coitur, ut quilibet alterum impune lædat, sed ut facilius consequatur id, quod bello privato intenditur in statu na-

Digitized by Google

turali, ad quod omnino pertinet jus puniendi lædentem (§. 1114. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 833.

Quanam poena jure majestatico determinentur.

Quoniam jus puniendi ad jura majestatica pertinet (§. 832.); *jure majestatico determinantur poenæ legibus adjiciendæ & juris tam privatorum, quam Reip. violatoribus decernendæ.*

Non est quod objicias, poenas multas arbitrio judicis vel magistratus determinandas esse, nec fieri posse ut superior ipse eas determinet, aut a judice determinatas approbet. Quod enim judex facit, id non facit nisi jure a superiore sibi concesso, consequenter quatenus is per ipsum jus majestaticum exercet. Valet hic illud pervulgatum: Quod quis per alium facit, per se fecisse putatur. Et jus judicis vel magistratus juri majestatico ita subest, ut superior judicem vel magistratum jure sibi concesso abutentem punire possit.

§. 834.

De jure gladii, seu jure vitæ ac necis.

Jus gladii dicitur jus poenam capitalem sumendi de maleficis. Vocatur etiam *Jus vitæ ac necis*, quamvis hoc latius extendatur, quatenus sub jure belli etiam continetur jus exponendi vitam subditorum periculo necis, immo etiam sub imperio eminente. Quoniam jus puniendi ad jura majestatica pertinet (§. 832.), quando vero sine poenis capitalibus crimina coërceri nequeunt, poenæ capitales licitæ sunt (§. 638.), & jus poenam capitalem sumendi de maleficis jus gladii est, *vi def. praes. Jus gladii ad jura majestatica pertinet.* Sed quia innocentem punire non licet (§. 1086. *part. 1. Jur. nat.*), & poena gravior illicita, ubi levior sufficit (§. 1065. *part. 1. Jur. nat.*); *jus gladii superiori non competit nisi in eos, qui capitalia commiserunt.*

Quidam

Digitized by Google

Quidam jure gladii jus omne puniendi comprehendunt, immo etiam jus vitæ ac necis, quatenus ex jure belli & jure eminente in perſonas reſultat; ſed cum ab omni æquivocatione ſit abſtinendum (§. 144. *Diſc. præl.*), nec ſynonymia præter neceſſitatem admittenda (§. 143. *Diſc. præl.*); ideo præſtat jus gladii in ſignificatu ſtrictiori, quem in definitione eidem tribuimus, retineri.

§. 835.

Jus gladii naſcitur ex jure ſe ſuaque defendendi. Univerſitas enim in civitate ſpectatur tanquam perſona moralis (§. 576.), quæ injuria affici lædique poteſt (§. 577. 578.). Quamobrem cum unicuique homini competat jus ſe (§. 973. *part. 1. Jur. nat.*), ſuaque defendendi (§. 691. *part. 2.* & §. 354. *part. 7. Jur. nat.*); jus ſe ſuaque defendendi adverſus lædentes univerſitati in civitate, ſeu Reip. competit. Enimvero ſe (§. 1013. *part. 1. Jur. nat.*), ſuaque (§. 699. *part. 2. Jur. nat.*) & pudicitiam ſuam defendere licet cum interfectione lædentis, ſi periculum læſionis aliter averti nequit (§. 355. *part. 7. Jur. nat.*). Ergo etiam jus defendendi ſe ſuaque Reip. competens *per demonſtrata* extenditur usque ad interfectionem lædentis, ſi periculum læſionis aliter averti nequit. Quamobrem cum non alio fine puniantur crimina, quibus damnum datur, vel injuria affertur univerſitati in civitate, ſeu Reip. (§. 581.), quam ut periculum læſionis ab eadem avertatur (§. 1062. *part. 2. Jur. nat.*); jus poena capitali afficiendi criminum patratores Reip. competit, conſequenter jus gladii (§. 834.), propterea quod ſe ſuaque defendere licet usque cum interfectione lædentis, ſi periculum aliter averti nequit. Patet itaque jus gladii naſci ex jure ſe ſuaque defendendi. *Fons juris gladii.*

Plurimum refert noſſe fontem, unde jus gladii derivatur, ne

Digitized by Google

fecus de eodem ſtatuas, quam par eſt. Qui putant ſuperiori competere jus vitæ ac necis, quod inſtar domini de vita ac nece ſubditorum diſponere poſſit, a veritate procul abſunt, nec jus gladii intra ſuos limites coarctare valent, ut omnis evitetur abuſus. Abunde patet ex anterioribus ſuperiori competere non poſſe jus, niſi quod originarie in populo eſt, quando in civitatem coaleſcit, ac inde in Regem vel optimates derivari, niſi maneat apud populum: jus vero populi non differt a jure ſingulis naturaliter competente, niſi quatenus vi pacti, quo civitas conſtituta (§. 4.), ſeſe ſibi invicem obligarunt ad idem conjunctis viribus tanquam jus commune exercendum (§. 28.). Ideo ipſum quoque jus ſe ſuaque defendendi, quatenus conjunctis viribus exercetur in civitate, conſequenter ab eo, qui jus populi habet, jus gladii eſt. Neque vero abſonum videri debet, quod jus gladii, cum revera ſit jus puniendi (§. 834.), in jus ſe ſuaque defendendi convertatur, quaſi jus puniendi cum jure defendendi confundatur. Etenim ſi crimina maneant impunita, periculum læſionis Reip. imminet non modo ab eo, qui læſit, verum etiam ab aliis, conſequenter cum ad hoc avertendum poenis ſit opus, eædem ſunt medium reſiſtendi agere quid volenti, quo nos lædat. Hanc reſiſtentiam vero eſſe defenſionem manifeſtum eſt (*§. 972. part. 1. Jur. nat.*). Aſt homini non competit dominium in vitam ſuam (§. 351. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem dum in civitatem coëunt, inter ſe convenire nequeunt, ut univerſis ſit jus in vitam ſingulorum. Neque ideo populus univerſus, conſequenter is, qui populi jus habet, eſt dominus vitæ ſingulorum, ut de ea pro lubitu ſtatuere poſſit.

§. 836.

Unde ea innoteſcant, quæ de jure competant.

Quoniam jus gladii naſcitur ex jure ſeſe ſuaque defendendi (§. 835.), naturaliter unicuique homini competente (§. 973. *part. 1.* & §. 691. *part. 2.* & §. 354. *part. 7. Jur. nat.*);

Digitized by Google

nat.); quæ de jure sese suaque defendendi demonstrata sunt, ad gladii tenenda. jus gladii quoque applicanda sunt.

Plurimum refert in Rep. ne jure gladii abutatur Rector civitatis, sed ut eodem recte utatur. Quamobrem necesse est, ut constet, undenam deducendus sit genuinus juris hujus usus. Enimvero non rectius dijudicare possumus usum ejusdem quam si jus gladii reducamus ad jus defensionis, quale naturaliter homini unicuique competit. Inde nimirum apparet, qua religione id sit exercendum.

§. 837.

Quoniam de jure gladii valent, quæ de jure sese defendendi demonstrata sunt (§. 836.), qui vero se defendit, mali, quod sibi intentatur, aversionem, non malum, quod alteri infert, intendit (§. 992. *part. 1. Jur. nat.*); *quando Rector civitatis jure gladii utitur, non necem maleſici intendit, sed aversionem læsionis, ut scilicet singuli, qui in civitate degunt, sint ab eo tuti.* *Intentio R. C. in usu juris gladii.*

Nimirum Rector civitatis non poena capitali affici curat maleficum, quia vult, ut is e medio tollatur; sed quia vult Rempe. esse incolumem, ne cujusdam vitæ ac bonis periculum immineat ab aliis, quod fieri nequit, nisi e medio tollatur. Nullum igitur jus in vitam hominis sibi arrogat, quasi ea sit in dominio suo.

§. 838.

Ex eadem ratione quia defensor non vult malum alterius, quatenus est malum alterius, sed quatenus est medium unicum declinandi proprium, & mallet alterum ab eo esse immunem (§. 993. *part. 1. Jur. nat.*), nec ex malo, quod sui defendendi gratia alteri inferendum, voluptatem *Idem specialius expenditur.*

Digitized by Google

percipit (§. 994. *part. 1. Jur. nat.*), neque hoc facit ullo in aggreſſorem odio (§. 996. *part. 1. Jur. nat.*), ſed animum habet ab omni vindictæ cupidine alienum (§. 999. *part. 1. Jur. nat.*), ſalvo amore inimicorum (§. 998. *part. 1. Jur. nat.*); *Rector civitatis non vult necem malefici, qua talem, ſed qua medium unicum declinandi necem & jacturam bonorum a ſubditis: mallet idem maleficum capite non eſſe plectendum, nec ex nece ejus voluptatem percipit, eum non puniens ullo odio, ſed animo ab omni cupidine vindictæ alieno ac amore inimicorum prorſus illæſo.*

Patet hinc abunde, non modo qua religione jus gladii in Rep. ſit exercendum; verum etiam ea religione non rectius jus ſeſe ſuaque defendendi, qua debet, exerceri poſſe, niſi civitatibus introductis in jus gladii convertatur. Quoniam jus puniendi eum, qui alterum læſit, naturaliter unicuique competens (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*) eodem prorſus animo exercendum (§. 1074. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.*); quo jus ſe defendendi (§. 993. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.*); dum jure gladii non aliter utitur ſuperior, quam quatenus juri defenſionis competit, & idem non locum amplius relinquit exercitio proprio juris puniendi (§. 560.), eo ipſo quoque jus puniendi certius ea religione exerceri poteſt, qua debet. Nihil certe difficilius eſt, ſi non prorſus impoſſibile, quam ut in ſtatu naturali punientis ac ſe defendentis is ſit animus, quem habere debet. Difficultates autem, quæ in ſtatu naturali locum habent, in ſtatu civili tolluntur.

§. 839.

De vitando abuſu juris gladii.

Similiter quia in jure ſeſe defendendi modum excedere non licet (§. 1001. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter non uti licet mediis durioribus, ubi leniora proſunt, immo leniſſima (§. *cit.*); *Rector civitatis jus gladii non extendere debet*

Digitized by Google

bet in infinitum, ac per consequens *non animadvertere in maleficos, ubi poenis levioribus finem poenæ consequi datur.*

Sicuti defensor lædit aggressorem, quatenus modum excedit (§. 1002. *part. 1. Jur. nat.*); ita quoque læditur maleficus, si graviori poena afficitur, quam finis poenæ exigit, & excessus in puniendo recte comparatur; poenæ innocentis, cum nemo puniri debeat, ultra quam meretur & salus publica exigit.

§. 840.

Patet porro quia non modo se (§. 1013. *part. 1. Jur. De poena cat.*), verum etiam res suas (§. 699. *part. 2. Jur. nat.*), & pudicitiam suam in statu naturali defendere licet cum interfectione aggressoris, raptoris & stupratoris violenti, si aliter periculum evitari nequit (§. 355. *part. 7. Jur. nat.*); *poena capitalis homicidii, furti, rapinæ, ac stupri violenti injusta non est, si ejusmodi crimina poenis minime capitalibus coërceri nequeant.*

pitali furti, homicidii, rapinæ, & stupri violenti.

Qui poenas capitales damnant, propterea quod solus Deus sit vitæ dominus, fontem juris gladii ignorant, aut quantum sit jus se ac sua pudicitiamque suam defendendi non intelligunt. Unde patet, quam necesse fuerit, ut jus gladii ex genuino fonte deduceremus.

§. 841.

Quoniam jus gladii summa religione exercere debet superior (§. 938.), nec id extendere in infinitum, ut eodem utatur, ubi poenæ leviores sufficiunt fini poenarum consequendo (§. 939.); *nemo* quoque *poena capitali afficiendus, talium nisi ea a superiore fuerit confirmata.*

De confirmatione poenarum capitalium.

In re tanti momenti utique suo judicio stare debet superior, non judicum, & quæ propriam conscientiam tangunt, ea non relin-

Digitized by Google

relinquere conſcientiæ aliorum. Poenæ igitur capitalis confirmatio recte petitur a ſuperiore, antequam ea irrogetur.

§. 842.

Poenarum remiſſio & mitigatio quale ſit jus.

Poenarum remiſſio & mitigatio ad jura majeſtatica pertinet. Etenim cum ſuperiori competat jus poenas legibus conſtitutas remittendi & mitigandi, ſi ratio ſufficiens adſit (§. 658.), ſicuti poenas legibus adjiciendas & juris tam privatorum, quam Reip. violatoribus decernendas determinandi (§. 833.); ipſius judicio relictum eſt, quales poenas determinare, & num determinatas in caſu aliquo emergente ob circumſtantias ſingulares remittere, aut mitigare conſultum ducat, conſequenter jus poenas remittendi & mitigandi cum jure puniendi cohæret & poenarum remiſſio ac mitigatio utique ad exercitium illius pertinet. Quamobrem cum jus puniendi ad jura majeſtatica pertineat (§. 832.); poenarum quoque remiſſio & mitigatio ad jura majeſtatica pertinet.

Abſurdum omnino foret jus poenas remittendi & mitigandi ſeparare a jure puniendi. Ponamus enim alii competere jus puniendi, alii vero jus poenam remittendi vel mitigandi. Qui poenas determinat, nihil agit, cum ab alterius voluntate unice dependeat, qualem ipſe poenam, an nullam dictare velit.

§. 843.

De jure aggratiandi.

Jus poenas remittendi & mitigandi dicitur *Jus aggratiandi.* Quamobrem cum poenæ remiſſio & mitigatio ad jura majeſtatica pertineat (§. 842.); *Jus aggratiandi jus majeſtaticum eſt.*

Notandum hic quoque eſt, quod alias jam iterato monuimus, nos in definiendo non attendere mores noſtros, ſed definitiones condere principiis Juris naturæ convenienter, ut ea, quæ definiuntur, agnoſcantur, qualia in ſe ſunt origine ſua, non

Digitized by Google

non vero quomodo voluntate humana deinceps mutantur: id quod non uno modo fieri poteſt. Videbimus autem deinceps, quomodo juribus majeſtaticis mutatio quædam accidere poſſit.

§. 844.

An ſub jure diſpenſandi contineatur.

Jus aggratiandi ſub jure diſpenſandi continetur. Et enim cum naturaliter qui alterum læſit ad poenam ſubeundam obligetur (§. 1071. *part. 1. Jur. nat.*), & ſuperior poenas legibus determinando & juris alieni, præſertim Reip. violatoribus decernendo obligationem civilem introducat ad faciendum, quod fieri vult, & non faciendum, quod non vult (§. 288. 291. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter etiam ad poenam lege ſtatutam ſubeundam; qui delinquit aut crimen aliquod patrat, tam naturaliter, quam civiliter obligatur ad poenam jure ſuperioris determinatam ſubeundam (§. 833.). Quodſi ergo ſuperior poenam lege ſtatutam remittit, aut mitigat; reum ab obligatione eandem ſubeundi liberat. Quamobrem cum ſuperior circa legem diſpenſet, quando aliquem ab obligatione, quæ inde venit, liberat (§. 823.), jus vero aggratiandi in remiſſione vel mitigatione poenæ (§. 843.), conſequenter in liberatione ab obligatione iſta conſiſtat; jus aggratiandi ſub jure diſpenſandi continetur.

Parum difficultatis habet propoſitio præſens, modo ad notionem diſpenſationis & juris aggratiandi animum attendas. Sane ſi poena remittitur, vel mitigatur, perinde eſt ac ſi lex poenalis nulla eſſet. Quando diſpenſatur, itidem perinde eſt, ac ſi lex prohibitiva non extaret. In utroque igitur caſu tollitur lex in caſu ſingulari, ac per conſequens diſpenſatio fit.

Digitized by Google

§. 845.

De limitibus juris aggratiandi.

Jus aggratiandi naturaliter superior habet in quolibet crimine; quodsi vero poena quaedam fuerit lege divina positiva statuta, criminis reum aggratiare nequit. Etenim poenae in civitate constituuntur a superiore (§. 833.), lege autem naturali determinatae non sunt (§. 636.). Quamobrem cum superior poenas legibus statutas remittere & mitigare possit (§. 658.), in eo autem jus aggratiandi consistat (§. 843.); jus aggratiandi superior naturaliter in quolibet crimine habet. *Quod erat unum.*

Enimvero quia jus aggratiandi sub jure dispensandi continetur (§. 844.), consequenter tam late, quam hoc pateat, superior autem contra legem divinam positivam dispensare nequit (§. 825); si qua poena lege divina positiva fuerit statuta, superior reum criminis aggratiare nequit. *Quod erat alterum.*

Superior poenam remittere & mitigare potest, cujus determinatio a voluntate ipsius dependet; non vero eam, quae voluntati suae non subest, qualis est, si qua datur, divina positiva statuta. An dentur poenae lege divina positiva statutae, aut, quod perinde est, leges divinae positivae poenales, quae omnes in universum homines obligant, in jure naturae demonstrari nequit. Immo nec inter christianos idem adeo exploratum est, ut non desint qui negativam amplectuntur. Leges enim poenales per Mosen Hebraeis latae revera sunt leges civiles Reip. Hebraeorum, quas forenses dicunt Theologi. Erat illa Resp. Theocratia, in qua superior erat Deus. Leges igitur Hebraeis ferebat tanquam Rex eorum, ut ideo eos tantummodo obligaret ad earum observantiam, non vero totum genus humanum, cui nunquam promulgatae fuerunt. Sed nostrum non est ea uberius discutere.

§. 846.

Digitized by Google

§. 846.

Aboleri dicitur *accusatio* vel *inquisitio*, si de crimine, cujus aliquis postulatur, non inquirendum, consequenter is absque omni cognitione, aut saltem inquisitione nondum absoluta e numero reorum eximitur. Quamobrem patet, *abolitionem esse remissionem poenæ in casu dubio.* *De abolitione.*

Antequam quis criminis fuerit convictus, vel confessus, pro reo haberi nequit. Convictus autem haberi nequit, antequam inquisitio fuerit absoluta, multo minus antequam fuerit inchoata. Quoniam vero nemo innocens puniri potest (§. 1086. *part. 1. Jur. nat.*); nec dici potest, num poenam, vel qualem mereatur. Unde si accusatio, vel inquisitio sive nondum inchoata, sive nondum consummata aboletur; poena criminis, cujus quis postulatur, utique remittitur in casu dubio.

§. 847.

Quoniam superior poenam remittere & mitigare potest, quam quis meretur (§. 658.), multo magis in casu adhuc dubio eam remittere potest, ac per consequens cum remittendo poenam in casu dubio accusatio, vel inquisitio sive nondum inchoata, sive nondum consummata aboleatur (§. 846.); *superior accusationem, vel inquisitionem sive nondum inchoatam, sive nondum consummatam abolere potest, & jus hoc abolendi continetur sub jure aggratiandi* (§. 843.), consequenter *ad jura majestatica pertinet* (§. *cit.*). Quia vero poenam lege constitutam remittere minime debet *superior* sine ratione sufficiente (§. 658.); ideo *nec accusationem, vel inquisitionem, sive nondum inchoatam, sive jam coeptam, sed nondum consummatam, seu absolutam absque ratione sufficiente abolere non debet.* Et quoniam abolitio & permissio poenæ pari passu ambulant (§. 846.); *eadem sunt rationes abolitionis, quæ remissionis* *Cuinam jus abolendi competat & quale sit.*

Digitized by Google

poenæ, seu *ob quas rationes poena remitti potest*, *ob easdem quoque accusatio*, *vel inquisitio aboleri potest.*

Abolitione non aliud intenditur, quam ut memoria criminis, cujus quis suspectus habetur, extinguatur. Qui de eo postulatur, pro non reo declaratur, antequam constet, utrum revera reus sit, nec ne. Quamobrem famæ ejus consulitur abolitione, qui de crimine postulatur.

§. 848.

De amnestia.

Differt ab abolitione *Amnestia*, quæ est oblivio injuriarum & criminum patratorum in perpetuum decreta. *Amnestia* igitur *sancita & præstita ante actarum rerum nemo accusari*, *neve puniri potest.* Vocatur amnestia etiam *Lex oblivionis.* Quoniam superior imperium ita exercere debet, ut publicum bonum, quantum fieri potest, promoveatur (§. 809.), eique competunt omnia jura, sine quibus ita exerceri nequit (§. 810.); *si e re civitatis fuerit, ut amnestia præstetur, superior eam præstare valet.*

Amnestia inprimis opus est in statu Reip. turbulento, ubi ultro citroque injuriæ inferuntur & accipiuntur, ut is in pristinum habitum revocetur: item in bellis intestinis, ut pace facta pristina tranquillitas restituatur. Ita teste *Plutarcho* in Politicis decreta fuit amnestia, cum triginta tyrannis Remp. occupantibus status Reip. Athenienfis esset turbulentus &, autore *Valerio Maximo* labentem civitatis statum in integrum restiturus *Thrasybulus* plebiscitum interposuit, ne qua præteritarum rerum mentio fieret.

§. 849.

An amnestia præstatio pertineat

Quoniam amnestia sancitur atque præstatur, quando oblivio injuriarum & criminum patratorum in perpetuum decernitur (§. 848.); *si in rebellione amnestia a superiore præstatur*,

Digitized by Google

tur, id non tam vi imperii fit, quam transactione, ut pax restitua- *ad imperi-*
tur (§. 879. *part. 5. Jur. nat.*), consequenter *a pacto vim um civile.*
suam accipit (§. 882. *part. 5.* & §. 789. *part. 3. Jur. nat.*). *Ast*
si amnestia præstatur in alio quocunque casu, quo subditi injuriam
non afferunt superiori, sed vel sibi invicem, vel magistratui, aut
personis aliis, quarum potestati a superiore subjecti sunt, cum
tunc amnestia contineat solum poenæ remissionem & abolitionem (§. 848.), *ea utique vi imperii civilis præstatur* (§. 843. 847.).

Amnestia subditis præstatur non alio fine, quam ut ne rerum ante actarum accusari, neve puniri possint, consequenter accusatio & inquisitio aboletur (§. 846.), sicque poena iis, qui eam meruerant, remittitur, quia memoria maleficiorum aboletur, quasi quod factum est factum non sit. Alia vero utique ratio est, si superior cum civibus rebellibus paciscitur, tum enim vel ipse iisdem per modum conditionis amnestiam offert, vel cives eandem sibi stipulantur; alia longe ratio est, si superior vi juris majestatici amnestiam sancit & præstat iis, quos ob maleficia sua punire poterat, tum enim cum his, contra quos inquirendum erat & qui puniri poterant, non transigit, sed proprio motu amnestiam præstat imperium saluti publicæ convenienter exercens.

§. 850.

Si præteritarum injuriarum oblivione certius cavetur, ne Amnestia
novis iisque gravioribus pandantur fores, vel si eædem tutius fi- *num sit na-*
niantur, si poena remittatur, quam si nocentes puniantur; amne- *turaliter li-*
stia naturaliter licita. Etenim poenæ potissimum irrogantur, *cita.*
ut præcaveantur injuriæ futuræ (§. 1075. *part. 1. Jur. nat.* & §. 838. *b.*), atque superioris est cives præstare tutos ab injuriis (§. 532.). Quoniam itaque is curæ quoque habere debet, ut, si talis fuerit status, quo mutuas injurias sibi invi-

Digitized by Google

cem afferunt, eædem quantocyus finiantur. Quia poena remittenda, si majus malum metuendum, ubi poena exigitur, quam periculum læsionis futuræ videtur, ubi ea remittitur (§. 1095. *part. 1. Jur. nat.*), & major utilitas ex poenæ remissione, quam exactione speranda (§. 1096. *part. 1. Jur. nat.*); si is fuerit rerum status, ut injuriarum præteritarum oblivione certius caveatur, ne novis iisque gravioribus pandantur fores, vel eædem tutius finiantur, si poena remittatur, quam si nocentes puniantur, amnestia naturaliter licita est (§. 848.).

Qui sibi persuadent malum omne in se tale esse, ut puniri debeat, vel punitionem cum vindicta confundunt; de amnestia a superiore præstita subditis delinquentibus sinistre judicant, præsertim si injuriæ, quas vindicari mallent, ipsos quoque tangunt. Enimvero cum falsum sit malum in se tale esse, ut puniri debeat (§. 642.), ac perperam inde puniendi necessitas absoluta inferatur, omnes autem animum ab omni vindictæ cupiditate alienum habere debeamus (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*); illi errant, hi peccant, quando amnestiam a superiore præstitam damnant. Nostrum igitur fuit demonstrare, quandonam ea naturaliter licita sit. Quemadmodum enim nil temere fieri debet (§. 278. *part. 3. Jur. nat.*); ita nec temere amnestia præstanda, sed sufficiens adesse debet ratio, cur præstetur, quia scilicet vel medium unicum est, vel saltem tutius videtur mala graviora præcavendi, vel præsentia finiendi. Tum enim utique e re civitatis est, ut amnestia punitioni præferatur, quemadmodum eam ante restrinximus (§. 848.).

§. 851.

Juris affirmativi & negativi differentia.

Jus affirmativum est, quod consistit in faciendo: *Jus* autem *negativum*, quod consistit in non faciendo. *Jure* igitur *affirmativo facere quid licet, seu permittitur* (§. 165. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *jure* autem *negativo aliquid non facere*

cere licet, quod alias erat faciendum, seu ut non faciamus permittatur (§§. *cit.*).

Non est quod objicias, jus affirmativum & negativum sine utilitate distingui. Qui enim jus habet aliquid faciendi, cum non necesse sit ut faciat, sed saltem facere liceat (§. 170. *part. 1. Jur. nat.*); eundem quoque id, quod facere potest, non facere posse, cum libertati ejus relictum sit, utrum facere velit, nec ne. Ita qui jus cerevisiam coquendi habet, non necessario coquere tenetur, sed si ita visum fuerit non coquere potest. Enimvero dantur etiam talia, quæ facere debebas; quando vero permittitur, ut non facias, jus negativum ab affirmativo utique differt. Respicit enim hoc factum privativum, sicuti jus affirmativum factum positivum (§. 24. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ita jus negativum est immunitas onerum civilium, quæ alias tanquam civis præstare tenebaris.

§. 852.

Quoniam jure negativo facere non licet, quod alias erat faciendum (§. 851.), obligatio vero naturalis, seu quæ a lege naturæ venit, necessaria & immutabilis est (§. 142. *part. 1. Phil. nat.*); *lex* naturæ nemini dare potest jus non faciendi id, ad quod eadem lege obligatur, ac ideo *jus naturale nullum negativum est, sed omne affirmativum*, consequenter *non datur jus negativum nisi positivum.*

An detur jus negativum naturale.

Non est quod objicias, officia erga alios habere hanc restrictionem, ut ea præstentur, quatenus alter id, quod præstandum est, non habet in potestate sua & tu citra neglectum officii erga teipsum præstare vales (§. 608. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter obligationem præstandi alteri officia humanitatis naturaliter quoque conjunctum sibi habere jus negativum, ut certo in casu liceat non præstare. Etenim ubi cessat obligatio, cum quid fieri necesse non sit (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), per se cessat actio, nec demum opus est, ut ad

non

non agendum detur jus quoddam. Jura naſcuntur ex obligatione (*§.* 23. *part. 1. Jur. nat.*), ubi ergo obligatio nulla eſt, nihil quoque adeſt, unde jus quoddam oriri poſſit. Aliter vero ſeſe res habet quoad leges poſitivas, quarum obligationem ſuperior tollere poteſt quoad certas perſonas, ut non facere teneantur, ad quod faciendum alii ſunt obligati. Pendet enim obligatio a voluntate ſuperioris, qui eam pro lubitu vel ad omnes extendere, vel certas perſonas ab eadem eximere, aut liberare poteſt. His igitur competit jus non faciendi, cum ceteros teneat obligatio faciendi. Atque hoc jus negativum eſt & ſubſiſtit, quamdiu obligatio ceterorum durat. Hac enim ſublata tollitur quoque jus iſtud.

§. 853.

Privilegium.

Privilegium eſt conceſſio juris cujusdam, ſive affirmativi, ſive negativi, perſonæ uni vel pluribus, aut certo perſonarum ordini facta, quo ceteri carent. *Privilegiarius* dicitur, qui privilegium habet. Vocatur vulgo *privilegiatus*.

Ita immunitas tributorum, vel vectigalium privilegium eſt, cum ceteri tributa & vectigalia ſolvere teneantur. Similiter privilegium Profeſſorum apud nos eſt immunitas geradæ & heergevvetti, ut ſcilicet bona utenſilia & res expeditoriæ, quæ juxta ſtatuta Saxonica & Halenſia ab hæreditate communi ſeparanda, ad eandem adjiciantur. Privilegium quoque eſt, ſi certæ cuidam perſonæ concedatur monopolium certarum mercium. Privilegium militum & ſacerdotum, ſeu miniſtrorum eccleſiæ, tanquam militum ſpiritualium eſt, quod ad eas quoque gerada pertineat, ſeu iidem una cum filiabus in gerada materna ſuccedant, & quod absque ſolennitatibus teſtari & pro parte teſtati, pro parte inteſtati decedere poſſint.

§. 854.

Quid proprie ſit.

Quoniam privilegiis perſonæ uni, vel pluribus, aut certo perſonarum ordini conceditur aliquod jus ſive affirmativum,

Digitized by Google

tivum, sive negativum (§. 853.), consequenter facere permittitur, quod aliis non licet, aut non facere, quod facere alii tenentur (§. 851.); de iis vero, quæ fieri debent, aut non debent, vel etiam permissa esse, disponunt leges (§. 163. *& seqq. part. 1. Phil. pract. univ.*), *privilegia revera sunt leges, quibus omnes obligantur, ut personam privilegiatam jure suo frui patiantur, nec in usu ejus eandem turbent,* seu *quicquam committant, quod eidem adversatur.*

Ita tributa, vel vectigalia non licet exigere ab eo, qui immunitas concessa. Si cui monopolium concessum, non licet alii easdem merces vendere, & omnes easdem emere obligantur a privilegiato. Filia Professoris apud nos non potest auferre geradam in præjudicium filiorum, vel patris, matre mortua. Respectu personæ privilegiatæ privilegia habent vim legis præceptivæ ac prohibitivæ (§. 163. 164. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 855.

Jus privilegia concedendi superiori competit & ad jura majestatica pertinet. Quoniam enim privilegia revera sunt leges, quibus omnes obligantur, ut privilegiatum jure suo frui patiantur, nec in usu ejus eundem turbent (§. 854.); jus privilegia concedendi competere nequit nisi ei, qui potestatem legislatoriam habet (§. 812.). Quamobrem cum superiori competat potestas legislatoria (§. 813.), eademque ad jura majestatica pertineat (§. 810.); jus privilegia concedendi superiori competit & ad jura majestatica pertinet.

Cuinam competat jus privilegia concedendi & quale sit jus.

Tueri privilegiarium in exercitio privilegii sui nemo potest, nisi qui jus in actiones civium habet, consequenter imperium publicum (§. 32.). Atque hinc abunde patet, privilegiorum concessionem ad imperii exercitium spectare, consequenter

Digitized by Google

jus majeſtaticum eſſe (§. 810.). Privilegia nimirum exigit ſalus publica, ſiquidem eorum eviteturabuſus, qui cum abeſſe debeat, quemadmodum in ceteris, ita hic quoque abeſſe ſupponitur. Atque inde eſt, quod ſubinde imperium publicum absque privilegiorum conceſſione exerceri recte nequeat. Apparet hoc evidenter in eo caſu, ubi vel ob præclara in Remp. merita perſonæ cuidam, vel in partem ſalarii certo cuidam ordini immunitas onerum civilium præſtatur.

§. 856.

An in conceſſione regnet voluntas ſuperioris.

Quoniam jus privilegia concedendi ſuperiori competit (§. 855.); *a voluntate ſuperioris dependet, cuinam privilegium, quale & qua lege id concedere velit.*

Equidem imperium civile ita exercere debet ſuperior, ut bonum publicum, quantum fieri poteſt, promoveatur (§. 809.); non tamen inde inferri poteſt, a voluntate ſuperioris minime dependere, cuinam privilegium & qua lege concedere id velit. Inde enim tantummodo ſequitur, ut boni publici promovendi cauſa privilegia concedantur. Hac nimirum lege regitur voluntas ſuperioris in omni imperii exercitio, conſequenter in omni, quod conſtituit. Ipſius autem judicio cum relictum ſit, ut ſtatuat de eo, quod bonum publicum exigit; a voluntate utique ejusdem dependet, quid conſtituere velit, conſequenter etiam cuinam privilegium, quale & qua lege id concedere velit.

§. 857.

De modo concedendi privilegium.

Quia a voluntate ſuperioris dependet, cuinam privilegium, quale & qua lege id concedere velit (§. 856.); *ſuperior privilegia concedere poteſt, vel ad tempus, vel ad dies vitæ, nec non ſub pœna, ut abuſu, vel certo quodam facto, aut non facto committatur, itemque ſub onere quocunque, nec non ſub certa conditione, præſertim poteſtativa, aut etiam precario.*

Ex-

Digitized by Google

Ex modo igitur concessionis multa determinanda sunt, quæ de privilegiis in quæstione sunt. Quoniam vero id omni difficultate caret, quando quæstio quædam incidit; non opus est, ut ad particularia descendamus. Exemplum abusus est, si is, cui vectigalis immunitas concessa, in gratiam amici mercem ejus pro sua venditat, vel si vinum, quatenus a privilegiario consumendum, a vectigali immune lucrifaciendi animo vendat aliis. Ita sub onere monopolium conceditur, si privilegiarius, quotannis certam pecuniæ summam solvere tenetur. Conceditur privilegium sub conditione, si victor ex prælio redierit, aut si negotium aliquod publicum perfecerit. Ad tempus definitum concessum privilegium, si ad sexennium restringitur, ad tempus indefinitum, si tamdiu eodem uti debet, donec salarium pinguius constituatur.

§. 858.

An privilegium in poenam auferri possit.

Superior privilegium in poenam auferre potest ob maleficium, quod idem non attingit. Etenim in poenam auferri alicui possunt jura quælibet (§. 589.). Quamobrem cum privilegium in concessione juris cujusdam consistat (§. 853.); idem quoque in poenam auferri potest. Privilegia vero concedit superior (§. 855.), eidem competit jus puniendi (§. 832.), idemque poenas ob maleficia decernere potest (§. 833.). Privilegium itaque ob maleficium, quod idem non attingit, in poenam auferre potest superior.

Non confundendum est privilegium poenale, quod abusu, vel certo quodam facto, aut non facto committitur, cum ablatione privilegii in poenam. Illud nimirum poenam continet; hoc minus. Factum, ob quod punitur privilegiarius in casu priori respectum ad privilegium habet; in posteriori non necessario. Quamvis enim superior, cujus est decernere poenas (§. 833.), ob abusum quoque privilegium adimere possit, etiamsi in concessione dictum non fuerit, ut abusu commitia-

mittatur; hoc tamen naturale non est, ut abusu committi debeat. Quodsi vero in genere lex feratur, quemadmodum ferri posse nemo dubitat, ut privilegium abusu committatur; privilegium omne tacite poenam hanc continet, & hactenus poenale intelligitur.

§. 859.

Unde metiendum jus privilegiarii.

Jus privilegiarii metiendum est ex voluntate concedentis in concessione sufficienter declarata. Etenim a voluntate superioris, qui privilegium concedit (§. 855.), unice dependet, quale & qua lege id concedere velit (§. 856.), consequenter privilegiarius non plus juris sibi arrogare potest, quam concedens ipsi concedere voluerit. Jus igitur privilegiarii metiendum est ex voluntate concessionis sufficienter declarata (§. 427. *part. 3. Jur. nat.*).

Privilegiarius non plus juris sibi arrogare potest, quam ipsi concessum: neque enim alia ratio est, cur hoc jure fruatur, quam quia ipsi concessum. Ut igitur de voluntate concedentis constet, necesse est ut privilegium in scripturam redigatur, etsi valor non a scriptura dependeat, sed vim suam accipiat a voluntate concedentis.

§. 860.

De interpretatione privilegii.

Quoniam jus privilegiarii metiendum est ex voluntate concedentis in concessione sufficienter declarata (§. 859.), voluntas vero concedentis intelligitur ex eo, quod dictum, vel scriptum est; *jus privilegiarii non extendendum ultra id, quod dictum est, & in casu dubio jus interpretandi privilegium non competit nisi concedenti.*

Non plus juris acquirere potuit privilegiarius, quam quod in eum conferre voluit concedens. Stricte igitur inhærendum verbis ipsius. Si de interpretatione oriatur dubitatio, nec

Digitized by Google

nec verba dubia interpretari potest privilegiarius, ne plus juris sibi arroget, quam ipsi concedere voluit superior, nec eadem interpretari contra ipsum potest alius, ne forsan deroget juri ipsius. Necesse igitur est, ut recurratur ad concedentem, quantum juris privilegiario concedere voluerit declaraturum. Accedit, quod contra voluntatem concedentis jus privilegiarii nec augeri, nec imminui possit (§. 859.): quorum alterutrum facile contingit, si privilegii interpretatio fiat ab alio, quam a concedente, præsertim cum in casu priori difficile sit evitatu, ne in interpretando plus favori, vel odio tribuatur, quam veritati, cum plerosque homines plus regat id, quod interest, quam veritas.

§. 861.

Privilegiarius pati non tenetur, ut alius quid faciat, quod privilegio ipsius adversatur. Cum enim privilegium in jure quodam privilegiario concesso consistat (§. 853.); si quis quid facit, quod privilegio adversatur, is facit, quod est contra jus privilegiarii, consequenter eum lædit (§. 920. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum homini competat jus non patiendi, ut alius ipsum lædat (§. 913. *part. 1. Jur. nat.*), & privilegia contineant prohibitionem, nec quicquam ab ullo committatur, quod iisdem adversatur (§. 854.); privilegiarius tam naturaliter, quam civiliter pati non tenetur, ut alius quid faciat, quod privilegio ipsius adversatur. *De effectu privilegii.*

Frustra privilegia concederentur, si privilegiarius pati teneretur, ut ab aliis fiant privilegio suo adversa, veluti si ipsi soli concessum esset vinum vendere in urbe, si alius adhuc vendere vellet, nisi ea continerent jus non patiendi, ut alius faciat privilegio adversa. Manifesta foret contradictio dare alicui jus, quo carent alii, ac permittere ut alii idem jus sibi arrogent, vel usum illius juris pro lubitu impediant, aut imminuant.

§. 862.

De æque privilegiatis.

Privilegiatus contra æque privilegiatum privilegio uti nequit. Privilegiarius enim utitur privilegio ſuo contra alium, quatenus non patitur, ut is eodem jure utatur, quod ipſi vi privilegii competit (§. 853.). Qui vero æque privilegiatus eſt, idem quod ipſe privilegium habet, conſequenter eodem jure quo hic fruitur, conſequenter quo minus eodem ille utatur, hic prohibere nequit. Privilegiatus itaque contra æque privilegiatum privilegio uti nequit.

E. gr. Si Cajus & Sempronius habeant privilegium vendendi omnis generis vina in urbe; Cajus prohibere nequit, ne certa vina vendat Sempronius, vel etiam ne certæ perſonæ vinum emant a Sempronio. Paria nimirum utriusque ſunt jura, nec unus plus juris in præjudicium alterius ſibi arrogare poteſt, minus alteri permittere.

§. 863.

De tuendis privilegiatis.

Superior tueri tenetur privilegiarium contra eos, qui contra privilegium quid facere audent & promiſſio tutelæ in ipſa conceſſione jam tacite continetur. Quando enim alicui privilegium datur, ei jus conceditur, quo alii carent (§. 853.) & privilegium reſpectu aliorum lex eſt prohibitiva, ne quicquam committatur, quod eidem adverſatur (§. 854.). Quamobrem cum permitti abſurdum ſit, ut quis contra privilegium quid facere audeat; ſuperior, qui privilegium alicui dat (§. 855.), eum etiam tueri debet adverſus eos, qui contra privilegium quid facere audent.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quoniam qui privilegium habet, ei certum jus competit, quo alii carent (§. 853.); quod contra privilegium ab alio committitur, injuria eſt (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum Rectori

Digitized by Google

ctori civitatis curæ esse debeat, ut quilibet sit tutus ab injuria aliorum (§. 532.); idem quoque tueri tenetur privilegiarium contra eos, qui contra privilegia quid faciunt. *Quod erat unum.*

Et quoniam tutela hæc a privilegio inseparabilis est, *per demonstrata*, cum alias privilegium dando nihil ageretur, si cuilibet contra id committere liceret, quod visum fuerit; superior, dum privilegium alicui dat, eo ipso eidem promittere intelligitur, quod eum contra omnes tueri velit, qui contra hoc privilegium quid facere ausint. Patet itaque promissionem tutelæ in ipsa concessione jam tacite contineri. *Quod erat alterum.*

Si expresse hoc dicatur, quod superior jus privilegiarii tueri velit; verba hæc respiciunt non tam privilegiarium, quam ceteros, qui nil committere debent privilegio adversum. Inde est, quod etiam poena decernatur in eos, qui tale quid facere ausi fuerunt. Legi enim prohibitivæ, cui assimilatur privilegium respectu non privilegiatorum (§. 854.), poenæ adjectio convenit (§. 292. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 864.

Privilegium personale est, quod individuo physico datur. Quoniam itaque superior, qui dat privilegium (§. 855.), vult, ut nonnisi huic individuo, qua physico jus, quod conceditur, competat (§. 853.), & ex voluntate ipsius metiendum est jus omne privilegiarii (§. 859.); *privilegium ad personam privilegiarii ita restringitur, ut ab ea in aliam transire nequeat*, consequenter *jus ex privilegio personali acquisitum personale est* (§. 539. *part. 3. Jur. nat.*). *Quid sit privilegium personale & quale jus ex eo acquiratur.*

Quodsi personam moralem, qualem repræsentat non modo persona, quæ certo munere fungitur in Rep. verum etiam inte-

Digitized by Google

grum aliquod collegium, vel familia quædam, vel certus hominum ordo, vel coetus quidam hominum, ab individuo physico distinguere nolueris; in genere dici poterat, privilegium omne esse personale, nec egredi personam privilegiatam: quod etsi in disciplinis utile sit ad formandos conceptus universales, ne tamen perplexa reddere videamur, quæ in se plana & perspicua sunt, privilegia personalia in significatu strictiori accipere maluimus.

§. 865.

Quando expiret. Quoniam jus ex privilegio personali acquisitum personale est (§. 864.), jus autem personale morte personæ extinguitur (§. 542. *part. 3. Jur. nat.*); *privilegium personale mortuo privilegiato expirat*, consequenter *in hæredes non transit.*

Nulla jura personalia in hæredes transeunt, utpote qui non succedunt nisi in jus defuncti, quod habuerat in bonis suis (§. 958. *part. 7. Jur. nat.*), non vero in ea, quæ personam ipsius respiciunt, ac ideo extra bona sunt.

§. 866.

De privilegio personæ & hæredibus dato. *Si privilegium datur personæ & ejus hæredibus; hæredes non succedunt in jus defuncti, sed jus iplis promissum a morte privilegiarii vim suam acquirit.* Quoniam a voluntate superioris dependet, cuinam privilegium & qua lege concedere velit (§. 856.); sicuti privilegium dare potest personæ cuidam, ita quoque idem dare potest hæredibus ea lege, ut eodem non ante uti possint, quam illa fuerit mortua. Quando igitur privilegium datur personæ & hæredibus; superior declarat, quod mortuo privilegiario idem privilegium competere debeat hæredibus, consequenter hæredes privilegio non fruuntur qua hæredes, seu quatenus in bonis defuncti succedunt, sed voluntate superioris, qui id ipsum in

Digitized by Google

in eos transferri voluit. Patet itaque, quod non succedant in jus defuncti, sed quod jus ipsis in privilegio promissum a morte privilegiarii vim suam acquirat.

Si privilegium datur personæ & hæredibus, duplex privilegium datur, alterum nimirum personæ, alterum hæredibus: quæ duo privilegia a se invicem distincta sunt, & quorum neutrum ab altero dependet, utroque vim suam acquirente a voluntate superioris. Privilegium personæ pure datur, quod statim dum accipitur vim suam exerit; hæredibus autem adjecto die incerto, mortis scilicet privilegiarii, sub hac quasi conditione, si hæredes privilegiario extiterint. Alterum igitur hoc privilegium demum validum fit, si privilegiario defuncto extiterint hæredes (§. 467. *part. 3. Jur. nat.*): quodsi nulli extiterint hæredes, privilegium alterum evanescit (§. 534. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 867.

De interpretatione privilegii personæ & hæredibus dati.

Privilegium personæ & hæredibus simpliciter datum non intelligitur datum nisi descendentibus & pro substrata materia non nisi masculis. Etenim interpretatio facienda de eo, de quo verisimiliter fuit cogitatum (§. 512. *part. 6. Jur. nat.*). Enimvero quando de persona & ejus hæredibus loquimur, ea & ex ea nascituri atque ex his porro per nativitatem descensuri animo nostro obversantur, seu persona, de qua loquimur, & ejus liberi cujuscunque gradus, qui illi supervixerint. Quamobrem cum privilegium metiendum sit ex voluntate concedentis (§. 859.); privilegium personæ & hæredibus simpliciter datum non intelligitur datum nisi descendentibus. *Quod erat unum.*

Enimvero si materiæ, de qua agitur, parum convenit, ut verba tam late sumantur, quam patere videntur, per interpretationem restrictivam eidem convenienter restrin-

Digitized by Google

genda sunt (§. 531. *part. 6. Jur. nat.*). Quamobrem si materiæ, de qua in privilegio agitur, parum convenit, ut verba privilegii etiam ad fœminas extendantur, ea restringenda sunt ad descendentes masculos. *Quod erat alterum.*

Privilegia dantur contra jus commune, quo utuntur ceteri (§. 853.), ac ideo maxime odiosa sunt respectu horum (§. 494. *part. 6. Jur. nat.*). Quamobrem cum in odiosis verba sumenda sint in strictiori significatu, immo admittendus etiam sit sermo figuratus aliquantulum, ut onus nimium vitetur (§. 506. *part. 6. Jur. nat.*); vocabulum hæredis sumendum in privilegii interpretatione est in significatu strictissimo, quem habere potest.

§. 868.

De privilegio familiæ. *Privilegium familiæ* dicitur, quod datur familiæ cuidam, hoc est, personæ & omnibus ab ea per nativitatem descendentibus. Quoniam jus privilegiarii metiendum est ex voluntate concedentis in concessione sufficienter declarata (§. 859.) & superior, qui concedit (§. 655.), privilegio legem dare potest, quam voluerit (§. 656.); *ex verbis privilegii patet, quale jus familiæ competat & quomodo a persona una ad aliam devolvatur, nisi eadem promiscue utantur omnes.* Et quia *privilegium* ultra familiam, cui datum est, extendi nequit (§. 860.); *familia extincta expirat.*

Familia hic consideratur instar personæ unius, quemadmodum ante monuimus (*not.* §. 864.). Unde privilegium familiæ considerari potest instar personalis & quæ de persona in hoc casu dicta sunt ad familiam applicari possunt, mutatis mutandis.

§. 869.

Digitized by Google

§. 869.

Privilegium certo cuidam ordini, vel collegio datum singulis personis competit, nisi quatenus certæ personæ contradistinguuntur ceteris, quamdiu in isto ordine, vel membra ejus collegii sunt, vel in eo hunc locum obtinent. Quoniam enim privilegium datur certo cuidam ordini, vel collegio, quatenus omnibus, qui sunt in isto collegio, vel ordine datur, singulis omnino personis competit. Et quia ipsis datur, quatenus sunt in isto ordine, vel membra ejus collegii, privilegio non fruuntur tanquam individua physica, sed tanquam personæ morales. Quando itaque in ordine isto non amplius existunt, vel membra ejus collegii non amplius sunt, ratio cessat, cur privilegium ipsis competere debeat; ac per consequens ipsis competere nequit. *Quod erat unum.* *De privilegio certo ordini vel collegio dato.*

Quia vero superior, qui privilegium dat (§. 855.), pro lubitu dare potest, quale ipsi visum fuerit (§. 856.), & in eo sequenda est voluntas ipsius (§. 859.); si certæ cuidam personæ istius ordinis, vel collegii jus quoddam potius præ ceteris conceditur, id ad personam, quæ locum hunc obtinet, quatenus eundem obtinet, ita restringitur, ut nemini ceterorum competere queat, consequenter loco isti inhæret & per eum in personam, quæ locum hunc obtinet, quatenus eundem obtinet, ita restringitur, ut nemini ceterorum competere queat, consequenter loco isti inhæret & per eum in personam derivatur, quæ eundem occupat. Quamobrem patet personam, quæ jure isto fruitur, eodem frui non posse, nisi quamdiu in ordine, vel collegio illo hunc locum obtinet. *Quod erat alterum.*

Privilegia ordini cuidam, vel collegio data in personas derivantur, quando ordini, vel collegio isti associantur, perinde

Digitized by Google

ac servitutes prædiis impositæ derivantur in eorum possessores, quorum personam minime respiciunt. Sunt nimirum etiam jura, quæ inhærent rebus sive physicis, sive moralibus, & per eas in personas certas derivantur, aut, si accuratius loqui mavueris, quorum usus in eas derivatur. Etenim jus ipsum a re, cui inhæret, inseparabile ex ea in personam transire nequit, sed hæc eodem saltem fruitur, quamdiu res illa ad eam pertinet, nisi fingere velis, jus rei inhærens transire in personam & ex ea in rem recidere, quamdiu res ad eandem pertinere desinit: quæ ipsa fictio absurda non est, nec prorsus inutilis in inveniendo & demonstrando, præsertim ubi conceptus generales formare volueris. Istiusmodi privilegia spectari quoque possunt tanquam sub conditione data, si & quamdiu fueris in hoc ordine, aut membrum hujus collegii, vel si & quamdiu locum hunc habueris in collegio. Quodsi vero peculiare quoddam jus conceditur ei, qui certum quendam locum obtinet; privilegium hoc revera singulare est, nec proprie ordini, vel collegio datum intelligitur, sed personæ cuidam istius ordinis, vel collegii, quatenus eum locum obtinet, aut, si mavis, privilegium ad certum locum restrictum, cui inhæret. Exempla istiusmodi privilegiorum sunt privilegia Clericorum, Professorum, militum, Ecclesiæ cujusdam particularis, Academiæ, Facultatis in Academia, collegii opificum, vel artificum & ita porro.

§. 870.

De revocabilitate & mutabilitate illorum.

Privilegia certo cuidam ordini, vel collegio data a superiore revocari & immutari possunt; non tamen is temere hoc facere debet. A voluntate nimirum superioris dependet, num & quale privilegium certo cuidam ordini, vel collegio dare velit (§. 856.), nec privilegia ista dantur personis, ut per se jus quoddam ipsis competat, sed jus saltem ex ordine, vel collegio in eos derivatur, quia ordini, vel collegio competit, & ipsæ in eodem existunt. Quoniam vero superior imperium

Digitized by Google

perium civile ita exercere debet, ut bonum publicum, quantum fieri potest, promoveatur (§. 809.); istiusmodi privilegia non concessa intelliguntur, nisi sub tacita hac clausula, quamdiu bonum publicum non aliud suaserit. Quodsi ergo ipsi visum fuerit, bonum publicum aliud suadere, utique declarare potest, privilegium ordini isti, vel collegio non amplius competere debere, consequenter illud revocare (§. 744. *part. 3. Jur. nat.*), vel pro lubitu immutare (§. 290. *Ontol.*), non tamen temere hoc facere debet.

Privilegia certo ordini hominum, vel collegio cuidam data facilius revocantur, & mutantur, quam personalia, præsertim si hæc titulo oneroso fuerint acquisita. Etenim in casu priori pro præsenti rerum statu dantur privilegia, qui ubi mutatur, cessat illorum ratio ac ideo privilegia non temere tolluntur, aut mutantur, & hoc fit absque ulla injuria eorum, qui in isto ordine, vel collegio sunt, cum a superioris voluntate unice dependeat, num privilegium quoddam eidem competere debeat, vel quale (§. 856.), nisi expresse id confirmaverit, atque ad non tollendum, vel mutandum se obligaverit: id quod in casu posteriori plerumque factum intelligitur, si non expresse, saltem tacite, prouti vel ex verbis privilegii, vel ex circumstantiis aliis colligitur, sequendo leges rectæ interpretationis.

§. 871.

An privilegia ordini vel collegio data in hæredes transire possint.

Privilegia certo ordini, vel collegio data non transeunt in hæredes, nisi ad hos a superiore fuerint expresse extensa. Etenim nemo fruitur privilegio, quod certo ordini vel collegio datum, nisi quamdiu in eodem extiterit (§. 869.), consequenter dum quis moritur, jus ejus expirat, nec ideo in hæredes transire potest. *Quod erat unum.*

Enimvero cum a voluntate superioris dependeat, cuinam privilegium, vel quale dare velit (§. 856.); privi-

legium tale, quale habuit defunctus, quia hujus ordinis fuit, vel quatenus membrum collegii hujus fuit, dare etiam potest hæredibus ejus. Quodsi ergo privilegium aliquod certo ordini, vel collegio datum a superiore fuerit expresse extensum ad hæredes quoque personarum illius ordinis, vel membrorum istius collegii, quin jure, quo fruebatur defunctus, post mortem ejus frui debeant ejus hæredes, ac ita quasi jus defuncti transeat in hæredes, dubitandum non est. *Quod erat alterum.*

Privilegium ordinis, vel collegii cujusdam ad hæredes extensum, revera peculiare privilegium est, quod hæredibus datum, nec ab illo ullo modo dependet, ita ut illo salvo tolli ac mutari possit. Istiusmodi privilegium nostræ academiæ est exemtio viduarum & liberorum a censu emigrationis quod, quatenus a Professoribus ad hos extenditur, revera peculiare privilegium est hisce datum, & dari poterat, etiamsi professoribus non competeret. Quomodo vero hic interpretandum sit vocabulum hæredis, patet ex iis, quæ paulo ante demonstrata & annotata sunt (§. 867.). Si liberi nominentur intelliguntur & filiæ, item nepotes & neptes, ubi rationi privilegii hæc interpretatio convenit.

§. 872.

Qua de causa privilegia concedenda.

Privilegia dari non debent, nisi boni publici causa. Etenim jus privilegia dandi ad jura majestatica pertinet (§. 855.), consequenter superiori competit, quatenus imperium civile sine iis ita exercere nequit, ut bonum publicum, quantum fieri potest, promoveatur (§. 810.). Quamobrem cum imperium civile aliter exerceri non debeat, nisi ut bonum publicum, quantum datur, promoveatur (§. 809.); privilegia dari non debent, nisi boni publici causa.

Privilegia non temere concedenda sunt, ac inprimis cavendum,

Digitized by Google

dum, ne vergant in præjudicium aliorum. Quoniam vero materia illorum varia est; ita quoque ex circumstantiis singularibus dijudicandum, utrum ea præjudicent aliis, nec ne, & num e re civitatis sit privilegia istiusmodi dari, qualia a nonnullis vel expetuntur, vel proprio motu conferre vult superior.

§. 873.

Si privilegia quædam vergant in detrimentum Reip. aut multorum civium; superior ea tollere potest. Etenim privilegia dari non debent, nisi boni publici causa (§. 872.), consequenter cavendum, ne vergant in detrimentum Reip. aut multorum civium. Quamvis itaque ex privilegio jus quoddam habeant personæ privilegiatæ (§. 853.), quod ipsis auferri non posse videtur (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*), nisi in poenam (§. 855.), & superior privilegiarium tueri debeat contra eos, qui contra privilegium quid facere audent, immo privilegium contineat tacitam promissionem hujus tutelæ (§. 836.); quoniam tamen superiori competit dominium eminens, vi cujus de rebus subditorum ita disponere potest, quemadmodum salus Reip. exigit (§. 110. 111.), vi illius quoque privilegia tollere potest, si vergant in detrimentum Reip. aut civium multorum. *Quando privilegia tollenda.*

E. gr. Ponamus immunitatem onerum certo cuidam ordini, vel collegio esse concessam. Quodsi contingat, oneribus nimium gravari ceteros ob istam immunitatem; quin privilegium hoc recte superior tollat dubitandum non est, præsertim si qui immunes sunt onera facilius ferre possint ceteris. Nimirum ab initio privilegium istiusmodi concedi ceteris non erat grave, ac sine nocumento Reip. concedi poterat; at mutato rerum statu in detrimentum Reip. vergere potest, ut sit tollen-

Digitized by Google

tollendum. Similiter immunitas a milite præsidiario urbi cuidam concessa tolli potest, si interfit Reip. ne eadem illo destituatur.

§. 874.

Monopolii concessio.

Monopolium dicitur jus certas merces vendendi uni vel pluribus, aut certo cuidam collegio soli concessum. Quamobrem cum concessio juris uni vel pluribus, aut certo cuidam collegio facta privilegium sit (§. 853.); *monopolii concessio privilegium est.*

Ad monopolia accedit proxime jus collegiis artificum & opificum, itemque mercatorum competens, vi cujus ipsis solis concessum res certas artificiales parare ac vendere, vel vendere etiam merces certas, ita ut prohibere possint, ne alii extra collegium res easdem parent, aut merces easdem vendant. Naturaliter enim unusquisque hominum eum laborem seligere debet, cui obeundo se parem sentit (§. 528. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter res artificiales parare potest, quas voluerit. Et quoniam homines non modo vitam conservare (§. 350. *part. 1. Jur. nat.*), verum etiam, quantum datur, commode (§. 466. *part. 1. Jur. nat.*) ac jucunde transigere (§. 471. *part. 1. Jur. nat.*), & postquam dominia introducta sunt, patrimonium suum amplificare debent, quantum in potestate est (§. 458. *part. 2. Jur. nat.*); naturaliter unicuique competit jus res artificiales quascunque, quas parare potest, æquo pretio aliis vendendi & mercaturam, prout visum fuerit, exercendi. A statu igitur civili venit, ut res certas conficiendi & merces certas vendendi ad certa collegia restringatur (§. 425.): quod aliter fieri non potuit, nisi privilegiis datis (§. 853.).

§. 875.

Quandonam monopolii Quoniam monopolii concessio privilegium est (§. 874.), privilegia vero danda non sunt nisi boni publici causa

Digitized by Google

causa (§. 872.), &, si vergunt in detrimentum Reip. aut multorum civium, tollenda (§. 873.); *monopolia* quoque *concedi non debent nisi boni publici causa, &, si vergunt in detrimentum Reip. aut multorum civium, tollenda.*

polia concedi possint.

Habemus hic principium generale, ex quo judicium fieri debet in casu quocunque particulari, utrum monopolium recte concedatur, nec ne. Non major difficultas occurrit circa monopolia, quam jus privative concessum certis artificum, opificum, vel mercatorum collegiis (*not.* §. 874.). Utrobique disponitur de jure, quod naturaliter hominibus est commune, ut eo uti liceat ei, qui vult, ac potest. De eo autem disponere convenit dominio eminenti (§. 111.), vi cujus superior de iis, quæ sunt singulorum ita disponere potest, prout salus publica exigit (§. 110. 111.). Abutitur hoc jure suo, si de monopoliis & jure collegiorum artificum, opificum & mercatorum privativo aliter disponit, quam salus publica exigit.

§. 876.

Si monopolia ea cautione conceduntur, ut merces bona non majori, quam antea, vel prorsus viliori pretio a quolibet comparari possint, nec se ac concessione aliis multis abripitur lucrum, quo maxime indigent; naturaliter in illicita non sunt. Etenim si concessis monopoliis non majori pretio res emere cogantur, qui iisdem indigent, quam antea, eædemque fuerint ejusdem bonitatis, nemo, qui merces emit, habet, de quo conqueri possit, nec superior monopolia concedens in eo quicquam committit, quod imperii exercitio repugnet (§. 420. 424.). Quodsi porro ii, quibus jus vendendi res istas adimitur, lucro, quod inde fecerant, carere facile possint; nec in eo quicquam committit superior, quod exercitio imperii repugnet (§. 401. 423.). Patet itaque si monopolia ea cautio-

Quando monopolia in illicita non sint.

Digitized by Google

ne conceduntur, ut merces bonæ non majori, quam antea, vel prorſus viliori pretio a quolibet comparari poſſint, nec hac conceſſione aliis multis, qui ante nimirum vendiderant, abripitur lucrum, quo maxime indigent; ea exercitio imperii minime repugnare, conſequenter naturaliter in ſe illicita non eſſe (§ 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Conſideramus hic monopolia, qualia in ſe ſunt, ubi ſaltem attenditur jus emtorum & illorum, quibus jus vendendi adimitur, quo antea fruebantur: de quo diſponere, prouti e re civitatis fuerit, utique ſuperioris eſt (§. 401.). Quamvis vero monopolia in ſe illicita non ſint in hypotheſi propoſitionis præſentis; fieri tamen poteſt ut ob circumſtantias caſus emergentis illicita fiant, quatenus ob easdem vergunt in detrimentum Reip. veluti ſi qui monopolium exercet ſit extraneus & pecuniam, quam lucratur, in alias regiones exportet. Equidem ſtante hypotheſi propoſitionis præſentis rationes adhuc eſſe debent, quæ movent voluntatem ſuperioris ad privilegium concedendum (§. 889. *Pſych. empir.*); ſed eædem non attenduntur, ubi de jure ſaltem quæſtio eſt. Pertinent illæ ad prudentiam civilem, de qua in Politica agitur. Ceterum ex propoſitione præſente facile intelligitur, *monopolia in ſe illicita eſſe, ſi qui rebus indigent eas majori quam antea pretio emere cogantur, quamvis ſint minoris, quam antea, bonitatis, & lucrum, quod ante fecerant alii, iisdem abripitur, etſi intereſſet Reip. ne eodem privarentur.* Non igitur opus, ut hoc demum demonſtretur. Abuſus vero monopoliorum in cauſa eſt, ut vulgo promiſcue damnentur, quoniam in re odioſa ad eum facilius animum attendunt homines, quam ad innocuum uſum.

§. 877.

De alienatione privilegii.

Nemo privilegium alienare poteſt, ſine conſenſu ſuperioris. Etenim a voluntate ſuperioris dependet, cuinam privilegium dare velit (§. 856.), conſequenter ſi cuidam privilegium

Digitized by Google

vilegium dat, hoc ad personam ejus ita restrictum intelligitur, ut ab ea in aliam transferri non possit, ac ideo personale est (§. 549. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum privilegium in jure consistat (§. 853.), jus autem personale alienari nequeat (§. 541. *part. 3. Jur. nat.*); nemo quoque privilegium alienare potest. *Quod erat unum.*

Quoniam vero superior privilegium dare potest, cui voluerit (§. 855. 856.), quando vero in alienationem consentit, perinde omnino est, ac si privilegium det huic, in quem alienatur; quin cum consensu superioris privilegium alienari possit, dubitandum non est. *Quod erat alterum.*

Aliud omnino est concedere alicui jus, ut eodem utatur & fruatur; aliud vero concedere jus de jure sibi concesso pro arbitrio suo disponendi. Concessio illius hoc minime continet. Distinguendus est modus habendi privilegium ab ipso privilegio. Habetur privilegium jure usufructuario, non jure proprietatis, nisi proprietas singulariter fuerit concessa, quæ concessio privilegium quoddam speciale est ab altero diversum, nec cum eo cohærens.

§. 878.

Quoniam privilegium alienari potest cum consensu superioris (§. 877.), a voluntate autem superioris dependet, qua lege id dare velit (§. 856.); *privilegium* quoque *dare nari possit. potest cum potestate alienandi, præsertim si titulo oneroso obtineatur*, quia tamen sine consensu superioris alienari nequit, seu per se alienabile non est (§. 877.), *alienandi potestas nunquam præsumitur.* *Quando pro lubitu alie-*

In Jure naturali non loquimur de eo, quod est facti; sed quod est juris. Nostris enim moribus privilegia vix dantur tanquam alienabilia, etsi subinde cessio permittatur cum con-

Digitized by Google

senſu ſuperioris, ubi perinde eſt, ſive hæc perſona, ſive alia in commodum Reip. utatur.

§. 879.

De monopolio alienando.

Similiter quia privilegium nemo alienare poteſt, ſine conſenſu ſuperioris (§. 877.), conceſſio autem monopolii privilegium eſt (§. 874.), *qui monopolium habet, jus ſuum in alium transferre nequit, ſine conſenſu ſuperioris* (§. 662. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam tamen privilegium dari poteſt ea lege, ut alienari poſſit (§. 878.), *monopolium* quoque *alicui concedi poteſt ea lege, ut qui habet id pro lubitu in alium transferre queat.*

Ita pater monopolium cedere nequit filio, niſi ſuperior conſentiat: quando autem ſuperior conſentit, tum perinde eſt, ac ſi reſpectu patris idem tollat, & ſimile privilegium, quod is habuerat, filio ejus det, cui dare poterat, etiamſi pater non habuiſſet.

§. 880.

De privilegio ad certum tempus dato, privilegiario ante terminum mortuo.

Si privilegium detur ad certum tempus, & antequam id finiatur, privilegiarius moriatur, per reliquum tempus illud ad hæredes pertinet, niſi ex materia vel aliunde appareat, idem perſonale eſſe. Quodſi enim privilegium detur ad certum tempus, aut id fit eo fine, ut ultra iſtud tempus eodem frui non debeat privilegiarius, etiamſi termino elapſo adhuc fuerit in vivis; aut ut toto illo tempore durare debeat, ſeu dies adjectus ſpectatur tanquam terminus ultra quem durare non debeat, aut tanquam terminus, ante quem non debeat finiri. Facile patet, in caſu priori non tolli reſpectum, quem ad perſonam habet, conſequenter privilegium eſſe perſonale (§. 543. *part.* 3. *Jur. nat.*), atque ideo mortuo privilegiario expirare, nec ad hæredes transire (§. 865.); in caſu autem poſteriori illud intelligi reale, ut mortuo privilegiario adhuc

Digitized by Google

huc subsistat, ac per consequens in jus ipsius succedant hæredes, sicuti in reliquum, quod est in bonis ejus (§. 958. *part. 7. Jur. nat.*). Quæritur itaque, quomodo in casu dubio colligatur, utrum dies adjectus sit tanquam terminus, ultra quem privilegio frui non debeat privilegiarius, vel tanquam terminus, ante quem idem non debeat extingui. Valet igitur hic id, quod recta interpretatio suggerit. Nimirum si materia talis sit, quæ respectum ad personam habet, nec ad aliam promiscue extendi potest, vel etiam ratio, cur privilegium personam privilegiarii unice respiciat; vel aliæ dentur circumstantiæ, quæ demonstrant personam privilegiatam, casus utique prior obtinet: si materia istiusmodi fuerit, ut privilegium exerceri quoque possit ab hærede, nec adsint rationes manifestæ, ob quas idem ad personam privilegiatam restringendum sit, casus posterior existit. Quamobrem patet, si privilegium detur ad certum tempus, & antequam id finiatur, privilegiarius moriatur, residuo tempore illud ad hæredes pertinere, nisi ex materia, vel aliunde appareat, idem personale esse.

E. gr. Ponamus nobili ob insignia merita in acie concessam esse jus venandi per decennium. Cum fructus ex venatione percipiendus per decennium spectandus sit tanquam præmium fortitudinis, facile intelligitur, si is anno quarto moriatur, per residuos sex annos jure venandi adhuc frui hæredes. Similiter si monopolium fuerit concessum titulo oneroso per sexennium, & privilegiario anno quarto mortuo existat hæres habilis; is per biennium residuum privilegium adhuc exercere poterit. Enimvero si cui ob singularem favorem concedatur immunitas certorum onerum ab aliis præstandorum per annos novem; privilegiario mortuo eadem non fruitur hæres residuo tempore, cum immunitas ista respectu personæ concessa intelligatur. Alia vero est ratio, si beneficium hoc hæredi petenti non deneget superior.

Digitized by Google

§. 881.

Regimen superiori competens.

Superior regere debet civitatem, seu Remp. Etenim superiori competit jus in actiones singulorum (§. 141.), consequenter imperium publicum (§. 194. *part.* 7. *Jur. nat.* & §. 32. *h.*). Quamobrem cum regimen in exercitio imperii consistat (§. 218. *part.* 7. *Jur. nat.*); superior civitatem, seu Remp. regere debet.

Imperium cum sit jus (§. 194. *part.* 7. *Jur. nat.*), jus autem omne facultas moralis agendi (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): imperium foret inutile, nisi exerceretur, consequenter nisi qui habet, regeret subditos (§. 218. *part.* 7. *Jur. nat.*). Superior itaque imperium non alia de causa habet, quam ut civitatem regat. Hoc adeo manifestum est, ut absque probatione instar axiomatis sumi potuisset.

§. 882.

Quinam regat pro diversitate formarum Reip.

Quoniam superior civitatem regit (§. 881.). in democratia vero populus universus superior est (§. 142.), in aristocratia universitas optimatum (§. 143.), in monarchia monarcha (§. 133.), vel Rex in regno (§. 139.); *in democratia populus ipse regit, in aristocratia optimates regunt civitatem, in monarchia vero monarcha, vel in regno Rex.*

Nimirum si Rex non habuerit imperium plenum summum, sed certo modo limitatum, vel restrictum; civitatem regit juxta leges fundamentales (§. 74. 77.): id quod etiam obtinet in aliis formis Rerump. mixtis. Quoniam vero in præsenti non habetur ratio diversitatis formarum Reip. quæ hic demonstrantur ad quemlibet Rectorem civitatis pertinent, sive is fuerit persona una, sive plures fuerint, aut populus universus.

§. 883.

Digitized by Google

§. 883.

Superior civitatem regit partim per se, partim per alios. Ex iis, quæ de constituenda Rep. demonstrata sunt in capite præcedente, abunde intelligitur, fieri haud quaquam posse, ut omnia, quæ curæ superiori esse debent, faciat ipse. Constat præterea, multa admodum, quæ fieri debent, esse quotidiana, nec ubivis superiorem ipsum præsentem esse posse: immo in executione plurimorum aliorum ope eundem indigere. Necesse igitur est, ut multa aliis facienda committat, quæ per se facere nequit, sibique tantummodo reservet ea, quæ majoris momenti sunt & Remp. universam propius attingunt, & quæ in loco, ubi residet, expediri possunt. Quoniam igitur imperium civile exercens alia per se facit, alia per alios, in illius autem exercitio regimen consistit (§. 218. *part.* 7. *Jur. nat.*); civitatem partim per se regit, partim per alios. *Quotuplici modo civitas regatur.*

A posteriori idem in omnium oculos incurrit. Sed quoniam hic reddenda est ratio eorum, quæ fiunt, & a priori ostendendum, quæ fieri debeant, si Resp. spectetur tanquam constituenda; non abs re fuit, ut rationes in medium afferremus, ob quas superior civitatem partim per se, partim per alios regat.

§. 884.

Officium publicum vocamus administrationem certorum negotiorum vi imperii civilis gerendorum & executioni dandorum. Quamobrem *officio publico funguntur non modo illi, quibus exercitium cujusdam juris ad imperium civile pertinentis committit superior, verum etiam hi, quorum ministerio vel ipse, vel illi utuntur in executione negotiorum.* Quamobrem cum magistratui certæ partes imperii exercendæ committantur a superiore *Officium publicum quid sit.*

Digitized by Google

ſuperiore (§. 162.), & in ſpecie judicibus committatur, ut unicuique jus ſuum tribui curent in civitate & unumquemque adverſus injurias aliorum defendant (§. 538.); *magiſtratus & judices*, conſequenter *etiam ii, quorum miniſterio in executione negotiorum ſuorum utuntur, officio publico funguntur.* Appellari etiam poteſt *Munus publicum.*

Non difficultate caret munera publica, vel officia, præſertim ſi ad ſpecies eorum deſcendas, ita definire, ut verba exacte eum ſignificatum ſervent, quem ex mente Romanorum habere debent. Vide ſis *Bodinum* de Rep. lib. 3. c. 3. & 4. Non ignoro vocabula Latina non amplius eſſe Latina, ſi vel tantillum ſignificatus eorum mutetur; ſed recte obſervat *Bodinus* l. c. c. 3. parum referre, quibus verbis, ſi Latina deſint, utamur, modo rem teneamus. Nec a mente ejus abſunt JCti, qui, rebus, quas ignorarunt Romani, nomina impoſituri vel vocabula Germanica in Latina vertunt, veluti quando Geradam vocant die Gerade & *Hergewettum* das Heergewette. Quidni etiam ſignificatum vocabulorum pro lubitu reſtringere, vel extendere liceat, ſi uſus exigat? Placuit itaque officium publicum, vel munus ita definire, quemadmodum maxime convenit univerſalitati Juris naturæ & inſtitutis noſtris magis reſpondet. Quamvis vero officia publica in generali hoc ſignificatu, quem vocabulo tribuimus, accepta miniſteria quoque, quæ vulgo abjecta putantur, immo prorſus macula quadam affecta cenſentur, complectantur, veluti munus carnificis, lictorum, cuſtodis carceris; id ipſum tamen parum nos angit. Etenim dantur quoque organa corporis humani, quæ etſi ignobiliora reputentur, non tamen minus in numerum organorum corporis referuntur, quam cetera nobiliora, & ad conſervationem corporis non minus neceſſaria ſunt ceteris, quibus homo carere nequit, ut vitam hominis vivat. Sane jus gladii ſuperiori competit (§. 834.), qui idem exercet per judices (§. 538.). Hi vero in executione poenæ capitalis utuntur miniſterio carnificis. Quod itaque facit carnifex, id fit jure

Digitized by Google

jure imperii civilis, quod exercere nequit superior, nisi per judices nec sine ministerio carnificis. Carnificis ideo munus non minus publicum est, quam judicis, & ad exercitium imperii civilis illud non minus necessarium est, quam hoc esse nemo in dubium vocat. Judici competit jus inquirendi in delicta publica seu crimina & poenas meritas decernendi; carnifici jus poenam exequendi. Jus utrumque ab imperio civili venit, atque in eo judicis & carnificis officium conveniunt, quod uterque agat jure ab imperio civili veniente. Absurdum igitur non est, ut officium eorum, qui nonnisi jure ab imperio civili veniente & consequenter a superiore vel immediate, vel mediate ipsis concesso agunt, communi nomine appelletur. Ut vero generali hac appellatione utamur, universalitas eorum, quae in Jure naturae demonstrata sunt, requirit.

§. 885.

Quoniam qui officio publico funguntur, negotia publica vel gerunt, vel exequuntur (§. 884.), superior autem civitatem per alios regit, quatenus eorum ministerio utitur vel in imperio exercendo, vel in iis, quae ad idem spectant, exequendo (§. 218. *part. 7. Jur. nat.*); *Qui officio publico funguntur, per eos civitatem regit superior.* *Per quosnam civitatem regat superior.*

Ne paradoxum, immo absurdum videatur, quod hic infertur; probe perpendenda sunt, quae modo satis prolixe annotavimus (*not.* §. 884.). Sane nemo in dubium vocat ad regimen civitatis pertinere, ut puniantur malefici. Poenae autem legibus constitutae sunt exigendae (§. 656.). Executio igitur poenae ad regimen civile itidem pertinet. Quamobrem superior exequitur jus suum per eos, quibus vel ab ipso, vel per alios executio poenae demandatur.

§. 886.

Superiori competit jus munera seu officia publica conferendi. De jure conferendi mu-

Digitized by Google

nera publica.

di. Etenim ſuperioris eſt regere civitatem (§. 881.), partim per ſe, partim per alios (§. 883.), conſequenter a voluntate ipſius dependet, per quosnam eandem regere velit. Quamobrem cum per eos civitatem regat, qui munere publico funguntur (§. 885.); ſuperiori competit jus munera ſeu officia publica conferendi.

Nemo igitur autoritate privata officium aliquod publicum alicui conferre poteſt. Sed quicunque officio aliquo publico fungitur, qualecunque tandem ſit, is jus ſuum habere non intelligitur niſi a ſuperiore & quicquid agit, id agit nonniſi jure a ſuperiore conceſſo, aut, ſi mavis per ipſum exequitur jus quoddam ſuum ſuperior.

§. 887.

De modo conferendi officium publicum per alios.

Quoniam ſuperiori competit jus officium publicum conferendi (§. 886.), perinde vero eſt, ſive pure, ſive per alios id alicui conferat, & quantum juris in conferendo his concedere velit (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*); *ſuperior* quoque *certis perſonis concedere poteſt jus certa quædam officia publica conferendi vel pure, vel ea lege, ut confirmatione ipſius ſit opus, vel etiam ſaltem jus nominandi certas perſonas, ex quibus eam eligit, quam velit.*

Regnat in hiſce voluntas ſuperioris, ac inde eſt, quod non ubivis in conferendis muneribus publicis eadem obſerventur. Hinc videas in civitatibus minoribus officia publica conferri aut ſaltem collata confirmari a ſuperiore, quæ in majoribus per alios absque confirmatione conferuntur.

§. 888.

De collatio officiorum

Si officium aliquod publicum conferri nequit ſine confirmatione ſuperioris; collatio non ante valida, quam a ſuperiore fuerit

Digitized by Google

rit confirmata, &, si eam confirmare nolit, vel persona alia eligenda, vel ipse superior idem alii conferre potest, cui voluerit, nisi per leges fundamentales jus collatorum fuerit definitum. Etenim si superior confirmationem sibi reservavit, officium publicum conferri nequit sine consensu superioris (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem patet collationem non ante validam fieri posse, quam a superiore fuerit confirmata, cum eam confirmare non teneatur, si nolit. *Quod erat primum.* *publicorum confirmatio nisi subjecta.*

Quodsi ergo confirmare nolit, necesse omnino est, ut officium personæ alii conferatur. Quoniam vero non jure proprio conferuntur officia publica ab aliis, sed jure superioris, a quo jus conferendi ipsis concessum (§. 886. 887.), aut per quos is idem exercet; a superioris utique voluntate dependet, utrum velit ab his personam aliam eligi, an vero ipse per se personæ cuidam officium conferre velit. Quamobrem si collationem confirmare nolit, vel persona alia a collatoribus eligenda, vel ipse superior officium alii conferre potest, cui voluerit. *Quod erat secundum.*

Enimvero si jus collatorum per leges fundamentales fuerit definitum, cum superior adstrictus sit ad earum observantiam (§. 77.); iis omnino standum, quod legibus fundamentalibus convenit, consequenter si per eas ipsi officium conferre non licet, nec denegare confirmationem sine justa causa, in priori casu collatores personam aliam eligere tenentur, in posteriori rationes, ob quas confirmationem denegat, reddere tenetur superior. *Quod erat tertium.*

§. 889.

Habiles ad officium publicum dicuntur, quibus sunt vires sufficientes, ut eodem recte fungantur, & constans est ac perpetua voluntas eodem recte fungendi. *De habilitate eorum, quibus officium*

cia publica conferuntur.

Qui officio aliquo fungi debet, is faciat neceſſe eſt, quæ officii ratio exigit. Quodſi facere debet, neceſſe eſt, ut & poſſit, & velit. Ut poſſit, inſtructus eſſe debet viribus ad agendum ſufficientibus, quæ vel ad facultatem cognoſcitivam, vel ad locomotivam referuntur pro diverſitate eorum, quæ fieri debent: ut vero velit conſtantia voluntatis requiritur, ne a propoſito recte faciendi ullo modo ſe dimoveri patiatur, & perpetuitas, ut eadem conſtantia adſit in omni caſu (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*). Ita nimirum in functione muneris nihil deſideratur (§. 80. *part. 1. Phil. pract. univ.*): ſi quid vero vel ex parte intellectus, ſeu in genere facultatis cognoſcitivæ, vel voluntatis ac noluntatis, vel denique locomotivæ deſideretur, ut quis munere ſuo recte fungatur fieri nequit.

§. 890.

Quibusnam officia publica conferenda.

Quoniam ſuperior civitatem regit per eos, qui officio publico funguntur (§. 885.), conſequenter imperium per eos exercet (§. 218. *part. 7. Jur. nat.*), imperium vero ita exerceri debet, ut bonum publicum, quantum fieri poteſt, promoveatur (§. 809.), conſequenter neceſſe eſt, ut qui munere ſeu officio publico funguntur, & viribus ſufficientibus inſtructi ſint, & voluntatem conſtantem ac perpetuam habeant eodem recte fungendi, adeoque habiles ſint (§. 889.); *officium aliquod publicum nemini conferri debet, niſi qui habilis eſt.*

Si ad officia publica admoveantur inhabiles, fieri non poteſt, ut civitas recte regatur, conſequenter bonum publicum, quantum fieri poteſt, promoveatur: id quod adeo verum eſt, ut, ſi quis officio vel abjectiſſimo, aut quod exigui, vel nullius momenti videtur, minus recte fungatur, labe iſta inficiantur functiones aliorum, quæ per ſe nihil vitii habent. Nimirum qui officiis publicis funguntur habent ſe per modum organorum corporis humani, quorum alia nobiliora, alia ignobiliora

Digitized by Google

biliora censentur pro diversitate functionum. Non ignotum vero est, si functiones quædam ignobiliorum minus recte se habeant, in consensum trahi etiam nobiliora, quamvis per se omni vitio careant. Non minor nexus est inter eos, qui officiis publicis funguntur, quam inter organa corporis humani, qui cum mutuam quandam dependentiam actionum inferat, etsi difficulter haud raro observabilem, nec est quod miremur, ex nonnullorum inhabilium promotione subinde enasci malum, cui vix ac ne vix quidem mederi datur. Maxime igitur hic valet illud pervulgatum, principiis esse obstandum, ne pars sincera trahatur.

§. 891.

Quia officium publicum nemini conferri debet, nisi qui habilis est (§. 890.); *officia publica vendi non debent, nec cio publico conferri plus licitanti*, ne scilicet inhabilem habiliori præferri contingat. Quoniam tamen jus conferendi officia publica superiori competit (§. 886.), ac ideo ab ipsius voluntate dependet, qua lege eadem conferre velit (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*); *si utilitatis publicæ causa aliquid solvendum ab eo, cui officium aliquod publicum confertur, id conferri potest sub hac conditione, ut certam pecuniam solvat, modus tamen solutionis & pecuniæ summa ita determinari debet, ne ea de causa habilior excludatur, vel postponatur.*

An pro officio publico certum pretium exigere liceat.

In se illicitum non est pro officio publico solvere certum pretium, modo sufficienter caveatur, ne habiles arceantur, inhabiles vero admittantur. Quomodo vero determinari hoc pretium, modusque solvendi possit, ne tale quid metuendum sit, prudentiæ civilis est, veluti si pars salarii per unum, vel alterum annum eo fine impendatur; quo in casu tamen liberum est unicuique, si possit, de suo illud statim solvere. Quoniam tamen nil fieri debet in civitate, nisi boni publici causa (§. 809.); nisi utilitas publica id urgeat, officia publica ea

Digitized by Google

lege non facile ſunt conferenda. Ceterum cum fortuna non omnibus det opes, quibus natura benignior dotes animi & vires corporis largita, & qui nihil in ſe deſiderari paſſi ſunt, ut fierent habiles; nemo non videt, modo velit, quam ſit periculoſum, officia publica æquiparare rebus, quæ emi ac vendi poſſunt.

§. 892.

De iis, qui muneribus ſe corrumpi patiantur in officiis conferendis.

Quoniam officia publica vendi non debent, nec conferri plus licitanti (§. 891.), perinde vero eſt, ſive hoc fiat, ſive qui conferendi jus habent, aut ſuperiori commendare vel præſentare debent perſonas habiles, muneribus ſe corrumpi patiantur; *minime ferendum ut ab iis, qui munus aliquod ambiunt, munera accipiant, qui vel officia conferunt, vel ſuperiori perſonas habiles commendare aut præſentare debent*, conſequenter cum poenis coërcendi ſint, qui faciunt, quæ in Rep. permittenda non ſunt (§. 647.), *qui munera accipiunt, a ſuperiore recte puniuntur.*

Non eſt quod excipias, poſſe munera accipi etiam ab iis, qui habiles ſunt, conſequenter tum nullum inde pati incommodum Remp. Etenim in Rep. obviam eundum non ſolum præſenti malo, ſed omne etiam periculum avertendum, quod imminere poſſe apparet. Et præterea conſtat, naturaliter illicitum eſſe, ut pro eo, quod quis facere obligatur, quaſi mercedem quandam exigat.

§. 893.

De ambitus crimine non tolerando.

Quia ferendum non eſt in Rep. ut munera accipiantur ab iis, qui officium quoddam publicum ſibi conferri petunt (§. 892.); ideo *nec ferendum, ut qui officium ambit, pecunia data eos corrumpat, qui vel conferendi, vel nominandi jus habent, ſive pecunia ſtatim detur, ſive ſub ea conditione promittatur*

Digitized by Google

tur, si obtentum fuerit, consequenter *qui hoc faciunt puniendi* (§. 647.).

Injuriam facit Reip. eamque lædit non minus, qui pecuniam dat, quam qui accipit. Utrumque igitur prohibendum, consequenter puniendum (§. 585.).

§. 894.

Crimen ambitus vocatur, quo quis data pecunia, vel alio illicito modo corruptis suffragiis munus quoddam publicum, vel dignitates civiles sibi parat. *Quale id sit.*

Quoniam crimen ambitus in recepto significatu etiam ad dignitates civiles extenditur, eundem immutare non debuimus (§. 142. *Disc. præl.*), etiamsi de dignitatibus civilibus inferius demum agetur. Patet autem per demonstrata (§. 893.), crimen ambitus recte puniri. Immo interest Reip. ut puniatur. Committi autem diximus hoc crimen, non modo si data pecunia, verum etiam alio modo illicito suffragia corrumpantur. Dari enim adhuc modos illicitos alios, nemo ignorat. Ita huc referendum, si, qui officium ambit, sese offert ad foeminam quandam in matrionium ducendam, qui absque hoc conditione aliis non præferretur. Convenit cum crimine ambitus in Jure Canonico *Simonia*, quæ committitur, si quis sacerdotium pretio sibi comparat, & a Protestantibus non satis apte, si originem vocabuli spectes, ad eos trahitur, qui munus ecclesiasticum, seu ministri ecclesiæ pretio sibi comparant. Sed per nos valeant verba sicut nummi, modo id fiat sine præjudicio veritatis. Quemadmodum vero crimen ambitus minime committitur, si publico officio admotus certam pecuniam solvere tenetur ex constitutione superioris (§. 891.); in eodem casu nec Simonia committitur.

§. 895.

Digitized by Google

§. 895.

De jure ad officium publicum.

Qui habilis eſt ad officium publicum, is jus imperfectum ad idem habet, jus vero perfectum idem ambiendi. Quoniam officium publicum conferendum non niſi habili (§. 890.), quatenus quis habilis eſt, idem ipſi recte conferri poteſt. Quoniam vero plures eſſe poſſunt, qui vel æque habiles ſunt, verum quorum unus habilior ceteris, & a ſuperioris voluntate dependet (§. 886.), vel etiam eorum, quibus hoc commiſit ſuperior, cuinam officium aliquod conferre velint (§. 887.); ut idem ſibi conferatur, nec ſuperiorem, nec eos, qui jus ipſius habent, nemo cogere poteſt, quamvis habilis fuerit. Habet igitur jus nonniſi imperfectum ad officium, quod ambit (§. 237. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Enimvero cum civis quilibet obligetur ad commune civitatis bonum promovendum (§. 28.), conſequenter ſe utilem Reip. præſtare debeat, quantum poteſt; ſi habilis eſt ad munus quoddam obeundum, ipſa lex naturæ dat ei jus, ut id ambiat (§. 158. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum jus perfectum ſit, quod nobis dat lex naturæ, ut obligationi noſtræ ſatisfaciamus (§. 905. *part. 1. Jur. nat.*); jus ambiendi officium publicum, ad quod quis habilis eſt, jus perfectum eſt. *Quod erat alterum.*

Judicium de habilitate petentis, non eſt ipſius petentis, ſed ejus, qui officium publicum confert. Habilitas itaque non facit jus perfectum ad officium (§. 906. *part. 1. Jur. nat.*); ſed ſaltem meritum parit (§. 785. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cujus eſt conferre officium, is quidem obligatur id conferre nonniſi habili, ſed propterea, non tibi, quia habilis es: neque enim deeſſe poſſunt alii non minus habiles, & de ſtabi-

Digitized by Google

habilitate standum ipsius judicio est, prouti modo insinuavimus.

§. 896.

Quoniam qui ad officium habilis est, is jus imperfectum ad idem habet (§. 895.), qui vero jus imperfectum ad quid habet, id meretur (§. 237. 785. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Qui ad officium habilis est, meretur ut id eidem conferatur & eodem dignus est*, consequenter cum officia publica non conferenda sint nisi habilibus (§. 890.), *curæ habendum est, ut eadem conferantur dignis ac iis, qui merentur.* *De obligatione officia dignis conferendi.*

Quodsi ergo officia conferantur indignis & qui merentur prætereuntur, non iniquæ sunt horum querelæ, licet de injuria sibi facta conqueri minime possint (§. 895. *h.* & §. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Et superior, qui officia certa conferendi jus magistratui impertitur voluisse præsumitur, ut nonnisi dignis conferantur.

§. 897.

Si ex indigni electione damnum fecerit Resp. is, cui officiorum publicorum collatio mandata est, resarcire tenetur. Quoniam enim curæ habendum, ut officia publica conferantur dignis (§. 896.); si cui officiorum publicorum collatio mandata est, ei non aliter collata intelligitur, quam ut dignos eligat, consequenter ad eligendum dignum Reip. obligatur. Quod si ergo ex indigni collectione damnum fecerit Resp. damnum hoc culpa, vel dolo collatoris datur (§. 701. 717. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum damnum resarcire teneatur, is, cujus dolo, vel culpa datum (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*); si ex indigni electione damnum fecerit Resp. is, cui officiorum publicorum collatio mandata est, resarcire tenetur. *De resarciendo damno, quod ex indigni electione fecit Resp.*

Digitized by Google

Totidem verbis hoc asserit *Grotius* l. 2. c. 17. §. 3. nec a veritate aberrat, quemadmodum ex demonstratione patet. Obligatio eligendi dignum nascitur ex pacto inter superiorem & eum, cui officiorum publicorum quorundam collatio mandatur (§. 640. *part. 4. Jur. nat.*), seu inter hunc & Remp. cujus jus habet superior, intercedente. Obligatio hæc sicuti perfecta est (§. 403. *part 3. Jur. nat.*); ita quoque eidem jus perfectum respondet, quo Resp. hoc exigere potest a collatore, ut dignos eligat (§. 908. *part. 1. Jur. nat. & §. 235. part. 1. Phil. pract. univ.*). Violatur itaque indigni electione jus Reip. perfectum, ac per consequens eadem injuria afficitur (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Damnum injuria hac datum Reip. resarciendum & qui fecit etiam puniendus. Damni nimirum reparatio & poena simul locum habent, nec confundendæ sunt: id quod in aliis quoque maleficiorum generibus obtinet.

§. 898.

De remotione, suspensione & dimissione.

Removeri ab officio scilicet dicitur, qui eodem privatur; *Suspendi* vero is, qui eodem fungi ad tempus certum, vel indefinitum prohibetur; *Dimitti* denique is, cujus precibus annuit superior, ut eodem diutius fungi non teneatur. Remotio quoque *Depositio* appellari solet. *Removetur* itaque & *suspenditur invitus; dimittitur vero volens.*

Remissiones, suspensiones & dimissiones adeo notæ sunt, ut iis rebus accensenda sint, quas definiri opus non est, ut intelligantur; sed quæ saltem definiuntur, quatenus earum notio distincta est principium demonstrandi.

§. 899.

De tempore, quo quis officio fungi debet.

Si cui officium confertur non in certum diem, vel sub conditione resolutiva; in perpetuum collatum intelligitur. Etenim si officium non confertur in diem, nullum definitur tempus, quo elapso jus eodem fungendi expirare debet. Quodsi sub

sub conditione resolutiva non conferatur, nec duratio juris eodem fungendi ad aliquod tempus restringitur, quo conditionem extare certum est (§. 488. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem si nec in certum diem, nec sub conditione resolutiva officium conferatur; collator voluisse intelligitur, ut is, in quem officium confert, eodem fungatur, quamdiu vixerit, consequenter in perpetuum collatum intelligitur.

Quando officium in perpetuum collatum dicitur, eo ipso intelligitur, quod qui eodem fungitur ab obligatione sua invito collatore seu superiore se liberare non possit, nec pro lubitu se eodem abdicare, ex adverso vero nec superior, seu collator illum sine justa causa eodem privare.

§. 900.

Collatio officii perficitur pacto, inter collatorem & eum, cui confertur, invito. Etenim qui officium aliquod publicum alteri confert, certorum negotiorum administrationem, vel executionem eidem committit (§. 884. 641. *part. 4. Jur. nat.*), & dum is, cui confertur, idem acceptat, eo ipso declarat, quod negotia ista diligenter administrare, vel exequi velit (§. 2. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum in eo conveniant qui officium confert & qui acceptat (§. 698.), hæc conventio autem promissionem contineat de officio diligenter obeundo (§. 642. *part. 3. Jur. nat.*), conventiones vero promissionem continentes pacta sint (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*); collatio officii perficitur pacto inter collatorem & eum, cui confertur, invito. *Quomodo collatio officii perficiatur.*

Quando officium publicum alicui confertur, non modo qui confert declarat, se in ipsum transferre jus ea faciendi, quæ vi officii istius fieri debent, verum etiam is, qui id confertur, promittere tenetur, se diligenter eodem functurum,

Digitized by Google

immo etiam juramento promissionem confirmare. Adsunt itaque omnia, quæ ad pactum ineundum requiruntur. Quamobrem paradoxum videri nequit, collationem officii pacto perfici. Nec obstat officium conferri petenti, cum etiam pacta ineantur cum iis, qui ad paciscendum se offerunt.

§. 901.

De obligatione ex pacto, quo collatio perficitur, oriundo & jure inde acquisito.

Quoniam collatio officii perficitur pacto inter collatorem & eum, cui confertur, inito (§. 900.), pacta vero sunt servanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*); *non minus superior, seu qui officium contulit, quam is, in quem collatum est, ea servare debet, de quibus inter eos vel expresse, vel tacite conventum fuit, & jus utriusque metiendum est tum ex eo, quod expresse dictum, tum vero etiam ex eo, quod ipsa natura negotiorum, quæ gerenda, vel exequenda committuntur, insinuat.*

Sane ideo literæ dantur ei, cui officium quoddam confertur, in quibus collator voluntatem suam declarat tum de iis, quæ facere debet acceptans, tum de juribus & salario, quibus frui debet, nisi ea jam per se sint manifesta, ut id obtineat, quod more receptum.

§. 902.

De Salario sine mora solvendo & diligentia in obeundo munere adhibenda.

Quoniam servanda sunt ea, de quibus in collatione officii publici conventum (§. 901.); *salarium promissum statuto tempore sine mora solvendum, & qui officio fungitur, omnem diligentiam adhibere debet, ut omnes officii sui partes adimpleat.*

Salarium promissum intelligitur tacite, quod ordinarium seu solitum est, utut nihil expresse de eodem fuerit dictum. Quamobrem eadem ex pacto obligatio est, sive de salario certo expresse fuerit conventum, sive tacite ordinarium in conventione suppositum. Et quamvis quilibet jam naturaliter obligetur, ut officio suo recte fungatur (§. 189. *part. 1. Phil. pract.*

Digitized by Google

pract. univ.); ad hoc tamen etiam vi ipsius pacti, quo officii collatio perficitur, unusquisque sese obligat.

§. 903.

Quia salarium promissum solvendum (§. 902.); *quamdiu quis officio fungitur, id diminui nequit, nisi id fiat vel in poenam* (§. 589.), *vel vi dominii eminentis* (§. 111.). *De salarii diminutione.*

Nimirum in poenam auferri potest etiam jus ex pacto quæsitum (§. 589.), ac per consequens jus percipiendi salarium (§. 901.): vi dominii autem eminentis in casu necessitatis de salario quoque disponere potest superior, prouti salus publica exigit (§. 111.). In utroque igitur casu nihil committitur, de quo justæ moveantur querelæ, quamvis in casu posteriori æquitati conveniat, ut, cessante necessitate, resarciatur, quod ablatum, quantum fieri potest (§. 119.).

§. 904.

Qui officio publico fungitur, ei salarium dandum. Et- *De salarii* enim cum Resp. spectetur tanquam persona moralis (§. 576.) *æquitate.* & qui officio publico funguntur, negotia ipsius administrant (§. 884.); hi Reip. operam suam præbent. Quamobrem cum naturaliter nemo obligetur alteri gratis præstare operas, si is vicissim quid præstare possit (§. 268. *part. 4. Jur. nat.*), sed tantummodo obligemur ad operas pro æquo pretio aliis communicandas (§. 322. *part. 4. Jur. nat.*), onera vero Reip. ferre tenentur universi (§. 775.); qui officio fungitur, pro præstita Reip. opera mercedem accipere debet (§. 327. *part. 4. Jur. nat.*), seu salarium eidem dandum (§. 905.).

Pactum illud, quo collatio officii publici perficitur (§. 900.), proxime accedit ad locationem conductionem operarum (§. 1194. *part. 4. Jur. nat.*). Conductor nimirum est Resp. cujus administratio operis istis indiget, quatenus tanquam per-

Digitized by Google

sona moralis spectatur (§. 576.), ac per consequens collator officii, qui Remp. quoad jus conferendi repræsentat; locator vero est is, cui officium confertur (§. 1195. *part. 4. Jur. nat.*), Et salarium merces est, quæ pro præstatione operarum solvitur, sive ea in pecunia, sive in rebus aliis quibuscunque, aut partim in pecunia, partim in rebus consistat (§. 1211. *part. 4. Jur. nat.*). Quodsi collationem officiorum publicorum reducas ad contractum locationis conductionis, ex iis, quæ de hoc contractu demonstrata sunt, nullo negotio solves plures quæstiones, quæ de officiis publicis incidunt. Cum nos famulis conductitiis utamur, quæ de heri ac famuli jure ac obligatione valent, ea etiam de jure ac obligatione superioris seu collatoris & ejus, qui officio publico fungitur, jure atque obligatione intelliguntur.

§. 905.

Salarium quid proprie sit.

Salarium merces est, quæ solvitur pro operis Reip. in obeundo munere publico præstitis.

Probe omnino considerandum est, quid sit salarium, ne vel jus dantis nimium extendatur, vel in quantitate determinanda ab æquitate nimis procul recedatur, vel etiam a salario separentur, quæ in idem imputanda.

§. 906.

De privilegiis in partem salarii imputandis.

Quoniam salarium merces est, quæ solvitur pro operis Reip. in obeundo munere publico præstitis (§. 905.), merces vero consistere potest tam in pecunia, quam in rebus aliis quibuscunque (§. 1211. *part. 4. Jur. nat.*), consequenter etiam in jure quocunque habenti utili (§. 451. *part. 2. Jur. nat.*); *lucrum vel commodum ex privilegiis intuitu officii concessis in partem salarii imputandum*, consequenter quoniam salarium non diminuendum, quamdiu quis officio fungitur (§. 903.); *privilegia* quoque *intuitu officii concessa, ex quibus*

Digitized by Google

quibus lucrum, vel commodum aliquod percipitur, tollenda non sunt.

E. gr. Immunitas onerum, qua quis fruitur, quatenus officio publico fungitur, privilegium est. Quamobrem cum lucremur, si quod alias solvendum erat, solvere non cogamur; ex privilegio isto lucrum percipitur. Et quoniam perinde est, sive quis pinguiori fruatur salario & de eo partem contribuere teneatur, sive minori fruatur & a contributione immunis sit; lucrum istud seu commodum in partem salarii imputatur. Quodsi ergo privilegium tollatur, idem omnino est ac si salarium parte quadam mulctetur, & per consequens tollere istiusmodi privilegium non minus pacto, quo collatio officii perficitur, repugnat, quam salarii diminutio.

§. 907.

De quantitate salariorum.

Salaria ita constituenda sunt, ut iisdem sustentari possint, qui officiis publicis funguntur. In civitate enim opera danda, ut quilibet studio ac labore suo tantum acquirere possit, quantum ad res, si non voluptuarias, aut utiles, saltem necessarias comparandum, consequenter se sustentandum sufficit (§. 423.). Quamobrem cum qui officio publico funguntur, operas suas Reip. locent (*not.* §. 904.), & salarium merces sit, quam pro iis accipiunt (§. 905.), ipsi autem alio labore acquirere non possint, quæ ad sui sustentationem necessaria, quod supponitur; salaria omnino ita constituenda sunt, ut iisdem sustentari possint, qui officiis publicis funguntur.

Dari quidem possunt quædam munera, per quæ aliis laboribus vacare datur, etiamsi nihil prætermittas, quod ad ea rite obeunda requiritur, ut adeo tempus in iisdem consumi opus non sit. Sed de his nobis jam sermo non est, quamvis præsens propositio interpretatione minus coacta etiam de his intelligi possit, quatenus qui istiusmodi officio funguntur, ad sustentationem

Digitized by Google

ſuſtentationem ſui tantummodo indigere cenſentur eo, quod reliquo labore acquirere poterant, niſi temporis quandam partem in officio conſumere tenerentur. Varia autem cum ſint vivendi genera in civitate, quæ etiam variant pro varietate officiorum, ad ſui ſuſtentationem non omnes, qui officio publico funguntur, eodem ſumtu indigent. Abſit itaque, ut tibi perſuadeas, quaſi per propoſitionem præſentem ſalaria omnia exæquarentur. Ceterum quando ſuſtentatio ſui dicitur, per eam quoque intelligitur ſuſtentantio earum perſonarum, quas alere tenemur, veluti uxoris, liberorum & famulorum ac famularum, quibus carere non poſſumus. Si cui numeroſior ſit familia, quam ut ſe ſuosque ſuſtentare poſſit; is eadem utitur fortuna adverſa, quam experiuntur alii, qui quæſtuoſo quodam negotio vel opificio ſe ſuſtentare conantur. Quoniam vero officia publica conferenda non ſunt niſi habilibus (§. 890.), habilitatem vero non ſemper comitantur opes ſeu divitiæ; in determinandis ſalariis ordinariis non habetur ratio bonorum, quæ quis poſſidet.

§. 908.

Quando ſalaria conſtituta ſint augenda.

Quoniam ſalaria ita conſtituenda ſunt, ut iisdem ſuſtentari poſſint, qui officiis publicis funguntur (§. 907.); *ſi ſucceſſu temporis pretia rerum valde augeantur*, ut multo major ſumtus in ſuſtentationem impendendus ſit, quam illo tempore, quo ſalaria primum conſtituta, *ſalaria pro pretiorum incremento augenda.*

In ſalarii incremento determinando non habenda eſt ratio luxus, utpote qui in Rep. tolerandus (§. 733.). Quamobrem nec dignitas major ad officium quoddam accedere debet, quam quæ per ſe eidem convenit, ne decorum exigere videatur, quod luxui imputandum. Qui officio aliquo publico fungitur, vel certum vitæ genus ſequitur, contentus eſſe debet ea dignitate, quæ illi, vel huic adhæret. Sed de his poſtea ſuo loco diſtinctius erit agendum.

§ 909.

Digitized by Google

§. 909.

Accidentia sunt reditus, qui occasione officii, quo quis fungitur, eidem obveniunt. Quamobrem cum reditus alii sint stati, alii variabiles (§. 363. *part. 4. Jur. nat.*); *accidentia* quoque *alia stata sunt, alia variabilia.* *Accidentia quid sint.*

Ita accidentia ministrorum ecclesiæ apud Lutheranos sunt pecuniæ, quæ solvuntur pro infantibus baptizandis & mortuis sepeliendis, pro copula sacerdotali & nummus confessionis, der Beichtpfennig, item pecunia, quam ex legatis capiunt, frumentum a rusticis præstandum, & quæ sunt alia hisce gemina.

§. 910.

Quoniam accidentia sunt reditus, qui occasione officii, quo quis fungitur, eidem obveniunt (§. 909.), consequenter in sustentationem sui impendi possunt, salaria autem ita constituenda sunt, ut iisdem sustententur, qui officio publico funguntur (§. 907.); *accidentia in partem salarii imputantur.* *An sint pars salarii.*

Ideo salaria minora constituuntur, si multa fuerint accidentia, præsertim stata; ast pinguiora, si vel pauca, vel prorsus nulla accidentia fuerint. Unde haud raro contingit, accidentia salarium multo superare. Quoniam vero accidentia in partem salarii imputantur, *vi prop. præs.* & certi quidam reditus sunt (§. 909.); facile patet, in eorum numerum referri non posse munera, quæ vel ex liberalitate dantur a nonnullis, vel quæ quis exigit pro eo, quod vi officii gratis facere obligatur. Quicquid enim illicito modo quis accipit, licet occasione officii obvenire videatur; in numerum accidentium referri nequit: neque enim in Jure naturæ quicquam supponitur, nisi quod justum & æquum est.

Digitized by Google

§. 911.

An diminui possint. Quoniam accidentia in partem salarii imputantur (§. 910.), salarium autem diminui nequit, nisi id fiat vel in poenam, vel vi dominii eminentis (§. 903.); ideo *nec accidentia imminui possunt, nisi æquivalens substituatur*, veluti *si salarium augeatur.*

Accidentia, quæ in partem salarii imputantur (§. 910.), non minus in sustentationem eorum, qui officio publico funguntur, constituuntur, quam salaria (§. 907.). Qui vero Reip. utiles operas præstant, merentur utique, ut vitam non modo commode, verum etiam decore &, quantum datur, jucunde transigant. Sed hæc ad motiva pertinent, cur accidentia non sint diminuenda, quæ in Politica expendenda.

§. 912.

De accidentium decremento necessario. *Si occasione ejus, quod in utilitatem Reip. constituendum, quidam patiuntur detrimentum in accidentibus; hoc non obstat, quo minus illud constituatur.* Etenim si occasione ejus, quod in utilitatem Reip. constituendum, quidam patiuntur detrimentum in accidentibus, seu damnum in iis sentiunt; aut illud erit non constituendum, aut hoc erit ferendum. Colliditur itaque utilitas totius universitatis, seu publica, cum utilitate nonnullorum, seu privata quorundam (§. 206. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter exceptio facienda (§. 207. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero cum nemo civium bonum privatum promovere debeat in præjudicium publici (§. 25.), nec velle potest, ut utilitas sua privata utilitati totius Reip. seu universorum præferatur. Quamobrem si occasione ejus, quod in utilitatem Reip. constituendum, quidam patiuntur detrimentum, seu damnum sentiunt in accidentibus; hoc non obstat, quo minus illud constituatur.

E. gr.

Digitized by Google

E. gr. moribus nostris Acta in foro litigantium transmittuntur ad collegium aliquod Juridicum, Facultatem nimirum Juridicam, vel Scabinatum. Cum e re civitatis sit, ne lites in foro protrahantur, & ne præter necessitatem in consecutionem juris sui sumtus nimii sint faciendi; transmissio actorum a superiore recte abrogatur. Quodsi hoc fiat, damnum in accidentibus sentiunt collegia Juridica. Hoc tamen minime obstat, quo minus transmissio actorum abrogetur. Parum enim convenit, ut cum damno universorum pauci quidam fiant locupletiores (§. 585. *part. 2. Jur. nat.*). Superior non ita consulere debet utilitati paucorum, ut postponatur utilitas universorum, & promta justitiæ administratio negligatur.

§. 913.

De injusta remotione.

Si officium non fuerit collatum in certum diem, nec sub conditione resolutiva, sed simpliciter; quamdiu quis officio diligenter fungitur, ab eodem removeri nequit. Etenim si officium non fuerit collatum in certum diem, nec sub conditione resolutiva, in perpetuum collatum intelligitur (§. 899.). Quamobrem cum ea, de quibus in pacto, quo collatio perfecta (§. 900.), vel expresse, vel tacite conventum sint servanda (§. 901.), & quamdiu quis officio diligenter fungitur, ex parte sua pactum servet, consequenter ratio cessat, cur pars altera ab eodem recedere possit (§. 827. *part. 3. Jur. nat.*); is, cui officium simpliciter collatum, eodem privari nequit, quamdiu eodem diligenter fungitur. Quoniam itaque removetur, qui officio privatur invitus (§. 898.); si cui officium simpliciter collatum, quamdiu is eodem diligenter fungitur, removeri nequit.

Remotio in hoc casu cum non fieret sine violatione juris ejus, qui officio fungitur, injusta utique foret (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Digitized by Google

§. 914.

De dimissione.

Si cui officium simpliciter collatum, eundem naturaliter dimittere non tenetur superior, nisi moribus aliud fuerit introductum, in hoc tamen etiam casu dimittere non tenetur, si e re civitatis sit, ne dimittatur, nisi expresse contrarium fuerit conventum. Etenim si cui officium simpliciter collatum, id in perpetuum collatum intelligitur (§. 899.), consequenter is, cui collatum est, sese vi pacti, quo collatio perfecta (§. 900.), obligavit, quod eodem fungi velit, quamdiu potuerit, seu vires sufficientes sibi fuerint. Quamobrem cum servare teneatur id, de quo expresse, vel tacite conventum (§. 901.); quando petit, ut ne diutius officio fungi teneatur, superior ejus precibus annuere, consequenter eum dimittere naturaliter non tenetur (§. 898.). *Quod erat primum.*

Enimvero si moribus fuerit introductum, ne petentibus dimissio denegetur; in pacto, quo collatio perfecta (§. 900.), tacite conventum, ne petenti denegetur dimissio. Quamobrem cum servandum sit, de quo tacite conventum (§. 901.); dimissio petenti denegari nequit. *Quod erat secundum.*

Competit vero superiori potestas eminens, vi cujus de persona civis salutis publicæ causa in casu necessitatis disponere potest (§. 114.). Quodsi ergo e re civitatis sit, ut, qui officio quodam publico fungitur, eodem diutius fungatur, veluti si æque habilis haberi non possit, aut damnum sentiat Resp. si ad exteros dimittatur; eum dimittere non tenetur, etiamsi moribus aliud fuerit introductum. *Quod erat tertium.*

Denique si expresse fuerit conventum, ne dimissio petenti denegetur; eo ipso conventum fuit, quod superior potesta-

Digitized by Google

potestate eminente adversus ipsum uti nolit. Quamobrem cum id servandum sit, de quo expresse fuit conventum (§. 901.); superior quoque potestate eminente adversus ipsum uti nequit, consequenter is dimittendus est, etiamsi e re civitatis maxime foret, ne dimitteretur. *Quod erat quartum.*

Potestas eminens non competit iis, quibus jus conferendi certa quædam officia & jus dimittendi concessit superior. Quamobrem hi eadem uti nequeunt contra mores, sicuti ex adverso superior eadem uti potest, etiamsi cum his expresse fuerit conventum, ne petenti denegetur dimissio: conventio enim extendi nequit ultra jus ipsorum.

§. 915.

Si quis officio negligenter, vel fraudulenter fungitur; removeri potest, etiamsi simpliciter fuerit collatum. Etenim cum officium publicum conferri non debeat nisi habili (§. 890.), consequenter ei qui eodem recte fungi & potest, & vult (§. 889.); vi pacti, quo collatio perfecta (§. 900.), si non expresse, saltem tacite promisisse intelligitur is, cui officium collatum, quod diligenter ac sine omni fraude eodem fungi velit. Quodsi ergo negligenter, vel fraudulenter eodem fungatur, a pacto recedit (§. 901.). Quamobrem etiamsi is, cui officium simpliciter collatum, ab eodem removeri nequeat (§. 913.), cum tamen, quando pacta mutuas præstationes continent & unus pacisentium a pacto recedit, etiam alteri ob eodem recedere liceat (§. 827. *part. 3. Jur. nat.*); si quis officio negligenter, vel fraudulenter fungitur, removeri potest, etiamsi simpliciter fuerit collatum.

De justa removendi motione ob negligentem vel fraudulentam lentam administrationem.

Remotio in hypothesi propositionis præsentis pro poena habenda non est. Quodsi enim damnum dedit, qui negligenter,

ter, vel fraudulenter officio functus est, vel poenam meretur; damni reparatio & poenæ exactio per remotionem non tollitur, manant enim hæc tria ex diversis fontibus. Paradoxum vero haberi non debet, multo minus absurdum, quod jura superioris circa officia publica & eorum, qui iisdem funguntur, ex pacto deducamus, prouti eadem deducenda esse jam demonstravimus (§. 901.). Absurdum enim non est, universos paciſci cum singulis, cum istiusmodi pactione ipsa civitas fuerit constituta (§. 4.). Quando vero superior cum singulis paciſcitur, hoc facit nonnisi eo jure, quod universis originarie competit, ut in democratia manifesto apparet, nec intuitu hujus pacti singuli spectantur tanquam subditi.

§. 916.

De remotione in poenam.

Remotio fieri potest in poenam, etiamsi factum, ob quod puniendus in officio publico constitutus, illud non attingat. Etenim in poenam alicui auferri potest jus quodcunque (§. 589.), consequenter etiam in poenam superior eum, qui officio recte fungitur, removere potest ob factum, quo poenam meritus, quam jure suo prouti ipsi videtur decernere potest (§. 832. 833.), etiamsi factum istud officium minime attingat.

Ita in poenam removeri potest minister ecclesiæ ob stuprum, vel adulterium, vel etiam ebrietatem, quia istiusmodi actus vitiosos punire potest superior (§. 653.) & remotio in casu præsenti poena admodum conveniens est (§. 459.).

§. 917.

De suspensione in poenam.

Ab officio quis suspendi potest in poenam. Etenim qui suspenditur, is officio fungi ad certum tempus, vel tempus indefinitum prohibetur; qui vero removetur, officio prorsus privatur (§. 898.). Quamobrem cum removeri (§. 916.),

Digitized by Google

916.), ac ideo officio privari possit in poenam (§. 898.); multo magis prohiberi potest, ne ad certum tempus, vel tempus definitum eodem fungatur, consequenter suspendi.

Suspensio est quasi remotio in diem, seu ad certum tempus. Atque ideo de suspensione facilius intelligitur, quod de remotione demonstratur in se spectata.

§. 918.

De abdicatione.

Qui officio publico fungitur, sine consensu superioris, aut collatoris se eodem abdicare nequit. Etenim qui officio publico fungitur, se obligavit superiori, vel collatori vi pacti, quo collatio perfecta (§. 900.), quod eodem fungi velit vel in perpetuum, vel donec dies certus veniat, aut conditio resolutiva existat, prouti vel simpliciter, vel in certum diem, vel sub conditione resolutiva fuerit collatum. Quamobrem cum nemo ab obligatione sua seipsum liberare possit (§. 674. *part. 3. Jur. nat.*), quilibet autem alterum ab ea, qua sibi tenetur, liberare queat sola voluntate sua (§. 837. *part. 3. Jur. nat.*), quando vero quis se abdicat officio, cum declaret se jus vi ejusdem sibi competens amplius habere nolle (§. 115. *part. 3. Jur. nat.*), consequentuer & ab obligatione, qua tenetur superiori, vel collatori, liberari velle; qui officio publico fungitur, sine consensu superioris, aut collatoris se eodem abdicare nequit.

Eadem utrinque obligatio est, quippe ex eodem pacto veniens (§. 900.). Quemadmodum itaque qui alicui officium publicum contulit, pro lubitu eundem eo exuere nequit (§. 913.); ita nec huic liberum est eodem pro lubitu se abdicare. Equidem plerumque magis interest ejus, qui officio quodam publico fungitur, ne eodem exuatur, cum salarium accipiat in sui sustentationem, nec adeo facile sit alium se sustentandi modum invenire, quam hujus, qui officium contulit,

Digitized by Google

tulit, ne ille eodem se abdicet, cum plerumque non deficiant alii æque habiles, qui eadem diligentia eodem fungi possunt; hanc tamen differentiam non tam justitia, quam charitas attendi jubet, ac per consequens ea attendenda non est, ubi de jure agitur, quod ex pacto metiendum (§. 901.).

§. 919.

De eo, qui ob morbum vel ætatem provectam officio obeundo non sufficit.

Si quis ob morbum diuturniorem, vel ætatem nimis provectam officio in perpetuum ipsi collato obeundo non sufficit; ei adhuc salarium debetur, adjungendus vero est alius, qui officio fungatur. Quando enim officium in perpetuum confertur, operæ perpetuæ pro salario perpetuo promittuntur (§. 900.). Quamobrem salarium perpetuum debetur & operæ perpetuæ exigi possunt (§. 901.). Enimvero cum nemo obligari possit ad id, quod impossibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*), notorium vero sit fieri posse, ut quis in morbum diuturnum cadat, vel ætate ingravescente deficiant vires muneri obeundo pares, & salarium præbeatur in sustentationem sui (§. 907.); facile præsumitur tacite fuisse conventum, ut salarium adhuc præbeatur, etiamsi contingat, deficere vires muneri obeundo pares, vel ob morbum diuturniorem, vel ætatem nimis provectam. Quamobrem cum servandum etiam sit, quod tacite conventum (§. 901.); si quis ob morbum diuturniorem, vel ætatem nimis provectam officio in perpetuum collato obeundo non sufficit, ei adhuc salarium debetur. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen necesse est, ut quis officio fungatur, quando is qui debebat, per se eodem fungi nequit; ei adjungendus alius est, qui fungatur. *Quod erat alterum.*

Non est quod excipias, officium in perpetuum conferri sub tacita hac conditione, quamdiu eidem obeundo suffecerint vires:

Digitized by Google

vires: cum enim plerique officium publicum ambiant, ut honeste se sustentare possint, nemo facile præsumirur ita contrahere velle, ut necessaria vitæ subsidia ipsi subducantur, si casu quodam funesto, qualis est morbus diuturnior, vel ætate ingravescente contingat, ut deficiant vires ad munus obeundum sufficientes (§. 244. *part. 2. Jur. nat.*). Neque hoc nimis durum videri debet ex parte Rectoris civitatis, quippe qui curæ habere debet, ne desint ægrotis ad vitam conservandam necessaria (§. 739.), & ne subditi in paupertatem vel egestatem incidant, aut ad mendicitatem redigantur (§. 726.). Sane simile pactum intercedit inter dominum & servum, qui se sponte illi in servitutem dat (§. 1088. *part. 7. Jur. nat.*), cum in eo alimenta perpetua pro operis perpetuis promittantur (§. 1080. *part. 7. Jur. nat.*). Etsi autem servus cadat in morbum, ut operas nullas præstare possit, consequenter etiamsi ob ætatem nimis provectam deficiant vires; dominus tamen hoc non obstante alimenta eidem præstare debet (§. 1112. *part. 7. Jur. nat.*). Nemo vero dixerit, id pacto inesse, ut, quando servus operas præstare non valet, nec dominus ei alimenta debeat: certitudo enim alimentorum perpetuorum in causa fuit, ut quis servitutem subire voluerit. Eadem vero certitudo in causa est, ut quis eligat istiusmodi vitæ genus, quo officii publici functione sibi parat necessaria vitæ subsidia. Neque vero est, ut excipias, fieri posse ut quis de proprio se sustentare possit, etiamsi nullo salario fruatur: hoc enim pacto extrinsecum est, ex quo obligatio præbendi salarii fluit, sicuti & sunt alia, quæ ad rationes suadentes referenda in moralibus, ast non in quæstionibus de jure attendenda.

§. 920.

Quoniam salarium adhuc debetur ei, quem officio obeundo non amplius sufficere contingit & alius adjungendus, qui eodem fungatur (§. 919.); ideo multo magis *in abdicationem consentire debet superior, vel collator, si quis ob vanem.* *De consensu necessario in abdicatione*

Digitized by Google

cillantem valetudinem, vel ætatem ingraveſcentem officio ſeſe abdicat (§. 115. *part.* 3. *Jur. nat.*).

In hoc caſu abdicatio liberat ſuperiorem, vel collatorem ab onere præbendi ſalarium, quod alias eidem incumberet, aut ſaltem metuendum erat (§. 919.): ſi vero denegaretur conſenſus, onus quoddam in abdicare volentem devolveretur, quod pacto non ineſt, quo collatio perfecta (§. 900.), prout ex anterioribus facile colligitur.

§. 921.

De expectatione data.

Si Rex præſens officium alicui confert in eventum mortis alterius, qui eodem in præſenti fungitur, aut ſi alia de cauſa vacare contingat, ipſe autem moriatur, antequam vacet; ſucceſſor collationem ratihabere non tenetur, ſed morte conferentis jus expectantis expirat, niſi regnum ſit patrimoniale. Etenim ſi regnum patrimoniale non fuerit, Rex imperium, conſequenter & jus officia publica conferendi (§. 886.), in uſufructu habet, ac ideo eidem quoad exercitium competit (§. 40.). Quamobrem id exercere poteſt, quamdiu vivit, non vero exercitium ultra mortem extendere, poſtquam ſucceſſori jus competit. Quodſi ergo officium aliquod alicui confert in eventum mortis ejus, qui nunc eodem fungitur, aut ſi alia de cauſa vacaverit; id non aliter intelligi poteſt, quam ſi ſe adhuc vivo alterutrum contingat. Quamobrem ſi ipſe moriatur, antequam alterutrum contingat, conditio non exiſtit, conſequenter collatio conditionata non fit valida, ſed evaneſcit (§. 534. *part.* 3. *Jur. nat.*), ac propterea jus expectantis expirat, nec ſucceſſor collationem ratihabere tenetur. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi imperium fuerit patrimoniale, de ipſo imperio

imperio pro lubitu disponere potest, quomodo ipsi visum fuerit (§. 40. *h.* & 131. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter etiam constituere quædam in præsenti, quæ successor, in quem imperium transfertur voluntate ipsius (§. 283.), ac propterea ea lege, quæ transferenti placuerit, ratihabere tenetur. Quamobrem si cui officium quoddam publicum confert in eventum mortis ejus, qui nunc eodem fungitur, vel si alia de causa vacaverit; facile intelligitur hoc voluisse, ut jus expectantis non extinguatur, etiamsi se mori contingat, antequam officium vacet, ac per consequens successor collationem ratihabere tenetur. *Quod erat alterum.*

Ea nimirum differentia est inter expectationem in regno patrimonali & regno usufructuario datam, ut illius extensio ultra mortem dantis in hoc pugnet cum jure successoris, consequenter etiam repugnare intelligatur voluntati, in illo minime. Moraliter nimirum voluntati dantis repugnat, quod velle non potuit; minime autem, quod potuit: atque ea de causa in casu altero nulla adest ratio, cur voluntas dantis simpliciter declarata restringatur, sicuti in casu primo.

§. 922.

De adjunctione cum spe succedendi.

Quoniam perinde est, sive alicui officium conferatur in eventum mortis alterius, qui nunc fungitur, sive huic adjungatur cum spe succedendi, quod per se patet, quando vero officium confertur in eventum mortis ejus, qui eodem nunc fungitur, jjus| expectantis cum morte dantis expirat, nec successor collationem ratihabere tenetur, nisi regnum fuerit patrimoniale (§. 921.); *si quis alteri in officio adjungitur cum spe succedendi, spes adjuncti evanescit, quando Rex moritur, antequam officium vacat, & successor adjuncto præterito officium conferre potest, cui voluerit.*

Non est quod excipias, adjunctum, qui vices alterius in

eundo munere subiit vel gratis, vel exiguo quodam cum commodo suo, mereri, ut aliis præferatur, quando officium vacat. Etenim si vel maxime concedatur, in eo consistere aliquod meritum; haud quaquam tamen idem parit jus ad successionem, quod quis acquirere nequit nisi voluntate ejus, qui jus conferendi habet. Ea autem in præsenti deficit, cum jus adjungentis non duret dante mortuo & cum mortuus velle desinat. Alia vero est ratio, si expectatio detur a collegio quodam, cui jus sine confirmatione conferendi officium competit. Collegium enim nunquam interit, etsi moriantur ii, qui in eodem nunc sunt (§. 494.).

§. 923.

An quis ad officium publicum obeundum cogi possit.

Si alius aque habilis reperiri non possit, qui officio quodam fungatur; superior vi eum adigere potest, ut id obeat. E re civitatis esse, ut officiis publicis recte fungantur ii, quibus conferuntur, nemo in dubium vocat, & vel ex eo patet, quod nemini conferri aliquod officium publicum debeat, nisi habili (§. 890.). Quamobrem cum superiori competat potestas eminens, vi cujus salutis publicæ causa in casu necessitatis de persona civis disponere potest (§. 113. 114.); si alius æque habilis reperiri non possit, qui officio quodam fungatur, superior vi eum adigere potest, ut id obeat.

Præceptum prudentiæ est: Non sit alterius, qui suus esse potest. Attamen eodem non derogatur juri superioris, neque etiam officio boni civis, qui pro virili conferre debet, quod ad bonum publicum promovendum conferre potest (§. 24. 28.). Durum igitur videri non debet, si quis invitus officio publico fungi utilitatis publicæ causa tenetur, cum mallet in otio vitam consumere. Perperam nonnulli ad imperium despoticum referunt, quod potestati eminenti tribuendum, fit ita quod haud raro hæc in illud vertatur. Qui vero distinctam potestatis eminentis

Digitized by Google

eminentis notionem habet, haud difficulter ejus usum ab abusu distinguet, ut verendum non sit, ne confundantur, quæ diversa sunt, quamvis negandum non sit ea facile inter se confundi, nisi circumstantiæ singulares fuerint perspectæ.

§. 924.

Si unus pluribus officiis simul diligenter fungi possit, plura uni conferre licet: secus non licet. Neque uni plura conferenda officiis uni sunt officia, si qui uno fungitur subesse debet ei, qui fungitur altero. De pluribus officiis collatis.

Quoniam qui officiis publicis funguntur, vel certa negotia publica gerunt, vel sibi demandata exequuntur (§. 884.); Reip. tantummodo interest, ut omnes functiones rite impleantur, consequenter nil refert, utrum unus pluribus officiis simul fungatur, an plures, modo unus pluribus par sit. Quodsi ergo unus pluribus officiis simul diligenter fungi possit, plura uni conferre licet. *Quod erat primum.*

Enimvero si quis pluribus simul eadem diligentia fungendis non sufficiat, necesse omnino est, ut vel in uno, vel in omnibus eandem desiderari patiatur, consequenter bonum publicum non eo modo promovetur, quemadmodum fieri debebat & poterat, siquidem singula singulis collata fuissent. Quamobrem cum tum perinde sit ac si inhabilibus officia collata fuissent (§. 889.), ea vero conferenda non sint, nisi habilibus (§. 890.); si unus pluribus officiis simul diligenter fungi non possit, uni plura conferre non licet. *Quod erat secundum.*

Denique si officia, quorum unum alteri ita fuerit subordinatum, ut, qui uno fungitur, in functione dependeat a voluntate ejus, qui altero fungitur; huic demandata intelligitur inspectio, num ille officio rite fungatur, & ille in functione sua tenetur sequi voluntatem hujus. Quamobrem cum per

Digitized by Google

se pateat, absurdum esse ut ei, qui officio aliquo fungitur, una committatur inspectio, utrum rite fungatur, nec ne, & ut simul jubentis ac parentis personam sustineat; uni plura officia conferenda non sunt, si qui uno fungitur subest ei, qui fungitur altero. *Quod erat tertium.*

Quoniam iis, qui officio publico funguntur, danda sunt salaria (§. 904.), & hæc ita constituenda, ut iisdem sustentandis sufficiant (§. 907.), salaria autem sint onus Reip. (§. 774.); officia publica præter necessitatem non sunt multiplicanda. Quamobrem si unus pluribus par sit, quin sumtuum compendio ea uni conferre liceat, ecquis dubitet? Secus est si sumtuum compendium conjunctum sit cum dispendio salutis publicæ, & multo pejus est, si absque sumtuum compendio salus publica sentiat; damnum, vel incomodum, lucri privati causa. Sed disquisitionis politicæ est, utrum expediat, nec ne, ut uni plura officia conferantur. Salva vero conscientia unus plura officia ambire nequit, qui sibi conscius est se omnibus simul parem non esse & per alios facere tenetur, quæ necessario fieri debent, ipse autem facere per se nequit, in aliis autem negligentiam suam multitudine negotiorum, quibus obruitur, excusat. Quodsi ergo superior eundem uno contentum esse jubeat & ut eodem per se ea, qua debet, diligentia fungi jubeat; non habet, de quo conqueratur, sed quod sponte sua facere debebat, siquidem officio boni civis satisfacere & conscientiæ suæ rationem habere velit. Quæ de officiis, quorum unum alteri subordinatum esse debebat, uni non conferendis demonstravimus, quamvis adeo manifesta sint, ut contrarii absurditas non minus in oculos incurrat, ac si quis judicis & actoris vel rei personam simul sustinere velit, aut appellatio ab eodem judice ad eundem fiat; non desunt tamen absurditatis hujus exempla, quæ nonnisi avaritia & ambitio tuetur.

§. 925.

Digitized by Google

§. 925.

Superiori competit jus onera tam ordinaria, quam extraordinaria exigendi & imponendi. Etenim Remp. sine sumtu administrari ac defendi non posse, adeo manifestum est, ut in dubium vocare nemo ausit. Vidimus quoque iis, qui officiis publicis funguntur, danda esse salaria (§. 904.), sustentationi eorum sufficientia (§. 907.). Suppeditandi quoque sunt Regi sumtus ad sustentandum se familiamque regiam & obtinendum dignitatis regiæ splendorem sufficientes, idemque de optimatibus tenendum (§. 784.). Hæc omnia referenda sunt ad onera Reip. (§. 774.), partim ordinaria, partim extraordinaria (§. 779.). Quamobrem cum onera Reip. ferre teneantur universi (§. 775.), & singuli ad ea contribuere tenentur pro modo facultatum (§. 777.), & quando utilitas publica exigit, nova quoque onera imponenda sint; ad imperii civilis exercitium utique etiam pertinet exactio & impositio onerum tam ordinariorum, quam extraordinariorum. Quamobrem cum superiori competat imperium civile (§. 32. 141.); superiori competit jus onera tam ordinaria, quam extraordinaria exigendi & imponendi. *De jure onera exigendi.*

Inter jura majestatica præcipua referri omnino debet jus onera imponendi civibus & ea ab iisdem exigendi, prouti usus Reip. requisiverit (§. 810.). Qui dictum *Comminæi* probant, nulli Principum in terris licere ab invitis civibus exigere pecunias, lubrico admodum nituntur fundamento, quod proprietas bonorum in civilibus imperiis relicta sit privatis, non vero ademta, ut vi imperii de pecunia subditorum disponere possit, qui imperium exercet. Superiori enim competit dominium eminens, vi cujus de rebus propriis civium salutis publicæ causa in casu necessitatis disponere potest (§. 111.), & in hoc consentiunt, qui in civitatem coëunt (§. 118.). Ex ea

Digitized by Google

ea igitur ratione ab imperio ſejungi nequit jus imponendi & exigendi onera Reip. a ſubditis ferenda. Superior onera imponens & exigens nil facit, niſi ut imperet ea, ad quæ præſtanda ſeſe obligarunt ſinguli univerſis, quorum jus habet & exercet. Ceterum jus onera imponendi & exigendi hic conſideramus, quale in ſe eſt & imperio originarie ineſt, nullo habito reſpectu ad Rerump. mixtarum formam, in quibus jus imponendi onera, vel etiam exigendi aut ſibi reſervavit populus, aut aliis nonnullis conceſſit, vel ita contulit in Regem, ut is ſine certorum quorundam conſenſu nova onera imponere non poſſit.

§. 926.

Tributum quid ſit.

Tributa ſunt pecunia, quæ pro rebus immobilibus, veluti domibus & agris, pro moventibus, pro bonis, quæ quis poſſidet, aut negotio quæſtuoſo, vel etiam pro capite ſuo ſolvitur, onerum Reip. ferendorum cauſa. Idiomate patrio vocatur Steuer ac in ſpecie Vermögen-Steuer, quando redditur pro bonis; Kopf-Steuer, quando pro capite redditur.

Modi imponendi onera civibus admodum variant, neque iidem ſemper fuerunt apud Romanos. Quamobrem cum nomina, quibus a ſe invicem diſcreta, nec apud ipſos Romanos eundem ſignificatum retinuerunt, quem ab initio habuerant; multo minus hoc apud nos fieri poteſt. In Jure tamen naturæ, ubi non ſupponitur particularis quædam Reip. forma, neceſſe eſt, ut vocabula fixum quendam & determinatum habeant ſignificatum, & in eo libertati autoris utique aliquid relictum eſt. Quem igitur nos vocabulis ſignificatum tribuere conſultum ducimus, cum ut intelligamur, tum ut ea demonſtrare commode valeamus, quæ juris naturæ conſentanea ſunt; eum ea fini explicamus, de verbis ceteroquin cum nemine litigaturi.

§. 927.

Digitized by Google

§. 927.

Tributariæ dicuntur res, de quibus tributum solvitur. Ita *agri tributarii* sunt, de quibus solvitur tributum. Eodem sensu domus tributaria dicitur. Idiomate patrio vocamus Steuerbahr. *De rebus tributariis.*

§. 928.

Annona vocantur species, quæ de agris & moventibus redduntur ferendorum onerum Reip. causa, veluti frumentum, vinum, oleum, panis, caro, sal. Quoniam species sunt res pecunia æstimabiles, ut ideo pro iis pecunia solvi possit (§. 292. *part. 4. Jur. nat.*); *annona de agris & moventibus reddenda ad tributum referri, seu sub eo comprehendi potest.* Quoniam tamen pretium specierum non perpetuo idem est; *annona tributo variabili æquipollet*, consequenter *si species taxentur pretio fixo, non tantundem solvit, qui pretium solvit & qui annonam reddit.* *De annona.*

§. 929.

Vectigal dicitur pecunia; quæ ferendorum onerum Reip. causa solvitur pro mercibus & rebus consumtibilibus, pro vectura & si qua sunt his gemina. *Vectigal quid sit.*

Quæ de tributo diximus, ea etiam tenenda sunt de vectigalibus (*not.* §. 926.). Quodsi onera Reip. naturaliter consideremus, ea vel imponenda sunt rebus immobilibus, vel mobilibus, vel personis sive quoad substantiam bonorum, sive quoad annuos reditus, sive quoad capita spectatas, habita ratione quæstus. Inde porro deducere liceret singulorum horum generum species. Facile igitur videmus, quam multis modis onera hæc variari possint, quibus singulis, sicuti & generibus eorum, commoda nomina desunt. Nos vocabulis Latinis, quæ de hac materia prostant, significatum imponere volui-

Digitized by Google

mus, qui non in totum ab eo, quem apud Romanos habuerunt, abit, & omnem differentiam, quæ naturaliter habent onera hæc, exhaurit. Cetcrum differentia quædam etiam peti potest ab usu, quem pecunia, quæ solvitur utilitatis publicæ causa, vel etiam species, quæ redduntur, habent. Sed ea extrinseca est: maxime tamen attendenda venit, ubi quæritur, quænam onera licite imponantur civibus, & quomodo tributa, annona & vectigalia sint impendenda.

§. 930.

De muneribus publicis. Ad onera Reip. etiam pertinent *Munera publica*, quatenus officiis in eo contradistinguuntur, ut sine dignitate gratis, vel etiam damno patrimonii & sumtibus administrantis expediantur. Hinc apud Romanos officia publica, quæ diximus, appellantur *Honores*. Istiusmodi munus publicum est munus excipiendi personali hospitio milites, quod nobis die Einquartirung dicitur. Unde patet, *munera publica esse onera, quibus aerarium non impletur, sed levatur, & administrationem muneris publici aequivalere tributi solutioni.*

Perinde omnino est, sive quis utilitatis publicæ causa gratis facere cogatur, pro quo alias mercedem exigere poterat, sive tributum solvat, multoque evidentius idem conspicitur, si damno patrimonii & sumtibus suis munus administretur, tum enim non modo jacturam facit administrans mercedis operarum, verum etiam impensarum. Abunde hoc patet, si vel solum munus personali hospitio excipiendi milites consideres, quod incognitum fuit veteribus, nostro autem ævo multo notius, quam ut quantum sit hoc onus dicamus.

§. 931.

De effectu tributorum & munerum *Tributa rebus immobilibus & munera publica earum possessoribus impusita illarum pretium minuunt; vectigalia autem rebus mobilibus impusita pretium earum augent.* Etenim si tributa

ta rebus immobilibus imponuntur, quotannis certa pecuniæ summa pro iis solvenda (§. 926.). Quamobrem cum perinde sit ac si lucrum minus faceret, qui eas possidet, quam si essent immunes, consequenter quantum valet hoc onus, tantum a pretio subtrahendum (§. 307. *part. 4. Jur. nat.*); tributa rebus immobilibus imposita pretium earum minuunt. *Quod erat unum.* *publicorum, itemque vectigalium.*

Quoniam administratio munerum publicorum æquivalet tributorum solutioni (§ 930.), consequenter perinde est, sive rebus immobilibus tributa, sive earum possessoribus munera publica imponantur, tributa vero rebus immobilibus imposita earum pretium minuunt, *per demonstrata n. 1.* munera quoque publica rerum immobilium possessoribus imposita pretium earum minuunt. *Quod erat secundum.*

Enimvero si vectigalia imponuntur rebus mobilibus, pro iis certa pecunia solvenda (§. 929.). Quamobrem cum ea accedat pretio earum, quod antea erat; idem augeri manifestum est. *Quod erat tertium.*

Propositionem præsentem extendendam esse ad omne onus, quod rebus immobilibus, & earum possessoribus, vel etiam mobilibus Reip. causa imponitur, ex iis patet, quæ in antecedentibus modo dicta sunt, modo onera ista sint perpetua. Temporaria enim damno casuali æquiparanda, quæ ideo pretium rerum non afficiunt.

§. 932.

Quoniam tributa *rebus immobilibus* & munera publica earum possessoribus imposita pretium ipsarum [illegible]uunt (§. 931.); *si tributa nova* iisdem *vel etiam munera publica earundem possessoribus imponuntur, præsertim qua damno patrimonii imponendis.* *De tributis & muneribus publicis novis caute*

Digitized by Google

nii & ſumtibus adminiſtrantis expedienda, poſſeſſorum patrimonium minuitur, ſeu cives bona immobilia poſſidentes jacturam faciunt bonorum ſuorum. Quamobrem cum curæ habendum ſit in Rep. ne onera ſubditis imponantur ultra, quam Reip. adminiſtratio & defenſio exigit (§. 778.), & ne ſubditi in paupertatem vel egeſtatem incidant, aut ad mendicitatem redigantur (§. 726.) & quia ferendum non eſt, ut cives bona ſua dilapident (§. 751.), nec ea fieri debeant, ut inviti ea quaſi dilapidare cogantur; *tributa nova rebus immobilibus & munera, quæ nimium gravant poſſeſſores, hiſce imponenda non ſunt, niſi ſumma urgeat neceſſitas.*

Invitæ omnino bonorum dilapidationi æquiparatur imminutio pretii rerum immobilium per novorum onerum impoſitionem, ſi ea absque urgente neceſſitate publica fiat, ut absque hoc remedio nimis moleſto ac duro ſaluti Reip. conſulere non liceat: quo in caſu jactura partis bonorum, quam facit poſſeſſor, damno caſuali æquiparanda. Quantum detur damnum in civitate, ſi pretia rerum immobilium oneribus novis impoſitis minuuntur; diſertius hic explicandum non eſt.

§. 933.

Quando nam Rex domania & alia ad patrimonium populi ſpectantia oppignorare poſſit.

Si Regi competit jus nova tributa indicendi, domania & res alias ad patrimonium populi ſpectantes, ſeu quorum fructus deſtinati ſunt ad ſuſtentanda Reip. onera, oppignorare poteſt. Etenim ſi Rex habet jus nova tributa indicendi; dum domania, vel res alias ad patrimonium populi ſpectantes oppignorat, pecuniam, quam a creditoribus accipit, a populo exigere poterat, qui tributa indicta ſolvere tenebatur. Quoniam itaque perinde eſt, ſive tributa indicta ſolvat, ſive res pignori oppoſitas luat, & ipſa hæc luitio tributi quædam ſpecies eſt; ſi Regi competit jus nova tributa indicendi, domania

Digitized by Google

mania & res alias ad patrimonium populi spectantes oppignorare potest.

De domaniorum oppignoratione jam dictum est superius (§. 791.). Quoniam tamen idem valet de rebus ad patrimonium populi spectantibus, eorum mentionem hic denuo facere libuit. Non vero est quod excipias, oppignoratione non esse opus, si populus pignus luere teneatur, a quo statim tributa nova exigi poterant. Etenim non idem semper est rerum status, ut pecunia, qua indiget superior, statim exigi possit a subditis. Necesse igitur est, ut æs alienum contrahatur. Perinde omnino est, ac si populus, qui pecuniam, quam solvere debeat, non habebat paratam. Quodsi ergo superior res, quarum proprietas ad populum spectat, oppignorat; nihil facit, quod jure suo facere non posset, nec de quo jure conqueri poterat populus: supponimus enim res non oppignorari nisi in eo casu, quo Reip. causa sumtus faciendi. Nobis jam sermo non est de abusu juris, quem semper abesse supponimus, quoties quæstio est de eo, quod a superiori fieri potest. Facile autem intelligitur oppignorationem fieri eo in casu, quo sumtus extraordinarii fieri debent, ad quos ordinaria tributa non sufficiunt.

§. 934.

Quomodo tributa & vectigalia impendi debeant.

Tributa & vectigalia impendi debent in eum usum, cujus causa imposita sunt, vel imponenda. Sunt enim onera Reip. (§. 926. 929.), consequenter spectant ad sumtus Reip. administrandæ ac defendendæ causa faciendos (§. 774.). Quamobrem cum administratio ac defensio Reip. varias requirat sumtus, tributa quoque & vectigalia non destinantur eidem usui. Enimvero cum in Rep. curæ habendum sit, ne onera subditis imponantur ultra, quam Reip. administratio & de-

Digitized by Google

fenſio exigit (§. 778.); tributa & vectigalia impendi debent in uſum, cujus causa impoſita ſunt, vel imponenda.

Ita ſi vectigal ſolvitur pro vectura viarum publicarum causa, viæ publicæ reficiendæ ſunt. Si tributum ſolvitur in uſum militarem; alimentis & ſtipendiis militum & apparatui bellico idem impendendum, & ita porro. Ærarium nimirum publicum provide conſtituendum & diligenter adminiſtrandum: nervus enim rerum gerendarum tam belli, quam pacis tempore hodie pecunia eſt, nec imitari datur *Lycurgi* inſtitutum, qui inter privatos nullum niſi ferrei nummi uſum admiſit & ita ordinavit civitatem, ne Reip. vires auro vel argento tam pacis, quam belli tempore indigerent.

§. 935.

Collecta quid ſit.

Collecta dicitur pecunia, quæ a civibus uſus cujusdam particularis gratia colligitur. *Collecta* igitur *eſt onus extraordinarium* (§. 779.).

Ita e. gr. collecta eſt, quando pecunia colligitur extructioni templi, vel ædium incendio devaſtatarum impendenda, quas poſſeſſiores ſuis ſumptibus extruere nequeunt, vel etiam pauperum alendorum gratia. Nimirum collectæ non directe reſpiciunt Remp. univerſam, ſed ſaltem quosdam de Rep. quatenus univerſi etiam conſulere tenentur ſingulis, conſequenter quibusdam de Rep.

§. 936.

Cuinam jus collectandi competat.

Quoniam collecta onus extraordinarium eſt, quod civibus imponitur (§. 935.), jus autem onera extraordinaria imponendi in civitate ſuperiori competit (§. 925.); *jus* quoque *collectandi ſuperiori competit*, conſequenter *collectas concedere ſuperioris eſt, nec jus collectandi exerceri poteſt ſine ipſius permiſſu.*

Cum

Digitized by Google

Cum collecta confundendæ non sunt eleemosynæ, quas privatus quidam colligit miseriæ sublevandæ causa, in quam fatali incendio, vel alia calamitate redactus est, etsi significatus vocabuli communis hunc sensum ferat, terminus enim artis restrictior est. Nec obstat, quod plerumque arbitrio unius cujusque relinquatur, num quid & quantum ad collectam contribuere velit: etenim a superioris voluntate dependet, num unicuique liberum esse debeat, quid dare velit, an vero certi quid, quod exigendum, determinare velit, sicuti etiam in communi sermone collecta dicitur, quod a singulis colligitur, sive unusquisque eorum sponte sua det, quod ipsi placuerit, sive certum quid determinetur, quod ab unoquoque contribuendum.

§. 937.

Superiori competit jus de eleemosynis disponendi. Recto ri enim civitatis curæ esse debet, ne mendicis ac pauperibus desint ea, quibus ad vitæ necessitatem indigent (§. 734.), nec permittendum est, ut mendicent, qui labore suo tantum acquirere possunt, quantum ad vitæ necessitatem sufficit (§. 735.). Non toleranda in Rep. promiscua mendicandi libido (§. 745.) & cavendum, ne subditi nimiis eleemosynis onerentur (§. 747.). Superioris itaque est de eleemosynis disponere, quemadmodum e re civitatis fuerit & juri naturæ consentaneum (§. 220. *& seqq. part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem patet superiori competere jus de eleemosynis disponendi. *De jure disponendi de eleemosynis.*

Sine publica autoritate eleemosynæ vix dari possunt & accipi juri naturæ convenienter & promiscua mendicandi libido sæpe haud parum gravat subditos. Haud postrema igitur cura est, quæ ad exercitium imperii civilis pertinet, ut de eleemosynis constituatur, quod e re civitatis est tum respectu dantium, tum respectu accipientium. Quemadmodum vero superior

Digitized by Google

perior exercitium aliorum jurium ad imperium civile ſpectantium magiſtratibus committit, ita quoque curam eleemoſynarum eidem committere poteſt.

§. 938.

De jure monetæ cudendæ.

Jus monetæ cudendæ ad jura majeſtatica pertinet. Etenim in Rep. curæ habendum, ut ne deſit ſingularum ſpecierum monetæ ſufficiens copia (§. 802.), & ut ea ſit proba (§. 803.), nec permittendum, ut quilibet pro lubitu monetam cudat, ſi vel maxime, quam cudit, fuerit bona (§. 807.). Quamobrem patet jus cudendæ monetæ ad exercitium imperii civilis pertinere. Eſt igitur jus majeſtaticum (§. 810.).

Nemo negaverit, jus cudendæ monetæ ita exerceri minime poſſe, ne publicum defraudetur, niſi id ad ſuperiorem pertineat, qui ſolus valorem extrinſecum ita determinare poteſt, ut ſinguli eum admittere teneantur, & ſolus ne adulteretur præcavere omnium optime poteſt. Ipſius igitur eſt de moneta conſtituere, quod e re civitatis fuerit, & plurimum intereſt Reip. ut omnia, quæ ad monetam ſpectant, rite conſtituantur.

§. 939.

De maleficiorum, qui monetam cudunt.

Quoniam jus monetæ cudendæ ad jura majeſtatica pertinet (§. 938.); *qui monetam cudere audet ſine permiſſu ſine permiſſu ſuperioris, etiamſi probam cudat, hoc tamen non obſtante jus ſuperioris ſeu principis ſeu jus quoddam majeſtaticum violat* (§. 239. *part. I. Phil. pract. univ.*).

Ideo jam ſuperius annotavimus, graviter puniendos eſſe etiam eos, qui ſine permiſſu ſuperioris monetam etiam probam cudunt. Diximus ante (*not.* §. 934.), *Lycurgum* inter privatos nonniſi ferrei nummi uſum admiſiſſe. Facile patet, valorem

Digitized by Google

valorem extrinsecum monetæ tum minime respondisse valori interno. Ecquis vero hoc facere poterit, & cogere cives, ut eundem admittant, nisi superior? Immo omnia, quæ in Rep. constituenda sunt, ad imperii civilis exercitium pertinent, & per consequens jus ea constituendi ad jura majestatica.

§. 940.

Jus superioris circa valorem intrinsecum monetæ.

Superiori competit jus valorem extrinsecum monetæ tam propriæ, quam peregrinæ determinandi, eum augendi & minuendi, prout e re civitatis visum fuerit. Etenim superior præscribere debet, quantum metalli vilioris auro & argento puro in nummis admisceri debeat (§. 804.). Quamobrem cum valor intrinsecus æstimetur ex materia & pondere, extrinseca vero consistat in valore eidem imposito (§. 544. *part. 4. Jur. nat.*), hunc vero imponere nequeat nisi superior (§. 938.), qui leges præscribere potest (§. 813.); Superiori utique competit jus valorem extrinsecum monetæ, quam cudi curat, determinandi. *Quod erat primum.*

Enimvero si propter commercia cum exteris permittendum, ut moneta peregrina invehatur; patet valorem extrinsecum utriusque monetæ proportionalem esse debere valori intrinseco utriusque, ita ut se habeat valor extrinsecus monetæ peregrinæ ad valorem extrinsecum propriæ ut illius valor intrinsecus ad valorem intrinsecum hujus, ne scilicet æqualitas in contractibus servanda turbetur diversarum monetarum usu. Superiori itaque etiam competit jus determinandi valorem extrinsecum monetæ peregrinæ, quam habere debet in civitate. *Quod erat secundum.*

Quodsi ergo e re civitatis visum fuerit, ut valor monetæ extrinsecus vel augeatur, vel minuatur, quamvis curæ potissimum habere debeat, ut bonitas extrinseca illius con-

Digitized by Google

veniat cum bonitate intrinseca (§. 803.); hoc tamen non obstante, cum imperium civile ita exerceri debeat, ut bonum publicum, quantum fieri potest, promoveatur (§. 809.), valorem extrinsecum monetæ augere & minuere potest, prouti e re civitatis fuerit. *Quod erat tertium.*

Optandum equidem foret, ut Rectores omnium civitatum monetam probam cudi curarent, cujus scilicet valor extrinsecus cum intrinseco conveniret, quemadmodum fieri debebat (§. 803.), nisi vi dominii eminentis aliter disponi jubeat necessitas (§. 110. 111.); id tamen magis optandum, quam sperandum, prouti sunt seculi nostri mores. Quamobrem de valore extrinseco monetæ provide constituendum, ne quid damni inde sentiant cives, vel civitas universa: id quod pertinet ad prudentiam civilem. Facile autem patet, superiorem abuti jure suo, si valorem extrinsecum monetæ ita determinet, ut is sit civibus damnosus. Damnum enim, quod ex moneta minus proba in totam Remp. redundat, haud exiguum est, cum inde dependeat pretium rerum omnium ceterarum.

§. 941.

De moneta nullius valoris intrinseci in casu necessitatis causa.

Si ob temporum calamitates monet[illegible]x materia vili, vel exigui, aut fere nullius pretii cusa immodicus valor extrinsecus tribuendus; cessantibus illis superior curare debet, ut cum moneta proba permutetur. Etenim si ob temporum calamitates moneta ex materia vili, vel exigui, aut nullius fere pretii cudenda, eique valor extrinsecus immodicus tribuendus; patet id fieri penuria pecuniæ, quæ sumtibus Reip. administrandæ ac defendendæ causa faciendis non sufficit, consequenter si necessitas urget, ut monetæ exigui, vel nullius valoris intrinseci valor immodicus tribuendus, id ad onera Reip. referendum (§. 774.) & vi dominii eminentis valorem istum constituit superior (§. 110. 111.). Quamobrem cum onera Reip.

Digitized by Google

Reip. singuli ferre debeant pro modo facultatum suarum (§. 777.), &, si de rebus singulorum vi dominii eminentis disponitur, quantum fieri potest, ipsis satisfaciendum, nec damnum nisi pro rata ferendum (§. 119.); cessante necessitate, quæ immodicum istum valorem monetæ urgebat, superior curare debet, ut cum moneta proba permutetur.

Experientia constat, ob temporum calamitates gentes quasdam usas fuisse moneta ex corio cusa, vel monetæ cupreæ immodicum valorem fuisse tributum, quæ valorem intrinsecum argenteæ ejusdem ponderis longe superabat, immo vix aureæ ejusdem ponderis conveniret. Nisi subditi ad incitas redigi debeant si non omnes, saltem plurimi, necesse omnino est, ut valorem istiusmodi immodicum publica tueatur fides, consequenter ut monetæ probæ deficientis vicem interea sustineat moneta nullius pretii, donec cum proba permutari possit. Perinde nimirum est ac si in contractibus fides haberetur de pretio, & publicum debitoris vicem sustineret, qui vero ultimi monetam istam acceperunt, essent creditorum loco, moneta permutanda chirographi locum obtinente. Hæc si accurate perpendas, nihil in immodico istiusmodi valore, quem necessitas imponi jubet, deprehendes, quod sit injustum, vel iniquum, nec habent singuli quicquam, de quo jure conqueri possint. Saluti omnium prospicitur, quantum per temporum calamitates datur, nec quisquam sentit onus, quam quod unicuique civi ferendum, si monetæ nullius aut immodici valoris cum proba permutandi causa onera extraordinaria sint imponenda, ordinariis minime sufficientibus.

§. 942.

Superiori competit jus dignitates civiles conferendi. Etenim dignitates civiles debent esse præmia insignium in Rep. meritorum (§. 768.). Quamobrem cum de Rep. non modo bene mereantur, qui officio quodam publico funguntur *De jure conferendi dignitates civiles.*

Digitized by Google

(§. 884.), verum etiam ii, qui eximia quadam diligentia funguntur, propter habilitatem eminentem, non omnibus communem (§. 889.); dignitates civiles connectendæ non modo sunt cum officiis publicis convenientes, sed & majores conferendæ iis, qui ob habilitatem singularem iisdem utilius funguntur. Quoniam itaque superiori competit jus officia publica conferendi (§. 886.), cumque ea conferri non debeant, nisi habili (§. 890.) & collatio pacto perficiatur utrinque servando (§. 900. 901.), ac ideo ejusdem sit judicare, qua diligentia quis officio fungatur; eidem quoque competit jus dignitates civiles conferendi.

Ostenditur etiam hoc modo. Superior curæ habere debet, ut, qui bene de Rep. merentur, a ceteris honorentur (§. 761.), determinando actus externos, quibus honor ob merita in Remp. exhibetur bene de eadem merentibus a ceteris (§. 762.). Quamobrem cum hoc fieri aliter non possit, nisi quatenus de titulis & præcedentia disponit (§. 764.) & in his dignitates civiles consistunt (§. 765.); necesse omnino est, ut habeat jus dignitates civiles conferendi, consequenter id eidem competit.

Nimirum omne jus superiori competere debet, sine quo officio suo satisfacere nequit, sicuti naturaliter lex naturæ unicuique dat jus ad ea omnia, sine quibus obligationi suæ naturali satisfacere nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quemadmodum itaque operam dare tenetur, ut subditi minimum actus externos ad legem naturæ componant (§. 359.); ita quoque curare debet, ut qui alios honorare nequeunt, quemadmodum merentur, vel etiam nolunt, externum tamen honoris cultum iis exhibere teneantur, qui honore digni sunt. Necesse igitur est, ut ipsi competat jus de eo statuendi, prout sibi visum fuerit. Atque ideo jus dignitates civiles conferendi cum imperio civili arcte cohæret, sicuti jura cetera, de quibus

Digitized by Google

quibus antea dictum est. Quomodo vero jus hoc rite sit exercendum, ut bonum publicum, quantum fieri potest, promoveatur, quemadmodum fieri debet (§. 809.), per ea patet, quæ supra jam demonstravimus (§. 766. *& seqq*). Quamvis autem primo intuitu parum interesse videatur Reip. quomodo jus hoc exerceat superior; penitus tamen rem inspicentibus satis patet, abusum ejus Reip. plurimum nocere, & multorum vitiorum esse fomitem, quæ in Rep. minime alenda, sed summo potius studio eradicanda sunt. In statu naturali homines omnes æquales sunt (§. 81. *part. 1. Jur. nat.*), nemini prærogativa ulla (§. 94. *part. 1. Jur. nat.*), nemini præcedentia competit (§. 106. *part. 1. Jur. nat.*). Honorem non pariunt nisi facta ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta (§. 551. *part 1. Jur. nat.*) & unicuique liberum est, quomodo alterum honorare velit (§. 538. 539. *part. 1. Jur. nat.*). In statu civili vero, cum alii aliis Reip. utiliorem operam præstant, merita in Remp. homines faciunt inæquales, & quatenus superior, cui ea perspecta sunt, actus externos determinans, quibus honor debitus unicuique conferatur, inæqualitatem istam tuetur.

§. 943.

Ad jura majestatica pertinet jus belli. Ad finem enim civitatis etiam pertinet securitas (§. 13.), consequenter vacuitas a metu omnis vis externæ (§. 12.). Quamobrem necesse est, ut civitas defendatur adversus injurias extraneorum, & vi persequatur jus suum adversus eos, siquidem id ipsi tribuere nolunt. Quoniam itaque jus se defendendi (§. 1114. *part. 1. Jur. nat.*) & jus vi persequendi jus suum adversus eum, qui idem nobis tribuere non vult, jus belli est (§. 1103. *part. 1. Jur. nat.*) civitati jus belli competit, consequenter cum Resp administrari nequeat sine jure belli, ad jura majestatica utique etiam pertinet jus belli (§. 810.). *De jure belli, quale sit.*

Digitized by Google

Jus belli omnino involvit jus in actiones civium, quatenus alii arma ſumere, alii ad ſumtus bellicos contribuere, alii operas alias præſtare tenentur, ac ideo negari nequit jus belli pertinere ad imperium civile (§. 32.), nec hoc ſine eo ita exerceri poſſe, ut bonum publicum promoveatur (§. 23.). Enimvero cum jus belli ſit jus genti unicuique competens in gentes alias; de eo rectius agetur in Jure Gentium. Sunt qui jus belli ad jus gladii referunt, quatenus eidem ineſſe videtur jus quoddam in vitam civium, quemadmodum ſupra jam annotavimus (*not.* §. 834.). Enimvero cum commodius viſum fuerit jus gladii in ſtrictiori ſignificatu ſumere (§. 834.); jus quoque belli ab eodem diſtinguimus, ut omnis evitetur confuſio, nec in demonſtrando præter neceſſitatem difficultatibus implicemur. Quatenus vero cum jure belli jus quoddam in vitam civium cohæret, id in Jure Gentium diſertius explicandum erit. Qua etiam de cauſa jam prætermittimus jura particularia, quæ jus belli continet, quatenus id ipſum ſine iis exerceri, ſeu bellum geri minime poteſt, qualia ſunt jus conſcribendi militem & belli cauſa tam tributa indicendi, quam munera imponendi.

§. 944.

De jure pactiones faciendi cum gentibus aliis.

Ad jura majeſtatica quoque *pertinet jus pactiones faciendi cum gentibus aliis utilitatis Reip. cauſa.* Etenim cum imperium civile ita exerceri debeat, ut bonum publicum, quantum fieri poteſt, promoveatur (§. 809.); ſi utilitas Reip. exigat, ut pactiones ineantur cum gentibus aliis, eædem utique ineundæ ſunt. Quoniam itaque ſine jure pactiones faciendi cum gentibus aliis utilitatis Reip. cauſa imperium civile ita exerceri nequit, ut bonum publicum, quantum fieri poteſt, promoveatur; jus pactiones faciendi cum gentibus aliis ad jura majeſtatica pertinet (§. 810.).

Competit hoc quoque jus genti unicuique reſpectu aliarum.

Digitized by Google

rum. Quamobrem de eo quoque fusius agendum in Jure Gentium. Hic saltem ejus mentionem obiter quasi facere voluimus, ne quicquam prætermisisse videamur, quod ad jura majestatica maxime referendum. Quamobrem si quis adhuc quædam desiderare posse videatur in demonstratione tam juris belli, quam juris pactiones faciendi cum gentibus aliis; is, quæso expectet, donec in Jure Gentium originem utriusque Juris altius repetere datum fuerit. Ea igitur de causa hic loci etiam silentio prætermittimus jus mittendi legatos, quod potissimum a jure pactiones faciendi & jure belli dependet, prouti suo loco ostensuri sumus.

§. 945.

Per *Jus circa sacra*, aut *Jus sacrorum* intelligimus jus disponendi de iis, quæ ad cultum divinum & Ecclesiam spectant. *Jus circa sacra quid sit.*

De Jure sacrorum variæ sunt opiniones, quæ tamen non tam Juri naturæ, quam interpretationi Scripturæ sacræ originem debent, ac ideo religionem christianam & ecclesiam christianam præsupponunt. Nos non transcendimus in Jure naturæ sphæram eorum, quæ ex principiis rationis demonstrari possunt. Si qua enim divinitus constituta in Scriptura sacra traduntur, ea ad forum theologorum spectant. Ex principiis rationis alia religio deduci nequit, quam naturalis (§. 512. *part. 2. Theol. nat.*). Quamobrem nec alia in eodem supponitur Ecclesia, quam qui est coetus Deum eo modo colentium, quem ratio insinuat. Quia vero quæ de jure circa cultum divinum, quatenus naturalis est, & in Ecclesiam, quæ huic cultui dedita, demonstrantur, ad Ecclesiam quoque christianam applicari possunt ac debent, quatenus verbo divino, quo nititur religio & Ecclesia christiana, non alia superadduntur, aut constituta sunt; ideo quæ de jure circa sacra naturali demonstraturi sumus, minime referenda sunt inter ea, quæ nullius usus sunt, quin potius sine hisce principiis dissentientes opiniones

Digitized by Google

niones de jure ſacrorum inter chriſtianos dijudicare non licet. Quinque vulgo commemorantur opiniones de jure ſummæ poteſtatis in Eccleſiam. Prima Papæ, ſecunda presbyteris, tertia, quæ *Hobbeſii* eſt, imperio civili jus omne ſubjicit; quarta inter jus Eccleſiæ internum & externum diſtinguit, & hoc ad imperium civile refert; quinta denique eccleſiaſticis præter confeſſionem fidei nihil concedit, ſed poteſtatem omnem imperio civili adſcribit. Nos in examinandis iſtis opinionibus nullam operam collocabimus; ſed de jure ſacrorum ea ſaltem trademus, quæ ex principiis rationis demonſtrari poſſunt, ſepoſito omni ſectæ præjudicio. Vid. *Huberus* de Jure Civ. lib. 1. Sect. 5. c. 1. & ſeqq.

§. 946.

An Rectori civitatis competat.

Rectori civitatis competit jus aliquod circa ſacra. Curæ enim habere debet, ut ſubditi Deum colant (§. 458.), ſintque pii (§. 457.) ac virtuti dediti, a vitio alieni (§. 456.). Ac ideo in Rep. inſtituendi doctores publici (§. 459.), condenda templa (§. 462.), inſtituendi dies feſti (§. 467.). Curare debet, ne cultus divinus publicus negligatur (§. 471.), & ne religio contemnatur (§. 472.), in cultu autem divino ceremoniæ aptæ & convenientes inſtituantur (§. 478.). Quoniam igitur neceſſe eſt, ut Rector civitatis de iis, quæ ad cultum divinum & eccleſiam ſpectant, disponat (§. 1230. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.* & §. 484. *h.*); jus vero diſponendi de iis, quæ ad cultum divinum & eccleſiam ſpectant, jus circa ſacra eſt (§. 945.); Rectori civitatis, ſeu ſuperiori jus aliquod circa ſacra competit.

Naturaliter competere ſuperiori in civitate aliquod jus circa ſacra, in dubium vocari nequit, quia ex eodem fonte derivatur, ex quo fluunt cetera jura ad imperium civile ſpectantia. Nimirum quando civilis ſocietas contrahitur, ſinguli in hoc conſentiunt, ut univerſis competat jus determinandi ea, quæ ad

Digitized by Google

ad finem civitatis consequendum necessaria sunt (§. 28. 30.). Atque hoc ipsum jus imperium civile est (§. 32.), a quocunque tandem & quacunque lege exerceatur (§. 37.). Quamobrem cum cultum divinum publicum & alia, quæ ad ecclesiam spectant, non minus requirat finis civitatis, quam cetera, quæ de Rep. constituenda demonstrata sunt, prouti ex demonstrationibus superioribus (§. 458. *& seqq.*) abunde patet, jus disponendi de iis, quæ ad cultum divinum publicum, & de aliis, quæ ad ecclesiam spectant, non minus ad jus Rectoris civitatis pertinet, quam jus constituendi cetera, quæ in eodem constituenda sunt. Quodsi vero populus imperium non sibimetipsi retinuit, sed in alium, vel alios transtulit; jus Rectoris civitatis metiendum est ex voluntate populi. Tantum nimirum est, quantum contulit & conferre potuit, salva obligatione naturali, quæ in se immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Videndum itaque quantum juris circa sacra populus in Rectorem civitatis transferre potuerit, & quantum transferre voluisse intelligatur.

§. 947.

Qui in civitatem coëunt, inter se convenire nequeunt, ut Quatenus de cultu divino interno & iis, quæ vi interni in externo aliter sese de religione habere non possunt, pro vero haberi debeat, quod visum fuerit parti convenire majori, nisi quatenus controversia in Ecclesia orta provisionaliter nequeunt, decidenda, aut de ea certi quid constituendum. Etenim quæ ad cultum divinum internum spectant, si dogmata, quæ is supponit, spectes, eorum veritas nititur demonstratione, prouti ex Theologia naturali patet; si vero agenda spectes, eorum veritas similiter via demonstrationis innotescit, prouti patet ex iis, quæ in parte prima Juris naturæ demonstrata sunt integro capite quarto. Quodsi præterea sumatur, Deum quædam revelasse de se ac voluntate sua modoque ipsum colendi, prouti Christiani per Prophetas & Apostolos in eorum scri-

qui in civitatem primi coëunt.

ſcriptis, quæ Scripturæ ſacræ nomine comprehendimus, factum eſſe ſumimus; quæ ex principiis rationis demonſtrandis ſuperaddenda veniunt, ex revelatione divina dijudicanda ſunt. Quamobrem cum fieri non poſſit, ut habeas pro vero, niſi convincaris (§. 983. *Log.*), conſequenter id imperari minime poſſit; qui in civitatem coëunt, inter ſe convenire nequeunt, ut, quod de cultu divino interno viſum fuerit parti majori, habeatur pro vero. *Quod erat primum.*

Enimvero ſi qua ſunt in cultu divino externo, quæ aliter ſeſe habere nequeunt, quamdiu habeantur pro vero, quæ ad cultum divinum internum ſpectant, ſive directe, quatenus ſunt hujus pars quædam, ſive indirecte, quatenus agenda nituntur dogmatis, ſeu veritatibus theoreticis; de illis conveniri nequit, quod de his conveniendum non eſt, cum ſibi mutuo repugnantia velle nequeamus. Quamobrem cum, qui primi in civitatem coëunt, inter ſe convenire nequeant, ut, quod de cultu divino interno viſum fuerit parti majori, habeatur pro vero, *per demonſtrata*; ideo nec convenire poſſunt, ut, quod de iis, quod vi cultus interni in externo aliter ſeſe habere nequeunt, parti majori viſum fuerit, habeatur pro vero. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi vero in Eccleſia controverſia aliqua oriatur de dogmatis vel agendis, ſive de iis, quæ ad cultum divinum internum pertinent, aut ad eundem in externo ita referuntur, ut vi illius aliter ſeſe habere non poſſunt; cum interſit Reip. ut ea terminetur, ne ex diſſenſu mutua oriantur odia, tranquillitati Reip. adverſa (§. 11.), nec infirmi, quibus verum a falſo discernere datum non eſt, reddantur perplexi, proviſionaliter ſaltem decidendum eſt, quid publice docori, aut fieri in cultu divino publico debeat, aut quid

Digitized by Google

quid interea constituendum, donec pars una victa cedat alteri & concordia una sit sententiarum. Quoniam vero provisionalis istiusmodi decisio, aut constitutio obtineri nequit, nisi admittatur ut id valeat, quod parti majori visum fuerit; qui in civitatem coëunt, saltem tacite convenisse intelliguntur, ut, si controversia quædam in Ecclesia oriatur, quæ provisionaliter vel decidenda, vel de qua provisionaliter certi quid statuendum, illud valeat, quod visum fuerit parti majori. *Quod erat tertium.*

Assensum extorqueri non posse, nisi per rationes, quæ unicuique videntur evidentes, & vel ad convincendum, vel persuadendum sufficiunt, adeo manifestum est, ut a nemine in dubium revocari possit. Quamobrem & quilibet concedere tenetur, non posse imperari, ut pro vero habeas id, de quo victus, vel persuasus non es per rationes tibi evidentes. Maxime igitur absurdum foret, ut quis assensum suum subjicere vellet voluntati aliorum. Obstat vero etiam ipsa lex naturæ, &, si præterea admittas revelationem quandam divinam de cultu Nominis, etiam hæc ipsa, quo minus in iis, quæ in propositione præsente sumuntur, subjicias voluntati humanæ. Quæ enim lex naturæ præcipit aut prohibet, ea tantæ sunt necessitatis, ut mutari non possint, & quæ inde venit obligatio, non minus necessaria est (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Et quæ Deus fieri vult, ea ut faciat homo necesse est, nec quicquam in iis relictum arbitrio ipsius (§. 970. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem si vel maxime, qui primi in civitatem coëunt, convenire vellent, ut in iis, quæ ad cultum divinum internum pertinent & in externo indivulso nexu isti cohærent, pendere velint a voluntate partis majoris; pactum tamen hoc foret illicitum (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter nullum. Si vero controversia in Ecclesia orta ut terminetur, vel sopiatur, e re tam Ecclesiæ, quam civitatis fuerit, cum parti neutri imperari possit, ut sententiam alterius amplectatur

& pro vera habeat, vi eorum, quæ modo dicta sunt, non aliter id obtineri potest, nisi ut provisionaliter vel decidatur, quid publice doceri aut fieri debeat, aut certi quid constituatur, veluti ut unicuique liberum sit sententiam suam proponere ac rationibus defendere, citra contumeliam & insectationem partis alterius, vel ut de eo, quod controversum est, in cultu divino publico taceatur. Istiusmodi autem decisiones & constitutiones provisionales, ubi omnium æquale jus est, aliter fieri non possunt, nisi ut prævaleat, quod parti majori visum fuerit eorum, qui in Ecclesia sunt. Quodsi hæc probe perpendas, circa propositionem præsentem nihil prorsus dubii restabit. Necesse autem omnino est, ut hæc probe perpendantur, quia ex propositione præsente deducenda sunt, quæ ad jus circa sacra pertinent, ne scilicet id ulterius extendas, quam licitum est.

§. 948.

Quomodo jus circa sacra naturaliter restringendum.

Quoniam civitates pacto constitutæ (§. 4.), consequenter nec jus universis in singulos aliud competere potest, quam quod pacto isto continetur, qui vero in civitatem coëunt, inter se convenire minime possunt, ut de iis, quæ ad cultum divinum internum spectant, vel iisdem in externo indivulso nexu cohærent, prævaleat id, quod parti majori visum, nisi controversia in Ecclesia orta vel provisionaliter decidenda, vel de ea certi quid constituendum (§. 947.);

* *jus circa sacra, quatenus originarie in populo est, extendi nequit ad ea, quæ ad cultum divinum internum spectant & indivulso nexu cum eodem in externo cohærent, nisi quatenus provisionaliter controversia in Ecclesia orta decidenda, aut de ea certi quid constituendum.*

Videmus itaque, quomodo jus circa sacra naturaliter restringatur, & inde porro liquet, quando eodem abutatur is, cui exercitium ejus convenit, idem ultra limites jure naturali definitos

Digitized by Google

nitos extendendo. Aliter nimirum jus circa ſacra concipi nequit, quam quale ex pacto, quo civitates conſtitutæ, reſultare poteſt. Et propterea neceſſe eſt, ut in Jure naturæ idem ex fonte ſuo deducamus. Cum vero ex ipſa demonſtratione propoſitionis præcedentis pateat, pacto illo præjudicari non poſſe iis, ſi qua divinitus revelata ſunt; ea omnia ſalva manent, quæ de jure circa ſacra revelationi divinæ conſentanea demonſtrari poſſunt, ſed ea cum non ſint ejus fori, in quo jam verſamur, Theologis tractanda relinquimus. Agitur hic de jure publico univerſali, non vero de eo, quod vel omnibus civitatibus chriſtianis commune, aut huic, vel alteri proprium eſt. Quod enim a religione chriſtiana venit, ad civitatem qua talem minime pertinet.

§. 949.

Quoniam jus circa ſacra non aliter in alium transferri potuit, quam quatenus originarie in populo eſt, quod per ſe patet; *Qui jus circa ſacra in Rep. habet, is imperare pro ca ſacra inlubitu nequit ea, quæ ad cultum divinum internum ſive directe, perare neſive quocunque alio modo ſpectant, aut in externo indivulſo quo- queat, qui dam nexu cum eodem cohærent, niſi quatenus proviſionaliter con- id exercet. troverſia in Eccleſia orta decidenda, aut de ea certi quid ſtatuendum* (§. 849.).

Quanam

Ita imperari nequit, ut dogma aliquod habeatur pro vero, nec ut hoc modo colatur Deus, qui opinionibus Deum colentium repugnat. Neque enim excipi poteſt, veram eſſe de Deo modoque ipſum colendi ſententiam, quæ imperatur, cum jam antea monuerimus, aſſenſum veritati præbendum imperari minime poſſe. Quando vero controverſia aliqua oritur in Eccleſia, quam terminari non minus e re Eccleſiæ, quam civitatis eſt, imperari poteſt, ut dogma aliquod publice doceatur, non vero quod eidem contrarium, aut ne ſententia quædam in conventibus publicis Eccleſiæ defendatur, vel ut utraque pars

Digitized by Google

sententiam suam citra contumeliam & insectationem partis alterius defendat rationibus, ac dissentientes se invicem amice tolerent, prouti cum res, de qua agitur, tum status Reip. aut ecclesiæ hoc potius, quam aliud statuendum suadet, vel permittit.

§. 950.

De iis, quæ in cultu divino externo non uno modo fieri possunt.

Qui primi in civitatem coëunt, inter se convenire debent, ut in iis, quæ in cultu divino externo non uno modo fieri possunt, valeat istud, quod majori parti placuerit. Etenim si qua in cultu divino externo non uno modo fieri possunt, ea nec lege naturali nec; si qua datur revelatio divina, eadem determinata sunt, consequenter lex naturæ in casu priore, & revelatio divina in posteriore tantummodo nobis dat jus ad faciendum, quod convenientius visum fuerit, etsi vi legis naturæ perfectivæ curæ nobis esse debeat, ut eligamus id, quod pro datis circumstantiis melius nobis videtur (§. 193. *part. 1. Phil. pract. univ.*), neque enim ultra id obligari possumus (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero qui primitus in civitatem coëunt, tacite conveniunt, quod parti majori visum fuerit, id habendum esse pro totius populi voluntate, nisi expresse fuerit conventum, ut nonnisi unanimia, vel certus votorum numerus vincat (§. 157.), quod posterius in præsenti casu vix fieri poterit, si negotium exitum habere debet, quemadmodum necesse est ut habeat. Quamobrem qui primi in civitatem coëunt, inter se convenire debent, ut in iis, quæ in cultu divino externo non uno modo fieri possunt, valeat istud, quod parti majori placuerit.

Pleraque ad cultum divinum externum spectantia talia sunt, quæ non uno modo fieri possunt. In his igitur regnat arbitrium singulorum, quorum omnium etsi æquale jus sit, eo ipso tamen, quia societatem ineunt, singuli sese obligant universis,

Digitized by Google

fis, quod jus suum dependens esse debeat a voluntate plurimorum, quatenus in hoc consentiunt, ut, quæ unanimi consensu constituenda, exitum habere debeant. Exempli loco esse possunt ceremoniæ, tempus, quo in templis cultus divini publici causa in diebus festis conveniendum, vestitus, quo in administratione cultus divini ministri ecclesiæ uti debent, & quæ alia sunt hujus generis longe plurima.

§. 951.

Quoniam jus circa sacra non aliter in alium transferri potuit, quam quatenus originarie in populo est; *Qui de iis dispo- Quomodo*
jus circa sacra in Rep. habet, is de iis, quæ in cultu divino publico ni possit vi
sive externo non uno modo fieri possunt, pro lubitu disponere potest, juris circa
prout e re civitatis vel ecclesiæ ipsi visum fuerit. *sacra.*

Facile patet, nos hic supponere, jus circa sacra in aliquem translatum esse pleno jure, ut ejus exercitium nullo modo restrictum sit. Nondum autem hic supponimus, in quemnam jus istud sit transferendum: hoc enim demum demonstrandum.

§. 952.

Qui in statu naturali in ecclesiam unam se congregant, De eccle-
inter se convenire debent, ut de iis, quæ ad cultum divinum pu- sia in sta-
blicum spectant, vel ad Ecclesiam, valeat, quod iis placuerit, qui tu natu-
numero prævalent. Cum qui in unam ecclesiam se congre- *rali spe-*
gant, eodem modo Deum colere velint (§. 484.); easdem *ctata.*
de Deo & voluntate ipsius cultuque interno opiniones fovere debent, quatenus cultus publicus externus ab iis dependet. Quoniam vero natura homines omnes liberi sunt (§. 146. *part. I. Jur. nat.*), consequenter in agendo non dependent ab ullo homine, nisi a seipso (§. 153. *part. I. Jur. nat.*), ac præterea æquales sunt (§. 81. *part. I. Jur. nat.*), conse-

Digitized by Google

conſequenter æqualia jura habent (§. 78. *part. 1. Jur. nat.*); ſi ſe in unam eccleſiam congregant, ea, quæ non uno modo fieri poſſunt, quoad cultum divinum publicum, vel Eccleſiam, communi conſenſu determinare debent. Et quia ſocietatem quandam ineunt (§. 1. *part.* 7. *Jur. nat.*), in ſocietate autem ratum eſſe debet, quod plurimis placuerit (§. 80. *part.* 7. *Jur. nat.*), niſi in quibusdam negotiis expreſſa conventione unanimia vota requirantur, quæ ut exitum habeant neceſſe non eſt (§. 107 *part.* 7. *Jur. nat.*); qui in ſtatu naturali in eccleſiam unam ſe congregant, inter ſe convenire debent, ut de iis, quæ ad cultum divinum publicum, vel ad Eccleſiam ſpectant, valeat, quod iis placuerit, qui numero prævalent.

Propoſitio præſens nihil difficultatis habet. In ſtatu enim naturali a voluntate paciſcentium unice dependent omnia, de quibus inter ſe convenire volunt, niſi quod interne obligentur, ne conſentiant in id, quod legi naturæ adverſatur (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*): id quod tamen conſcientiæ ipſorum relinquendum (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*). Qui igitur in ſtatu naturali in eccleſiam ſe congregant, de iis, quæ ad cultum divinum publicum atque eccleſiam ſpectant, disponere poſſunt, prouti ipſis viſum fuerit. Patet autem in ſtatu naturali concipi non poſſe niſi eccleſias particulares (§. 484), etſi nihil obſtet, quo minus eccleſiæ plures particulares eandem religionem profitentes per pacta invicem ſocientur: quod ſi contingat, inter eas valent ea, de quibus in pacto fuit conventum. Naturaliter enim jus una in alteram nullum habet, nec una alteri perfecte quid debet; ſed intra ea ſola ſubſiſtendum, quæ charitatis ſunt, & naturaliter homo quilibet alteri præſtare tenetur, ſiquidem officio hominis ſatisfacere voluerit, nihil vero exigi poteſt.

§. 953.

Digitized by Google

§. 953.

Quoniam qui in statu naturali in ecclesiam unam se congregant, de iis, quæ ad cultum divinum publicum & ecclesiam spectant, voluntate sua constituere possunt, quemadmodum ipsis videtur (§. 952.); *in statu naturali omne jus circa sacra est penes unamquamque Ecclesiam particularem* (§. 945.), *nisi quatenus ecclesiæ plures particulares per pacta idem fecerint dependens a se invicem* (*not.* §. *cit.* & §. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*). Et quoniam de jure suo pro arbitrio statuere possunt, transferendo idem in alium, vel alios ea lege, qua placuerit (§. 11. 12. *part.* 4. *Jur. nat.*); *in statu naturali ecclesia una particularis jus circa sacra vel in unam personam, vel in certum collegium transferre potest, sive absolute, sive certa lege, & ecclesiæ particulares plures idem in eandem personam, vel idem collegium sive proprio motu, sive communi consensu transferre possunt.*

Penes quem sit jus sacrorum in statu naturali.

In præsenti hypothesi jus circa sacra sese habet per modum imperii civilis, quorum illud originarie penes Ecclesiam est & res incorporalis ejusdem propria, quemadmodum hoc originarie est penes populum (§. 33.) & res populi propria (§. 34.). Quamobrem quæ de imperio civili demonstrata sunt, quatenus idem populus vel sibi retinet, vel in alium, aut alios plures transfert; ea etiam in præsenti hypothesi de jure circa sacra intelliguntur. Ceterum hinc patet, jus circa sacra originem suam non deducere ex civitate, sed ex ecclesia, & per consequens per se non inesse imperio civili, sed ad illud accedere & quodammodo ab eo dependens effici, prouti ex sequentibus clarius eluceſcet. Patet ulterius, naturaliter non repugnare, ut jus circa sacra quoad universam ecclesiam competat personæ uni, unitatis conservandæ causa. Atque ideo multo minus dubitari potest, divinitus hoc institui potuisse: id quod num institutum sit quoad ecclesiam christianam, cum ex scri-

Digitized by Google

ptura ſacra decidendum ſit, discuſſio ejus ad Theologorum forum pertinet.

§. 954.

De neceſſaria dependentia juris circa ſacra ab imperio civili.

Qui in civitatem coëunt, in hoc conſentire tenentur, ut jus circa ſacra ſit dependens ab imperio civili quoad eos actus, qui reſpectum quendam ad Remp. habent, vel quorum executio brachio civili indiget, & quatenus eccleſia tutelam civilem requirit. Etenim imperium civile, quod eſt jus univerſis in ſingulos competens (§. 32.), metiendum eſt ex fine civitatis (§. 30.), ac ideo eidem ſubſunt actus omnes, quatenus reſpectum quendam ad finem civitatis, conſequenter Remp. habent (§. 16.). Quamobrem qui in civitatem coëunt, in hoc conſentire tenentur, ut jus circa ſacra ſit dependens ab imperio civili quoad eos actus, qui reſpectum quendam ad Remp. habent. *Quod erat unum.*

Et quoniam jus circa ſacra exerceri nequit, niſi quæ decreta ſunt executioni dari poſſint; ſi quorundam executio brachio civili indiget, ad ea utique conſenſus ejus requiritur, penes quem imperium civile eſt, cum ab ipſius voluntate dependeat executio. Quamobrem qui in civitatem coëunt, in hoc conſentire debent, ut jus circa ſacra ſit dependens ab imperio civili quoad ea, quorum executio brachio civili indiget. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum in civitatem coëant homines tranquillitatis & ſecuritatis cauſa (§. 4. 13.), conſequenter ut vacui ſint a metu injuriarum & vis externæ (§. 11. 12.); in hoc quoque conſentiunt, ut eccleſiam tueatur ſuperior adverſus injurias aliorum atque vim externam, conſequenter ut ſint ſub tutela civili. Quamobrem qui in civitatem coëunt, in hoc

Digitized by Google

hoc quoque conſentire tenentur, ut jus circa ſacra ſit dependens ab imperio civili, quatenus tutela civili opus habet. *Quod erat tertium.*

Nemo præſumitur velle contradictoria. Hinc pactum poſterius mutat in priori, quæ cum eo conſiſtere nequeunt. Naturaliter jus circa ſacra oritur ex pacto, quod ineunt, qui in eccleſiam ſe congregant; imperium civile vero ex pacto eorum, qui in civitatem coëunt. In ſtatu naturali modus paciſcendi dependet ab arbitrio membrorum Eccleſiæ, niſi quatenus is, quemadmodum omnis actus alius, regitur a Jure naturæ, & quatenus ſtandum iis, quæ divini ſunt inſtituti: in ſtatu civili autem in iis, quæ reſpectum ad Remp. habent, ſine ſuperioris permiſſu nihil conveniri poteſt. Per imperium itaque civile limitatur jus circa ſacra, ſive eccleſia demum oriatur in Rep. ſive antequam ea conſtituatur, ſed non uno eodemque modo, prout facile colligitur. Ac ideo imperium civile partem quandam juris circa ſacra ad ſe trahit, quod per ſe eidem minime ineſt, cum gens concipi poſſit ab omni cognitione Dei remota ac per conſequens omni cultu divino deſtitutum, ubi jus circa ſacra nullum eſt.

§. 955.

De conjunctione juris circa ſacra & imperii civilis.

Si qui in civitatem coëunt vel in eccleſiam jam fuerint congregati, vel ſaltem religioni cuidam addicti; ab arbitrio coëuntium dependet, utrum jus circa ſacra cum imperio civili conjunctum eſſe debeat, an ab eo ſeparatum, ut unicuique eccleſiæ particulari, vel univerſæ maneat proprium, & quando imperium civile transfertur in alium, utrum in eandem perſonam imperium civile & jus circa ſacra transferre velint, an duo hæc jura diverſa transferre malint in diverſas perſonas. Et ubi illud ſimpliciter defertur, vel in reſtrictionis lege juris circa ſacra nulla fit mentio juris circa ſacra; eccleſia hoc jus ſibi non reſervaſſe intelligitur, ſed idem

cum civili imperio in unam perſonam collatum cenſetur, niſi fortes proſtent rationes in contrarium. Etenim in ſtatu naturali omne jus circa ſacra eſt penes unamquamque eccleſiam particularem, & eccleſia quælibet particularis idem transferre poteſt, vel in perſonam unam, vel plures, ſeu collegium quoddam (§. 953.). Quodſi ergo in civitatem coëunt, qui in eccleſiam jam fuerint congregati, vel ſaltem religioni cuidam addicti, ut communionem cultus publici habere poſſint; jus circa ſacra vel cum imperio civili unire, & quando hoc transferunt, una cum eodem transferre, vel jus circa ſacra ab imperio ſeparare & id translato imperio ſibi reſervare, vel illo translato hoc ſibi reſervare, vel etiam imperium civile in perſonam aliam, jus circa ſacra in aliam transferre valent, prouti ſibi viſum fuerit. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi imperium ſimpliciter transfertur, aut in reſtrictionis lege nulla fit mentio juris circa ſacra, cum idem perinde ac imperium civile (§. 33.) originarie in populo ſit (§. 950.), conſequenter in uno ſubjecto utrumque jus conjunctum, facta ſeparatio non præſumitur, nec ulla ejus reſtrictio, ac ideo cum imperio civili jus circa ſacra translatum intelligitur in eandem perſonam, eccleſia vero idem ſibi reſervaſſe non præſumitur, niſi fortes proſtent rationes in contrarium. *Quod erat alterum.*

Qui abſurdum putant, jus circa ſacra ſeparatum ab imperio civili eſſe, quaſi Resp. in Rep. fingatur; judicium omnino præcipitant, nec abſurditatem demonſtrare valent. Sane in Rep. Hebræorum jus circa ſacra erat penes Pontificem maximum, imperium civile penes Regem & uterque jus ſuum habebat pleno jure ac independenter ab alio. Ecquis vero dixerit hoc inſtitutum fuiſſe abſurdum, etiamſi ſeponas, quod fuerit divinum? Relegenda hic ſunt, quæ ſupra de diviſione imperii

Digitized by Google

imperii summi in partes potentiales annotavimus (§. 65.). Quamvis enim in superiori ostenderimus, Rectori civitatis competere jus aliquod circa sacra, (§. 946.); non tamen inde inferri potest, quod ad imperium civile simpliciter sit referendum, & quod quæ sacrorum causa ordinanda aut constituenda sunt, ab ipso ordinari & constitui debeant: etenim quantum sit hoc jus, quod Rectori civitatis competit, & quomodo exercendum, aliunde omnino æstimandum, prouti ex hactenus demonstratis apparet. E. gr. ponamus populum nullam adhuc communionem cultus divini publici habere: cum ad eundem quoque pertineat, ut populus instruatur de Deo atque voluntate ipsius, omnique virtutum ac vitiorum genere, Rectori autem civitatis curæ esse debeat, ut subditi Deum colant (§. 458.), sintque pii ac virtuti dediti, a vitio alieni (§. 456. 457.), ecquis dubitaverit eum imperare posse cultum divinum publicum & ut in eo populus instituatur de Deo & voluntate ipsius, de virtutibus colendis, vitiis autem fugiendis? Propterea tamen non sequitur jus circa sacra naturaliter Rectori civitatis competens extendi posse ultra eos limites, quos ejus dependentia ab imperio civili præscribit. Hactenus vero jus quoddam circa sacra Rectori civitatis denegari nequit (§. 945.). Inde in Rep. Hebræorum Reges pii, quamvis jus circa sacra summum penes Pontificem maximum esset, idololatricum cultum sustulerunt, tanquam lege divina prohibitum. Hactenus enim cultus divinus respectum ad Remp. habebat. Ceterum notandum, non jam quæstionem esse de eo, quid melius sit, sed unde jus circa sacra oriatur Rectori civitatis, & undenam hoc sit metiendum.

§. 956.

Si qua de jure circa sacra lege fundamentali disponantur, ea tenent Rectorem civitatis. Rector enim civitatis tenetur ad legum fundamentalium observantiam (§. 77.). Quodsi ergo

De jure circa sacra lege fundamentali definito.

Digitized by Google

ergo lege fundamentali disponatur de jure circa sacra, ea quoque observare tenetur Rector civitatis.

Ita si lege fundamentali cautum, ne alia religio, quam cui populus addictus est, introducatur, vel cultus publicus concedatur iis, qui aliam profitentur; Rector civitatis religionem aliam introducere nequit, neque etiam permittere a recepta alienis cultum divinum publicum potest. Si dictum sit, ut nihil in sacris & ecclesiasticis mutetur; nec quoad dies festos, aut ceremonias superior quicquam mutare potest, etiamsi ceteroquin jus circa sacra summum eidem competat.

§. 957.

De tolerantia diversarum religionum in Rep.

Si lex nulla fundamentalis obstet; superior quamcunque religionem tolerare potest in civitate, modo ea non sit statui civili adversa, & eam praescribere potest legem, sub qua tolerare velit. Etenim si de religione lex nulla fundamentalis prostet, superiori liberum est, utrum praeter eam, quam profitentur cives, aliam adhuc tolerare velit, nec ne, cum ipsius judicio relictum sit, quid expediat Reip. Quamobrem si ipsi ita visum fuerit, religionem quamcunque aliam profitentibus concedere potest, ut in terris suis domicilium sibi constituant, & libero religionis suae exercitio fruantur perinde ac cives reliqui, idemque intelligitur de civibus a religione, quam profitentur, deficientibus (§. 947. 948.), consequenter religionem quamcunque tolerare in civitate potest, si lex nulla fundamentalis obstet. *Quod erat unum.*

Enimvero si qui religionem quandam profitentur, foveant opiniones statui civili adversas, cum inde saluti Reip. periculum immineat, quae suprema in eadem lex est (§. 89.); per se patet, religionem istiusmodi tolerari in Rep. non posse. *Quod erat secundum.*

Quo-

Digitized by Google

Quoniam vero a superioris voluntate unice dependet, utrum religionem aliam, quam quam cives profitentur, tolerare velit, nec ne, si nulla lex fundamentalis prostet, *per demonstrata n. r.* hi vero, quorum religio toleratur, non plus juris habere possunt, quam iis concedit superior; idem quoque legem præscribere potest, sub qua eam tolerare velit. *Quod erat tertium.*

Ita apud nos tolerantur Judæi, sed non permittitur ut sint opifices & ad officia publica sicuti cives admittantur. Diversam religionem profitentes tolerari possunt ea lege, ut exercitium publicum suæ religionis iisdem non permittatur, vel ut permittatur sive simpliciter, sive certo modo restrictum; ut prædia possidere possint, vel ut nequeant; ut officiorum publicorum ac dignitatum civilium sint capaces, vel incapaces & quæ sunt alia hisce gemina.

§. 958.

Quoniam superior, si lex fundamentalis non obstet, quo minus aliam religionem, quam receptam in civitate tolleret, eam legem præscribere potest, sub qua tolerare velit (§. 957.); *si diversam religionem ab ea, quæ recepta est, profitentes tolerare decrevit, per pacta cum iis definire potest jus circa sacra, quod sibi competere debet, nec ultra id, de quo conventum est, jus suum extendere potest, etsi eidem jus majus competat respectu ceterorum, qui receptæ religioni addicti sunt* (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*).

De jure circa sacra eorum, quorum religio toleratur.

Ita si conventum fuerit, ne quid in ceremoniis, vel diebus festis immutare possit; nec quicquam juris quoad ceremonias, vel dies festos eidem competit. Per se autem patet, plus juris circa sacra tacite concessisse tolerandos præsumi non posse, quam per religionem, quam profitentur, habet ecclesia, cui sunt addicti. Ita Judæis, qui tolerantur, imperari nequit, ut non

Digitized by Google

non Sabbathum, ſed diem dominicam celebrent, vel dies feſtos chriſtianis proprios, veluti feſtum aſcenſionis dominicæ, vel feſta Apoſtolorum, aut etiam feſta Patriarcharum atque Moſis, nec catholicis, ut non celebrent feſtum corporis Chriſti aut aſcenſionis B. virginis, aut ex adverſo ut celebrent cum Lutheranis feſtum reformationis ſeculare, vel, quod in Saxonia receptum, annuum. Patet porro jus circa ſacra extendi non poſſe ultra ea, quæ in cultu divino externo vi interni non uno modo ſe habere poſſunt (§. 949. 951.).

§. 959.

De religione Rectoris civitatis.

Si lege fundamentali cautum non ſit, ut Rector civitatis eidem religioni addictus ſit, quæ in civitate recepta; religionem aliam pro lubitu amplecti poteſt. Aſt ſi dictum fuerit, ut regnum committatur mutata religione, vel ut ſucceſſionis ea de cauſa fiat incapax ſucceſſurus; in caſu priori regnum amittit, in poſteriori jus ſuccedendi. Quoniam enim jus circa ſacra, etiamſi Rectori civitatis competat (§. 946.), non extenditur ad ea, quæ ad cultum divinum internum ſpectant & indivulſo nexu in externo cum illo cohærent, niſi quatenus proviſionaliter controverſia in Eccleſia orta decidenda, aut de ea certi quid conſtituendum (§. 948.), per ſe vero patet, eum in hoc uti debere conſilio doctorum eccleſiæ, imperium autem civile, quod ex fine civitatis metiendum (§. 30.), cum jure circa ſacra per ſe nihil habeat commune (§. 60. 945.); nil obſtat, quo minus imperium civile exerceat, qui alii religioni addictus eſt, quam quam ſubditi profitentur. Quodſi ergo lege fundamentali cautum non ſit, ut Rector civitatis eidem religioni addictus ſit, quæ in civitate recepta; nihil obſtat, quo minus aliam religionem amplectatur, ſalvo jure imperandi, conſequenter amplecti eam poteſt pro lubitu, quam voluerit (§. 70. *Ontol.*). *Quod erat primum.*

Enim-

Digitized by Google

Enimvero si in lege fundamentali dictum fuerit, ut Rector civitatis mutata religione regnum committat; imperium sub hac conditione in ipsum translatum & ab eo acceptatum intelligitur, ut, si aliam religionem amplectatur, imperium penes ipsum non diutius manere debeat. Quamobrem cum lege fundamentali stare teneatur Rector civitatis (§. 77. 74.), & si religionem aliam amplectitur, conditionem adimpleat, sub qua imperium habere nequit; si in lege fundamentali dictum fuerit, ut mutata religione regnum committatur, Rector civitatis regnum amittit, quando religionem aliam amplectitur. *Quod erat secundum.*

Quodsi denique in lege fundamentali expresse dictum fuerit, ut in regnum succedere non possit, qui alii religioni addictus, quam quæ in Rep. introducta; eodem quo ante modo patet, quod qui spem succedendi habet, jus omne amittat, quamprimum religionem aliam amplectitur. *Quod erat tertium.*

Clausula commissi adjici potest legi fundamentali cuicunque. Legibus autem fundamentalibus prospicitur libertati populi, qui libertatem conscientiæ omnium maxime curæ cordique habet. Ac ea de causa conditur quoque lex fundamentalis, ut Rex addictus sit religioni in Rep. receptæ, immo fervor religionis adjici jubet clausulam commissi. Ea tamen tacite adjecta nunquam intelligitur, & quando adjicitur, nullum sibi jus arrogat populus in conscientiam ejus, cui imperium defertur, cum ipsi liberum sit, utrum id sub ea conditione accipere velit, nec ne. Quamdiu vero is est rerum status, ut populus leges fundamentales condere possit; de modo transferendi imperium pro lubitu quoque disponere potest. Equidem negari non potest, melius esse, si Rector civitatis & subditi universi eidem religioni addicti sint, cum dudum exploratum sit, quantum religio suadere possit malorum; id tamen quod melius

Digitized by Google

eſt minime jus facit, nec per ſe repugnat, ut Rector civitatis bene imperet populo aliam religionem profitenti & ſubditi quoad religionem diviſi concordiam colant, cum charitas, naturale hominum vinculum, unire poſſit animos diverſa de modo colendi Deum ſentientium; ſicuti ex adverſo male quoque imperant, qui eandem cum populo religionem profitentur, & mutuis odiis ſe invicem proſequuntur, qui ejusdem eccleſiae membra ſunt. Nulla igitur ratio naturalis eſt, quae urgeat neceſſitatem unius in Rep. religionis Rectori civitatis & univerſo populo communis. Ex principiis generalibus de jure ſacrorum demonſtratis haud difficulter deciduntur quæſtiones particulares, quæ de hac materia occurrunt. Sed cum nobis non liceat eſſe prolixioribus, ad earum diſcuſſionem in præſenti non digredimur.

§. 960.

Qualia jura ſint dominium & imperium eminens.

Dominium & imperium eminens ad jura majeſtatica pertinet. Etenim vi dominii eminentis de rebus civium (§. 111.), vi imperii eminentis de ipſa eorundem perſona ſalutis publicæ cauſa disponitur in caſu neceſſitatis (§. 114.), conſequenter ſine utroque jure imperium civile exerceri nequit ita, ut bonum publicum, quantum datur, promoveatur. Quamobrem cum jura majeſtatica ſint, ſine quibus imperium civile ita exerceri nequit, ut bonum publicum, quantum datur, promoveatur (§. 810.); dominium & imperium eminens ſunt jura majeſtatica.

Hactenus recenſuimus jura, quæ majeſtatica appellantur, ſeu imperio civili revera inſunt prætermiſſis tamen particularibus, quæ ſub ſingulis comprehenduntur & ex illis ſub iisdem comprehenſa intelliguntur, quæ prolixe de Rep. conſtituenda demonſtravimus, non alio fine, quam ut appareat, quænam ad imperii civilis exercitium requirantur, ac per conſequens quænam ſint jura ſub eo comprehenſa. Dividi vulgo

Digitized by Google

vulgo solent jura majestatica in majora & minora. Ad illa referuntur jus gladii, seu vitæ & necis, atque jus belli, jus condendi leges, jus tributa & vectigalia exigendi, seu onera civibus imponendi, jus pacem & foedera pangendi ac legatos mittendi, jus magistratus creandi, dominium denique eminens; ad minora vero jus creandi magistratus inferiores, nobiles, comites &c. & doctores, jus concedendi nundinas & ferias, jus dispensandi circa leges in utilitatem privatorum, veluti veniam ætatis minoribus, inducias debitoribus dando; jus monetæ cudendæ, bona in poenam confiscandi, bona vacantia & res derelictas occupandi, jus venandi & quæ sunt alia hujus generis. Sed parum refert, num jura alia majora, alia minora appellare malis, modo constet, quænam jura imperio civili insint, ut sine iis id ita exerceri nequeat, quemadmodum bonum publicum exigit. Quamobrem nec litem hanc nostram facimus, num hoc, vel istud jus potius ad jura majestatica majora, quam ad minora vel contra referri debeat.

§. 961.

Superior in eos, per quos civitatem regit, tantundem juris conferre tenetur, quantum functiones eorum exigunt; tantundem autem conferre potest, quantum placuerit, nisi lege fundamentali quadam sint definita. Etenim superior per alios civitatem regens certas exercitii imperii partes iisdem committit (§. *superior.* 218. *part.* 7. *Jur. nat.*). Necesse igitur est, ut tantundem juris habeant, quantum exercere nomine superioris debent, consequenter is tantundem juris conferre tenetur, quantum functiones eorum exigunt. *Quod erat unum.* *De jure eorum quos civitatem regit*

Enimvero quoniam superior solus per se civitatem regere nequit, sed partim per alios regere tenetur (§. 883.), quatenus vero lege fundamentali non impeditur, seu libertas ejus in iis, quæ decernit, non restringitur (§. 74. 77. 78.),

Digitized by Google

de modo regendi civitatem prouti viſum fuerit, ſtatuere poteſt, in eos, per quos civitatem regit, tantundem juris conferre poteſt, quantum placuerit, niſi lege fundamentali quadam ſint definita. *Quod erat alterum.*

Ii, per quos ſuperior civitatem regit, jus ſuum ab eo habent, qui tantum conferre poteſt, quantum voluerit, quatenus imperium abſolutum ſpectatur, tantum autem contuliſſe intelligitur, quantum functiones demandatæ exigunt. Quodſi vero intra tam arctos limites jus horum coërceri minime debeat; expreſſe voluntatem ſuam ſuperior declarare tenetur, quantum ultra neceſſitatem abſolutam juris iisdem concedere velit, ne in iis conſenſum ejus requirere, vel voluntatem ſcrutari teneantur. Per ſe autem patet, ſi qua de modo regendi per alios Remp. & de jure hisce competente lege fundamentali ſtatuta ſunt, ea tum a ſuperiore, cujus jus abſolutum non eſt, mutari minime poſſe.

§. 962.

De illius dependentia a jure ſuperioris.

Jus eorum, per quos ſuperior civitatem regit, dependens eſt a voluntate ſuperioris. Etenim ii, per quos ſuperior civitatem regit, jus eidem competens non proprio, ſed ipſius nomine exercent: quod per ſe patet. Enimvero is, qui jus alteri competens ipſius nomine exercet, idem exercere nequit pro lubitu ſuo, ſed quemadmodum alter vult, aut velle præſumitur, conſequenter in exercendo jure a voluntate committentis dependet (§. 851. *Ontol.*). Jus igitur eorum, per quos ſuperior civitatem regit, dependens eſt a voluntate ſuperioris.

Magiſtratus jus ſuum a ſuperiore habent, nec ipſis per ſe competit, conſequenter abſolutum eſſe nequit. Et quamvis per leges fundamentales & per privilegia a Rege confirmata ante homagii præſtationem certa quædam jura certis magiſtratibus

Digitized by Google

tibus competant; non tamen propterea exercitium horum jurium independens est a voluntate superioris, sed eidem omnino subest. Aliud enim est, num jus superioris quoad exercitium lege fundamentali restringatur aut limitetur; aliud vero est, si lege fundamentali, aut alio modo obligatorio determinetur, quale jus iis competere debeat, per quos ut civitas regatur, necesse est: per hoc enim non officitur summitati, quæ superiori salva manet, ac ideo non tollitur dependentia exercitii jurium magistratibus concessorum a jure superiori competente.

§. 963.

Quoniam *jus eorum, per quos superior civitatem regit, Dependen-*
dependens est a voluntate superioris (§. 962.); *quilibet* eo- *tia illius*
rum *actus istiusmodi sunt, ut a superiore irriti reddi possunt*, con- *consequens.*
sequenter *his, qui ipsorum juri subsunt, provocatio ad superiorem permissa, &, nisi obstent leges fundamentales, superior quoque per se facere potest, qua per eos fieri debebant, quoties ipsi visum fuerit.*

E. gr. ponamus magistratui concessum esse jus functiones quasdam leviores aliis committendi, vel eligendi pro lubitu eos, quorum ministerio indigent in executione eorum, quæ ipsi demandata sunt. Hoc non obstante superior functiones istas committere potest iis, quibus voluerit, quando ita fert occasio, vel etiam præcipere, ut in executione eorum, quæ magistratui demandata sunt, utantur hujus ministerio, quem ipse elegit. Similiter si in casu quodam ferre legem iis, quos juri magistratus subjecit, eidem concessit; legem istam irritam facere potest, si ea ipsi displicuerit. Ex propositione autem præsente intelligitur, quo sensu accipiendum sit, quod vulgo dicitur, jura majestatica incommunicabilia esse, nimirum non quod exercitium eorum committi possit non aliis, sed ut summitas semper maneat apud superiorem, qui jura quædam cum aliis communicat. Aliud nimirum est habere quid per

Digitized by Google

ſemet, aliud in poteſtate concedentis eſſe, quod habes. Dependentiæ juris, quod habes, a poteſtate concedentis effectus neceſſarius eſt, ut hic exercitium revocare poſſit, quoties lubet.

§. 964.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam jus eorum, per quos civitatem regit ſuperior, dependens eſt ab ejus voluntate (§. 962.); *omnes iſti, per quos civitatem regit ſuperior*, quocunque demum nomine veniant, *ſubjecti ſunt juri ſuperioris*, conſequenter *in voluntate ejus acquieſcere ſemper tenentur* (§. 141. 142. *part. I. Jur. nat.*).

E. gr. ponamus magiſtratui conceſſum eſſe jus gladii ita ut poenam capitalem executioni dare poſſit ſine confirmatione ſuperioris, ſeu ejus, qui ſummam poteſtatem habet; hoc tamen non obſtante ſuperior, quoties voluerit, cauſas avocare, vel damnatis poenam remittere, ac pro lubitu eandem mitigare poteſt.

CAPUT V.

De Theoria naturali legum civilium.

§. 965.

Leges civiles quanam ſint.

Leges civiles dicuntur, qui a ſuperiore feruntur in civitate. Quamobrem cum quælibet lex ſit regula, juxta quam actiones noſtras determinare obligamur (§. 131. *part. I. Phil. pract. univ.*); *juxta leges civiles ſubditi actiones ſuas in civitate determinare tenentur*, & quoniam hæc obligatio dependet a voluntate ſuperioris, lex autem poſitiva humana eſt, cujus obligatio dependet a voluntate hominis, vel hominum plurium (§. 149. *part. I. Phil. univ.*); *leges civiles ſunt leges poſitivæ humanæ.*

Quamvis

Digitized by Google

Quamvis leges civiles condantur a superiore; abfit tamen ut tibi persuadeas, in eo regnare merum arbitrium superioris. Jus enim naturæ quemadmodum regit omnes actus humanos; ita quoque regit voluntatem superioris in ferendis legibus. Ad Jus igitur naturæ pertinet, ut demonstretur, quomodo leges civiles legi naturæ convenienter sint condendæ. Dudum hoc observarunt veteres: unde *Ulpianus* l. 6. ff. de J. & J. cum aliquid ait, addimus, vel detrahimus Juri communi (per quod intelligitur Jus istud natura constitutum, & omnium gentium commune), jus civile efficimus, & jus civile definit, quod neque in totum a naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei servit. Hic igitur nobis demonstrandum est, quid addendum sit legi naturali, ut ex ea fiat lex civilis. Sane quia leges naturales sunt veluti basis, cui innituntur civiles, ideo contingit leges alias esse æquas, alias vero iniquas, alias justas, alias vero injustas. Etenim si de eo judicium ferre velis, necesse est, ut sit legum civilium aliqua norma, quæ alia non est nisi lex naturæ, quatenus ad finem civitatis consequendum refertur (§. 30.). Quamvis vero lex naturæ omnes determinet actiones humanas, quatenus præcipiendo facit debitas, prohibendo illicitas, permittendo licitas (§. 163. *& seqq. &* §. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); non tamen inde inferri potest, præter naturæ legem alia non esse opus in civitate: variæ enim dantur rationes, cur addendo, vel demendo ex naturali efficiatur civilis. In eas igitur jam nobis inquirendum erit.

§. 966.

Per *Theoriam naturalem legum civilium* intelligo eam, quæ tradit modum leges civiles ex naturalibus efficiendi. *Theoria legum civilium naturalis quid sit.*

Esse hanc partem Juris naturalis, ac in specie Juris publici universalis, haud difficulter intelligitur. Etenim legi naturæ subest exercitium totius potestatis legislatoriæ, qua invita ob immutabilitatem illius & necessitatem indispensabilem (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nihil constitui potest. Ipsa igitur docet,

Digitized by Google

docet, quid Juri naturæ addendum, vel demendum, ut ex eo fiat jus civile, conſequenter modum præſcribit leges civiles ex naturalibus efficiendi. Ac inde oſtendendum eſt, utrum lex aliqua civilis recte ſit ſtatuta, nec ne, ac per conſequens utrum ea ſit æqua, an iniqua, utrum juſta, an injuſta. Sane niſi modum efficiendi legem civilem ex ipſo Jure naturæ derives, ratio nulla eſt, cur non quidvis in civitate præcipi, prohiberi, vel permitti recte poſſit. Non licet provocare ad actiones per ſe indifferentes, quas determinari perinde ſit in civitate: etenim hae ipſæ quoque propter determinationes accidentales, quæ extrinſecus ſuperaccedunt, bonæ atque malæ fiunt (§. 61. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ad has omnino referendæ ſunt, quæ a fine civitatis veniunt, ex quo ſicuti omne imperium civile (§. 30. 32.), ita etiam poteſtas legislatoria metienda, tanquam ſuprema in Rep. lege (§. 86.), ipſo naturali Jure conſtituta, cui convenienter civitates conſtitutæ ſunt (§. 26.). Quodſi in condendis legibus civilibus theoriam naturalem legum civilium ſequamur, tum demum omnis Juris ſcientia, quemadmodum fieri debere recte obſervavit *Cicero*, penitus ex intima philoſophia hauritur, & ratio magiſtra eſt Juris civilis, quemadmodum naturalis (§. 259. *part. 1. Phil. pract. univ.*), utut illud absque voluntate ſuperioris vim nullam acquirat.

§. 967.

Quinam teneantur lege civili.

Leges civiles non obligant niſi membra ejus civitatis, in qua feruntur. Etenim feruntur in civitate a ſuperiore (§. 965.). Enimvero populus quilibet naturaliter liber eſt (§. 55.), conſequenter populus nullus poteſtati alterius populi ſubjectus (§. 136. *part. 1. Jur. nat.*), nec ideo facere tenetur (§. 142. *part. 1. Jur. nat.*), quod vult populus alter, ſeu is, qui ejus jus habet, ſuperior (§. 141. 28. 29.). Quamobrem leges civiles non obligant niſi membra ejus civitatis, in qua feruntur.

Ita

Digitized by Google

Ita leges civiles Hebræorum per Moſen latæ nos non obligant, nec obligant leges Romanæ. Ac ideo *Ulpianus* jus civile vocat Jus proprium l. 6. ff. de J. & J. quia eſt jus proprium eorum, qui ejusdem civitatis membra ſunt, nec ad alios producendum, qui membra alterius civitatis ſunt. Superior, cui competit poteſtas legislatoria (§. 813), vi hujus juris ſibi competentis nonniſi ſubditis ſuis præſcribere poteſt, quid facere, aut non facere debeant (§. 141.): obſtat naturalis libertas ceterorum hominum, qui poteſtati illius ſeſe non ſubjecerunt, quo minus actiones ipſorum dependeant ab ejusdem voluntate (§. 146. 152. *part. 1. Jur. nat.*). Et quamvis Deum agnoſcamus autorem legum a Moſe Hebræis latarum, hæ ipſæ tamen leges a Deo non datæ fuerunt univerſo generi humano, cui tanquam domino ſuo ſubjecti ſunt homines omnes (§. 966. *part. 1. Theol. nat.*), ſed tanquam a ſuperiore Reip. Hebræorum, qui ipſe ipſius Rector eſſe volebat 1. Sam. VIII. 7.

§. 968.

Quoniam leges civiles non obligant niſi membra civitatis, in qua feruntur (§. 967.); *ſi leges peregrinæ recipiuntur, eæ non habent vim obligandi qua leges peregrinæ, ſed quatenus ſuperior vult eas eſſe leges in Rep. quam regit,* conſequenter non amplius *ſpectantur tanquam leges peregrinæ, ſed tanquam leges hujus civitatis.*

Unde vim accipiant leges peregrinæ in civitate recepta.

Ita ſi ſuperior leges per Moſen Hebræis latas recipit, eædem ſubditos ſuos non obligant tanquam leges Moſaicæ, ſeu Hebræorum; ſed tanquam leges ab ipſo iisdem latæ. Similiter Jus Romanum in Germania non valet tanquam Jus Romanum, nec tanquam Jus Germanicum; ſed tanquam Jus ſuperioris, qui in ſuo territorio poteſtatem legislatoriam habet. Sine voluntate enim ſuperioris, ſeu ejus, qui poteſtatem legislatoriam habet in civitate, ſeu territorio quodam, nulla concipitur lex civilis (§. 965.), quæ cum ſint leges poſitivæ humanæ (§. *cit.*); aliunde quam a voluntate ipſius vim obligandi

Digitized by Google

di habere nequeunt (§. 149. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Unum idemque eſt, ſive ſuperior in condendis legibus utatur conſilio miniſtrorum ſuorum, vel aliorum civium, ſive extraneorum. Quando vero leges peregrinas recipit, perinde omnino eſt, ac ſi uſus fuiſſet conſilio extraneorum.

§. 969.

Quid proprie ſint leges civiles.

Leges civiles præſcribunt media, quibus bonum civitatis obtinetur. Cum enim civitas ſocietas ſit (§. 4.), in qualibet autem ſocietate leges præſcribant media, quibus finis ſocietatis obtinetur (§. 49. *part. 7. Jur. nat.*); leges etiam civiles media præſcribere debent, quibus finis civitatis obtinetur. Enimvero commune bonum civitatis conſiſtit in iis, quæ finis civitatis exigit (§. 9. *& ſeqq.*). Quamobrem leges civiles, quæ in civitate feruntur (§. 965.), media præſcribere debent, quibus bonum commune civitatis promovetur.

Hinc clariſſime eluceſcit, quod jam paulo ante annotavimus (*not.* §. 966.), quamvis leges civiles dependeant a voluntate ſuperioris, non tamen perinde eſſe, quasnam leges ferat ſuperior. Quodſi enim ferantur leges, quæ bono communi civitatis adverſantur; nemo rerum intelligens eas approbabit, nec dici poteſt, ſuperiorem poteſtate legislatoria recte uti (§. 813.), ſeu eo, quo fieri debebat, modo. Sicuti omne jus univerſorum in ſingulos, conſequenter ſuperioris (§. 141.), metiendum eſt ex fine civitatis (§. 30.); ita etiam jus condendi leges menſuram ſuam inde accipit, ut ideo ſuperior eodem recte utatur, quamdiu leges præſcribunt media bonum commune civitatis promovendi; minus recte autem, ſi eædem aliter ſeſe habeant.

§. 970.

Digitized by Google

§. 970.

Quoniam leges civiles præſcribere debent media, quibus bonum commune civitatis promovetur (§. 969.), a poſteriori autem conſtat, quæ in una civitate proſunt, non æque prodeſſe in altera, ſeu alia quacunque promiſcue; *leges peregrina recipienda, regrina non ante recipienda, quam demonſtratum fuerit, per ea, quæ præſcribunt, bonum commune hujus etiam civitatis promoveri poſſe.* *De cautione, qua leges recipienda.*

Supponimus, quemadmodum in propoſitione præcedente, ita etiam hic, ea quæ lex præſcribit, non eſſe illicita: neque enim mediis illicitis uti licet ad conſequendum finem bonum, vel licitum (§. 154. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem hic ſaltem attenditur aptitudo legum peregrinarum ad promovendum commune civitatis bonum.

§. 971.

Similiter quia *leges civiles* præſcribere debent media, quibus bonum commune civitatis promovetur (§. 969.); *ſi mutato rerum ſtatu media commune civitatis bonum promovendi eſſe deſinant, abroganda ſunt* (§. 817.). *Quando leges abrogandæ.*

Nimirum quando leges mutato rerum ſtatu deſinunt eſſe media commune civitatis bonum promovendi, tum vel inutiles fiunt, vel prorſus nocuæ. In utroque caſu datur ratio ſufficiens, ut eædem abrogentur. Abſurdum enim eſt habere leges nullius utilitatis, & iniquæ, vel prorſus injuſtæ ſunt leges, quæ bono publico adverſantur. Utræque abuſui poteſtatis legislatoriæ tribuendæ & mali, aut ſaltem imprudentis regiminis indicium præbent. Propoſitionem præſentem illuſtrat hoc exemplum. Qualis olim in Germania erat rerum ſtatus, lex geradam filiabus, heergewettum filiis tribuens eidem conveniebat; aſt cum præſens rerum ſtatus prorſus mutatus ab illo, ea eidem non amplius convenit. Quamobrem in multis

Digitized by Google

locis, in quibus antea recepta erat, dudum recte abrogata, ut ne memoria quidem ejus superfit, & in iis, ubi adhuc in usu est, recte abrogaretur.

§. 972.

Alius casus.

Ex eadem ratione quia *leges civiles* præscribere debent media, quibus bonum commune civitatis promovetur (§. 969.); *si per inscitiam temporum* quædam *latæ fuerint, quæ bono communi promovendo vel adversantur, vel non satis inserviunt, abrogandæ sunt, ubi lux major affulget* (§. 817.).

Absurda antiquitatis veneratio est, si ab iis, quæ a veteribus minus recte constituta sunt, ideo recedere nolimus, quod majores nostri jure isto fuerint usi. Scientiæ ideo excoluntur, ut rectius consulatur felicitati generis humani, nec ignorantia peccetur. Quodsi ergo veteres ex ignorantia invincibili a veritatis tramite recesserunt, quod condonandum ipsis erat (§. 550. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ut nos eosdem sequamur, qui eadem ignorantia non amplius laboramus, excusationem minime habet (§. 549. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 973.

Leges civiles naturalibus contrariæ esse nequeunt.

Superior ferre nequit leges legi naturæ præceptivæ ac prohibitivæ contrarias, seu prohibere nequit, ne faciamus, quæ lege naturæ præcipiuntur, nec præcipere ut faciamus, quæ eadem prohibentur, immo nec dare jus ad illud non faciendum, vel ad hoc faciendum. Leges enim naturæ & obligatio, quæ ab iisdem venit, necessariæ ac immutabiles sunt (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter eas immutare & ab illarum obligatione subditos liberare ac huic contrariam iisdem imponere nequit superior. Quamobrem nec leges ferre potest legi naturæ præceptivæ ac prohibitivæ contrarias, ac ideo præcipere nequit, quæ lege naturæ prohibentur, nec prohibere,

Digitized by Google

bere, quæ eadem præcipiuntur, & per conſequens dare nequit jus ad faciendum, quod lege naturæ prohibetur, aut ad non faciendum, quod eadem præcipitur.

Libertatem legislatoris reſtringit lex naturæ præceptiva ac prohibitiva, cum in præcipiendo & prohibendo, tum in permittendo, nec ſubditum excuſat obedientia ſuperiori debita, nec permiſſio ab eodem facta, ſi quid committit, quod legi naturæ adverſatur, etiamſi conveniat legi civili. Ita homicidii reus eſt in foro conſcientiæ, qui juſſu principis innocentem occidit. Similiter peccat, qui ipſius juſſu a cultu Dei, quem verum eſſe agnoſcit, ad idololatricum deficit, vel etiam ſcortatur, quia lupanaria publica tolerat & meretrices in jisdem tuetur.

§. 974.

Quoniam debita ſunt, quæ lege naturali præcipiuntur, & illicita, quæ eadem lege prohibentur (§. 163. 164. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſuperior autem prohibere nequit, quod lege naturali præcipitur, nec præcipere poteſt, quod lege naturali prohibetur (§. 973.); *ex naturaliter debito facere nequit lege civili illicitum, nec ex illicito facere poteſt debitum.*

Naturaliter debitum lege poſitiva non poſſe fieri illicitum.

Ita interfectio hominis innocentis fieri nequit debita, nec cultus verus Dei fieri poteſt illicitus: illa nimirum naturaliter illicita (§. 743. *part. 1. Jur. nat.* & §. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); hic vero naturaliter debitus (§. 1123. *part. 1. Jur. nat.* & §. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Superiori itaque non competit jus ex illicito faciendi debitum, nec ex debito illicitum. Improbæ ſunt leges, quæ alterutro vitio laborant, immo revera nullæ, cum nullo jure ferantur.

Digitized by Google

§. 975.

Neque illicitum fieri posse licitum.

Similiter quia lege positiva dari nequit jus ad faciendum id, quod lege naturali prohibitum (§. 973.), naturaliter autem illicitum est, quod lege naturali prohibetur, licitum vero in genere id, ad quod agendum jus habemus (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Superior lege positiva ex illicito facere nequit licitum, sed si illicita permittit, tantummodo dat impunitatem agendi* (§. 418. *part. 3. Jur. nat.*).

☞ Ita si lupanaria publica lege tolerantur, & meretrices in eodem defenduntur; scortatio propterea licita non est, sed saltem impune scortatur, qui vult, in lupanariis publicis. Similiter si polygamia lege civili permittitur, non licita efficitur; sed saltem impune uxores plures ducit, qui voluerit.

§. 976.

De effectu legis permissivæ.

Si quid superior lege civili permittit, etiamsi id naturaliter licitum non sit; ceteros omnes obligat, ne agentem vi impediant, quo minus faciat, quod permittit, & agenti dat jus non patiendi ut impediatur. Etenim si superior lege civili quid permittit, omnino vult, ut qui hoc facit ab aliis non vi impediatur, quo minus faciat, consequenter prohibet, ne quis facientem vi impedire audeat, quo minus faciat (§. 985. *part. 1. Theol. nat.* & §. 813. *h.*). Quamobrem cum lex prohibitiva obliget ad non agendum (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*); si quid superior lege civili permittit, etiamsi naturaliter illicitum sit, ceteros omnes obligat, ne agentem vi impediant, quo minus faciat, quod permittitur. *Quod erat unum.*

Enimvero cum ex obligatione unius nascatur jus parti alteri (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*); si quis vi impedire velit, quo minus facias, quod lege civili permissum, tibi omnino

Digitized by Google

no est jus non patiendi, ut alter te impediat. *Quod erat alterum.*

E. gr. Si lege civili permittatur, ut sint certa lupanaria publica; nemo eum, cui habere permissum est, impedire potest, quo minus habeat, nec is pati tenetur, ut quis impedire audeat. Similiter quia in lupanari publico scortatio permissa, nemo scortari volentem vi impedire debet, quo minus ibidem scortetur, nec si quis impedire velit hoc pati tenetur. Non paradoxum videri debet, multo minus Juri naturæ adversum, quod lege positiva humana, qualis est lex omnis civilis (§. 965.), peccanti detur jus non patiendi, ut alter eum vi impediat, quo minus peccet. Etenim vi libertatis naturalis unius cujusque conscientiæ relinquendum, ut faciat, quod velit, quamdiu nil facit, quod est contra jus alterius (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem si lege civili permittitur, quod in se illicitum; superior idem propterea non approbat, sed majoris mali evitandi causa tantummodo tolerat. Ita lupanaria publica tolerare potest, ut declinentur stupra & adulteria, & in stupratores atque adulteros ea de causa severius animadvertere potest, ubi nimiæ salacitati non facile mederi licet. Superior nil committit, nisi ut libertatem naturalem non restringat ultra id, quod fert finis civitatis.

§. 977.

Quomodo ex lege naturali permissiva & officiis humanitatis fiant leges civiles.

Superior ex naturaliter licito lege civili debitum, vel illicitum; ex eo autem, quod imperfecte debetur, perfecte debitum, facere potest, prouti fini civitatis convenit. Etenim quod naturaliter licitum est, ad id agendum tantummodo jus dat lex naturæ, non vero obligat (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter necesse non est, ut faciamus (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), sed libertati nostræ naturali relictum est, ut faciamus, vel non faciamus, prouti ad satisfaciendum obligationi naturali consultius visum fuerit (§. 159. *part. 1. Phil. pract.*

Digitized by Google

pract. univ. & §. 159. *part. 1. Jur. nat.*), & in ſtatu naturali permittendum, ut unusquisque in eo ſtet judicio ſuo, quamdiu nil facit, quod eſt contra jus alterius (§. 156 *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero in civitate ſingulorum libertas reſtringitur quoad eas actiones, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt (§. 47.), conſequenter prouti finis civitatis exigit (§. 9. & *ſeqq.*). Quamobrem cum lege, qua obligatio introducitur (§. 131. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter neceſſitas agendi, vel non agendi imponitur (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), libertas naturalis reſtringatur (§. 149. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 153. *part. 1. Jur. nat.*), lege civili ex naturaliter licito fieri poteſt debitum, vel illicitum, prouti fini civitatis convenit. *Quod erat unum.*

Ad officia humanitatis alteri tantummodo imperfecte obligamur (§. 659. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter unicuique equidem competit jus ea petendi (§. 903. *part. 1. Jur. nat.*), non vero alterum cogendi, vel vi adigendi ut faciat (§. 238. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter quæ per ea nobis debentur, nonniſi imperfecte debentur (§. 401. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum obligatio perfecta ad officia humanitatis repugnet libertati naturali (§. 660. *part. 1 Jur. nat.*), ea autem in civitate reſtringi poſſit, quantum exigit finis civitatis *per demonſtrata;* lege utique civili ex eo, quod imperfecte debetur naturaliter, perfecte debitum effici poteſt, ſi finis civitatis exigat. *Quod erat alterum.*

Quando ſuperior lege civili ex naturaliter licito facit debitum, vel illicitum, aut ex eo, quod imperfecte debetur, perfecte debitum; in eo nihil committit, niſi quod finguli per pacta quotidie faciunt, per quæ naturaliter licita fiunt debita, vel illicita, & quod imperfecte debebatur, in perfecte debitum convertitur, ut, quod antea erat voluntatis, vi pacti fit neceſſitatis.

Digitized by Google

neceſſitatis. Atque in eo pacta legibus aſſimilantur. Ea vis pactorum, qua licita in debitum, vel illicitum, & imperfecte debita in perfecte debita convertuntur, a libertate naturali venit, vi cujus unusquisque eſt actionum ſuarum arbiter (§. 156. 157. *part. 1. Jur. nat.*). Hæc ipſa autem libertas in civitate ſubjecta eſt juri ſuperioris, quatenus finis civitatis id exigit (§. 9. *& ſeqq.*). Quamobrem quod ſinguli facere poſſunt per pacta, idem ſuperior lege efficere poteſt. Quodſi ergo penitius rem conſideres, vis legis civilis, qua naturaliter licitum in debitum, vel illicitum, aut imperfecte debitum in perfecte debitum convertitur, a libertate hominum naturali venit, quam pacto originario ſinguli in civitatem coëuntes in ſuperiorem alienaſſe videntur, ut vi ejusdem jam facere poſſit, quod facere ipſi poterant. Atque inde eſt, quod in eo quoque ſtandum ſit judicio ſuperioris, quemadmodum ſtandum erat judicio ſingulorum, ſi libertatem naturalem integram ſibi retinuiſſent, nec univerſis ſeu ſuperiori ſeſe ſubjeciſſent (§. 156. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.*). Jura, quæ hominibus natura tribuit, per civitatem non extincta ſunt, ſed ſaltem exercentur per alios, quatenus hoc velle debuerunt, qui in civitatem coiverunt. Quando autem civitates conſtitutæ, ſinguli in ſuperiorem jus nullum transferre potuerunt, niſi quod natura ipſis tribuerat. Atque ideo patet, ex quo tandem fonte deducantur jura ſuperioris, & quod ſtatus civilis intime perſpici non poſſit, niſi ante intime perſpiciatur ſtatus naturalis, qui determinatur per jura mere naturalia (§. 124. *part. 1. Jur. nat.*). Quæ hic annotamus, probe expendi merentur, ita enim demum intelligetur, quod dixit *Cicero*, penitus ex intima philoſophia Juris Scientiam hauriendam eſſe. Sed demus exempla, quibus propoſitio præſens illuſtratur. Naturaliter capere & occidere licet fera animalia, quæ damnum dant frugibus & pecoribus, veluti paſſeres, lupos, vulpes. Superior præcipere poteſt ruſticis, ut capiant & occidant, ut jam facere teneantur quod facere poterant, utrum vero facere vellent, nec ne, ipſis permittendum erat. Lege lata licitum efficitur debitum & quod erat voluntatis fit

necessitatis. Naturaliter rem, qua indiges, emere potes, a quo volueris; sed superior præcipere potest, ut ab hoc emas, non alio, atque ita ex licito certo respectu efficitur tam debitum, quam illicitum. Similiter naturaliter tibi licet frumentum tuum non vendere, si ita visum fuerit. Sed superior præcipere potest, ut qui frumento abundant idem vendant. Atque ita venditio fit debita, quæ vi dominii tantummodo erat licita. Naturaliter licitum est, ut agrum in piscinam immutes, vi nempe dominii. Sed superior prohibere potest, ne facias, atque ita quod erat licitum fit illicitum. Denique officium humanitatis est, seu imperfecte debitum, ut in restinguendo incendio, a quo periculum nullum tibi imminet, opem feras ei, cujus ædes ardent. Superior vero certis personis præcipere potest, ut, quamprimum oritur, statim accurrant. Tum imperfecte debitum fit perfecte debitum, ita ut puniri possit, qui non facit.

§. 978.

De iis, quæ non uno modo fieri possunt.

Quoniam *superior* ex naturaliter licito lege civili debitum efficere potest (§. 977.); *si quid pluribus modis fieri potest, ut hoc vel illo modo fieri debeat, præcipere potest*, consequenter *actus civiliter validus non est, nisi lege præscripto modo fiat.*

E. gr. naturaliter servus manumittitur, si dominus quomodocunque declaret, se nolle, ut servus sibi amplius obligatus sit ad præstandas operas pro alimentis (§. 1121. *part. 7. Jur. nat.*). Enimvero dominus voluntatem suam pluribus modis declarare potest. Lege igitur civili determinari potest, quomodo ea declarari, consequenter manumissio fieri debeat. Quamobrem jam alias annotavimus, mere civilia esse, quæ de diversis manumittendi modis traduntur in Jure Romano (*not. §. cit.*). Similiter naturaliter perficitur matrimonium mutuo maris ac fœminæ consensu sufficienter declarato (§. 367. *part. 7. Jur. nat.*). Ut consensus iste sufficienter declaretur, non uno modo

Digitized by Google

do fieri potest. Lege igitur civili determinari potest modus, quo consensus declarari debet, ut matrimonium censeatur perfectum, veluti apud nos, ut publice declaretur in Ecclesia coram sacerdote, seu Ecclesiæ ministro, præsentibus testibus, & copula sacerdotali confirmetur.

§. 979.

Si legibus naturæ prohibitivis adduntur poenæ; ex naturali efficitur civilis. Quodsi enim legi naturæ prohibitivæ adjiciatur poena, sanctio poenalis ad eam accedit (§. 289. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum sanctione poenali introducatur obligatio positiva (§. 291. *part. 1. Phil. univ.*); ad obligationem naturalem positiva accedit. Quoniam itaque lex positiva humana, in casu præsenti civilis (§. 965.), est, cujus obligatio dependet a voluntate hominis (§. 9. *part. 1. Phil. pract. univ.*), in casu præsenti nimirum a voluntate superioris; si legibus naturæ prohibitivis adduntur poenæ, ex naturali efficitur civilis.

Quomodo leges prohibitivæ naturales vertuntur in civiles.

E. gr. Homicidium voluntarium, quod scilicet intentione sive directa, sive indirecta committitur (§. 1023. *part. 1. Jur. nat.*), lege naturali prohibitum (§. 1024. *part. 1. Jur. nat.*). Quodsi ergo, ficuti apud nos obtinet, in homicidam voluntarium, sive dolosum, lege statuatur poena gladii, lex naturæ, quæ poenam non determinat, in civilem abit. Idem intelligitur de legibus poenalibus quibuscunque aliis, quæ feruntur de eo, quod naturaliter illicitum. Quamvis enim naturaliter quoque cuilibet homini competat jus puniendi eum, qui ipsum læsit (§. 1061. *part. 4. Jur. nat.*): jus tamen hoc quatenus nimirum a privato in privatum exercendum, infinitum est (§. 1063. *part. 1. Jur. nat.*), ac per consequens eidem in genere non præscribi possunt limites, sed iidem præfiguntur ex circumstantiis præsentibus (§. 977. *part. 1. Jur. nat.*). Et quamvis juris naturalis sit, ut legibus addantur poenæ (§. 585.); eædem tamen determinatæ eodem jure non sunt, quip-

Digitized by Google

pe quo tales ac tantæ poenæ addi jubentur, quæ ad cohibendam legum transgressionem, quantum datur, sufficiunt (§. *cit.*). Poenæ igitur certæ lege naturali determinatæ non sunt, sed earum determinatio mere civilis est, seu juris positivi. Accedit, dari actus vitiosos, quos in statu naturali nemo punire potest, in civitate tamen punire potest superior (§. 653.). Quatenus itaque in committentes poenam decernit; legem prohibitivam naturalem in civilem vertit.

§. 980.

Quando lex præceptiva naturalis fiat civilis.

Si legi naturali præceptivæ accedit voluntate superioris auxilium in foro, ut scilicet judex ad præstandum id, quod per eam præstari debet, vi compellat præstare nolentem; lex naturalis abit in civilem. Etenim si a superiore cautum sit, ut judex præstare nolentem alteri, quod vi legis præceptivæ naturalis præstare debet, vi compellat ad præstandum; id ipsum motivum est, ut quis potius sponte præstet, quod debet, quam ut vi compellatur (§. 887. *Psych. empir.*). Quoniam itaque superior obligationem introducit, quando motivum cum actione conjungit (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), lex autem civilis est, quando obligatio venit a voluntate superioris (§. 149. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 965. *h.*); si legi naturali præceptivæ accedit voluntate superioris auxilium in foro, lex naturalis in civilem abit.

E. gr. Juris naturalis est, ut pacta servemus (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter ut solvamus, quod ex pacto alteri debemus (§. 659. *part. 5.* & §. 430. *part. 3. Jur. nat.*). Quatenus vero judex vi adigere potest solvere nolentem ad solvendum, jus naturale abit in civile. Nimirum executione rei judicatæ non minus introducitur obligatio civilis, quam poenis. Hinc leges omnes, secundum quas judex sententiam ferre tenetur de eo, quod debetur, etiamsi a naturalibus non differant, eatenus tamen civiles existimantur, quatenus executionem

tionem civilem adjunctam habent. Quamobrem mirum non est tam multas leges Juris Romani, quæ agunt de jure privatorum, prorsus convenire cum Jure naturali, a quo recedendum non est absque sufficiente ratione.

§. 981.

Quoniam lex naturalis præceptiva abit in civilem, si auxilium in foro eidem accedit (§. 980.), hoc autem contingit, si actus naturaliter non validus a superiore irritus declaratur, vel rescindi a judice jubetur; *si lege a superiore lata actus naturaliter non validus efficitur irritus, vel rescindi jubetur, ex lege naturali efficitur civilis.*

De actibus, quos lex irritos efficit, vel rescindi jubet.

E. gr. Promissio errantis (§. 569. *part. 3. Jur. nat.*), vel vi & metu extorta valida non est (§. 576. *part. 3. Jur. nat.*). Quodsi ergo superior lege pacta errantis, vel vi & metu extorta irrita declarat, vel rescindi jubet; ex lege naturali efficitur civilis. Similiter jure naturali donationes & contractus minorum validi non sunt sine parentum consensu, aut ratihabitione (§. 770. *part. 7. Jur. nat.*), nec pupillorum, vel curandorum contractus validi sunt sine consensu tutoris, vel curatoris, si vergant in illorum detrimentum (§. 897. *part. 3. Jur. nat.*). Quando igitur superior illos rescindi jubet; lex naturalis in civilem abit.

§. 982.

De determinatione modi, quo obligationi naturali satisfit.

Si superior determinat modum, quo obligationi naturali satisfieri potest, aut ab eo præcavetur, ne eidem adversa committantur; ex lege naturali, unde obligatio ista venit, civilem efficit. Quoniam enim in Rep. opera danda est, ut, qui ad legem naturæ servandam proni sunt, juventur, nec ab aliis impediantur, ceteri autem vi adigantur, ut minimum actus externos ad legem naturæ componant (§. 395.); superioris

Digitized by Google

omnino est determinare modum, quo obligationi naturali satisfieri potest, vel etiam præcavetur, ne eidem adversa committantur. Quodsi ergo hanc determinationem adjicit legi naturali, unde obligatio ista venit, legem civilem efficit ex naturali

E. gr. parentes naturaliter obligantur ad omnem diligentiam adhibendam, ut liberi rerum cognitu sibi possibilium cognitionem acquirant (§. 648. *part. 7. Jur. nat.*) & tempestive ad rationis usum perducantur (§. 651. *part. 7. Jur. nat.*), virtutesque omnes tam intellectuales, quam morales consequantur (§. 655. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem cum ea fini instituantur scholæ (§. 433.), & in iis constituantur præceptores, qui ea, quæ docere debent, probe callent, dono docendi instructi sunt, omnem in institutione diligentiam adhibent, ac moribus sese discentibus commendant (§. 436.); eo ipso modus, quo parentes officio suo satisfacere possunt, determinatur, &, dum parentes liberos suos in scholas mittere jubentur, modus hic satisfaciendi legi naturali, unde obligatio patentum venit, superadditur, ac ita ex lege naturali efficitur civilis. Similiter fraus omnis lege naturali prohibita (§. 148. *part. 5. Jur. nat.*) & ab omni pacto, seu contractu abesse debet (§. 149. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem si superior determinat modum, quo v. gr. in contractu emtionis venditionis præcavetur, ne fraus committatur, veluti ne merces improbæ vendantur pro probis, aut etiam probæ pretio iniquo; modus hic legi naturali superadditus ex ea efficit civilem.

§. 983.

De exitu negotiorum & litium in civitate.

Omnia negotia in civitate & omnes lites in foro exitum habere debent, & curandum, ut habere possint. Etenim omne negotium, quod suscipitur, exitum habere debet, & ut habere possit curandum (§. 70. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem etiam negotia omnia in civitate & per consequens lites

Digitized by Google

lites omnes in foro exitum habere debent, & ut habere possint curandum.

De litibus in foro idem specialius ostenditur hoc modo. In civitate constituendi sunt judices (§. 539. *f*), ut causas in judicium deductas cognoscant, a cujusnam parte stet jus pronuncient, & victo injungant, ut præstet, quod debet, si vero sponte præstare nolit, ad præstandum eundem vi adigant (§. 540.). Quamobrem cum lis finiatur, & exitum habeat negotium litigantium, si sententia judicis vel sponte stetur, vel ea executioni detur (§. 543. 555.); lites in foro exitum habere debent, ac per consequens curandum, ut habere possint.

Litigatur in foro, ut pars una litigantium jus suum consequatur ab altera, quod ab eadem ipsi denegatur, vel in controversiam adducitur. Quando igitur lite sententia judicis decisa jus suum consequitur is, cui debetur; negotium litigantium in foro, aut, si mavis, lis in foro mota exitum habet. Superiori itaque incumbit ea constituere, ut habere possit. Similiter exitus studiorum in Academia est, ut iis scientiis imbuatur animus studiosorum, quibus in eo vitæ genere cui se destinarunt, opus habent. Superior itaque curare debet, ut studiosi finem hunc, cujus causa in Academiam proficiscuntur, consequi possint.

§. 984.

Quoniam curandum est, ut lites in foro exitum habeant (§. 983.), consequenter ut jus suum consequatur is, cui debetur (§. 69. *part. 7. Jur. nat.*), ac ideo omnis controversia inter litigantes terminetur; *cavendum* quoque *est, ne ex litibus nascantur lites.* *Quod cavendum, ne ex litibus nascantur lites.*

Successerunt judicia in locum belli privati in civitate (§. 561.),

561.), cujus evitandi gratia in civitatem coiverunt homines. Maxime igitur convenit fini Reip. præcavere, ne lites ex litibus naſcantur, ſed controverſiæ ita decidantur, ut litis materia præſcindatur, nec illarum decidendarum cauſa lites novæ oriantur, prouti in bello ex cauſis ſubnaſcentibus novæ reſultant injuriæ belli juſti cauſæ.

§. 985.

De litibus in foro non protrahendis.

Superior curæ habere debet, ne lites in foro protrahantur. Etenim judices in civitate conſtituuntur (§. 539.), ut cauſa cognita illorum ſententia condemnatus victori præſtet, quod debet (§ 540. 545.), conſequenter juris ſui conſequendi cauſa in foro litigatur. Quamobrem cum is, qui rem alterius in poteſtate habet, naturaliter obligetur omnem dare operam, ut in poteſtatem ipſius veniat (§. 466. *part. 2. Jur. nat.*), & debitor præciſe eo die ſolvere teneatur, quo debet (§. 665. *part. 5. Jur. nat.*), conſequenter ſine ulla mora (§. 638. *part. 3. Jur. nat.*), ſuperior autem operam dare debeat, ut minimum actus externi civium ad legem naturæ componantur (§. 395.); idem omnino curæ habere debet, ut quilibet in foro jus ſuum quantocyus conſequatur, conſequenter ne lites in foro protrahantur.

Quando in foro litigatur, in ſe certum eſt, cuinam parti res litigioſa debeatur, & naturaliter pars altera obligata eſt ſine mora eam præſtare alteri. Jus igitur partis illius, cui res debetur, violatur, ſi jure ſuo diutius carere debeat, quam neceſſe erat. Et ea de cauſa quantocyus lis decidenda, & quæ eam protrahere poſſunt, ſollicite tollenda. Ita enim demum floret juſtitia in Rep. quemadmodum ſuperiori curæ eſſe debet (§. 536.). Ceterum in Jure naturæ tantummodo expendunt rationes litium in foro non protrahendarum, quæ a jure petuntur: rationes enim alias ab utilitate tam ſingulorum, quam univerſæ civitatis deſumendas prudentia civilis ſuggerit. Quæ vero

Digitized by Google

vero de litibus non protrahendis & de cura ſuperioris, ut lites in foro exitum habere poſſint, & ne lites ex litibus naſcantur, demonſtravimus, principia ſunt in faciendo jure civili ex naturali attendenda, eaque de cauſa locum ſibi hic vindicant.

§. 986.

Si determinationes legi naturæ adjectæ fuerint probatu difficiles, vel prorſus impoſſibiles; ex lege naturali fit civilis, ſi in earum locum ſubſtituantur aliæ probatu faciles, quæ probabiliter, ſeu ut plurimum iisdem æquipollent. Etenim cum judex pronunciare debeat, a cujusnam parte litigantium jus ſtet (§. 540.); leges ad factum ſufficienter cognitum applicare tenetur. Quoniam vero hoc fieri nequit, niſi determinationes ſingulæ, quas lex continet, fuerint ſufficienter probatæ, ut conſtet, quænam lex ad factum præſens ſit applicanda; ſi illæ probatu ſunt impoſſibiles, is exitum in foro habere nequit, ſi vero probatu fuerint difficiles, ea nimium protrahitur & ex lite initio mota naſcuntur lites aliæ. Quamobrem cum ſuperior curæ habere debeat, ut lites in foro exitum habeant (§. 983.), & cavere, ne lites ex litibus naſcantur (§. 984.) & ne protrahantur (§. 985.), ubi autem certitudo omnimoda haberi nequit, in probabilibus ſit acquieſcendum, ut negotium habere exitum poſſit; ſi determinationes legi naturæ adjectæ fuerint probatu difficiles, vel prorſus impoſſibiles, in locum earum ſurrogandæ ſunt determinationes alias probatu faciles, quæ probabiliter, ſeu utplurimum iſtis æquipollent.

De mutationibus legum naturalium contentarum in civili.

Exemplo quod hic demonſtratur ſtatim fit manifeſtum. Naturaliter minorennis eſt is, cui per ætatem nondum eſt adeo perfectum judicium, ut negotia ſua per ſe rite curare norit (§. 768. *part. 7. Jur. nat.*). Quodſi in foro probanda minorennitas, facile patet, probationem fore ſi non prorſus

impossibilem, saltem admodum difficilem, & ex lite ab initio mota nascituram litem de minorennitate vix ac ne vix quidem terminandam, nisi in probabilibus acquiescatur. Romani igitur recte ex lege naturali effecerunt civilem, dum minorennitatem restrinxerunt ad annum ætatis vigesimum quintum, & similiter in Saxonia eadem restricta est ad annum vigesimum primum. Annum enim ætatis facilius ac certo probari posse, nemo ignorat, ut ideo verendum non sit, ne de ea lis nova oriatur, ac probabile est interea temporis, donec quis annum ætatis vigesimum quintum, vel etiam vigesimum primum attingat, eum judicium suum adeo perficere potuisse, ut negotia sua per se curare norit, nec ignoret, in re dubia consilium peritorum esse requirendum, ac per consequens culpa sua peccet, si minus recte gerat, & ideo id sibi imputare debeat, quod non cautius mercari didicerit. Experientia nimirum, optima rerum magistra, docet, quanam sint ætate, qui negotia sua per se rite curare incipiunt, siquidem diligentiam suam in acquirenda ista aptitudine desiderari minime passi fuerint. Facile autem patet, in determinando termino minorennitatis leges civiles differre posse. Nec minus liquet non invito Jure naturæ veniam ætatis impertiri posse a superiore.

§. 987.

De lasionibus exiguis non curandis.

Ob minimam quamcunque aut exiguam lasionem litibus in foro locus concedi nequit. Ponamus enim ob minimam quamque læsionem aut exiguam litibus in foro locum esse concedendum. Quoniam cupido lucri hominibus facile persuadet, ut in pactionibus se invicem circumveniant, & invidia ac mutua odia, atque vindictæ cupido eos ad nocendum aliis abripiat, præterea quoque non adeo sollicite, quemadmodum fieri debebat, culpa in agendo vitatur, qua alteri damnum, vel nocumentum quoddam affertur; ideo singulis fere momentis contingit, ut unus alterum circumveniat, aut

Digitized by Google

aut alio quodam modo lædat. Tot igitur in foro moverentur lites, quibus decidendis judices non sufficerent; cumque fieri non possit, ut sine omni sumtu litigetur in foro, sumtus plurimum excederent id, quod finita lite consequeretur victor, si ob exiguam quandam læsionem lis mota fuisset. Accedit, quod litibus istiusmodi foverentur odia civium mutua, quæ novis injuriis locum facerent; &, quantum datur, eradicanda sunt & avertenda (§. 624. *part. 1. Jur. nat.* & §. 395.). Ergo igitur civitatis non est, ut ob minimam quamque, aut exiguam læsionem litibus in foro locus concedatur, consequenter nec concedi potest (§. 809.).

Non habent ideo cives, de quo conquerantur, si non ob minimam quamque læsionem auxilium ipsis præstatur in foro. Etenim si in statu naturali jus belli privati privatus per se exercere debet, sive ad consequendum suum, aut quod sibi debetur, sive ut injuriam sibi illatam vindicet; ob læsiones non magni momenti a bello abstinere jubet prudentia, vel charitas: immo haud raro injuriæ maximæ tolerandæ, damna haud levia devoranda, si viribus impar fueris lædenti. Recte igitur, quod vulgo dicitur, in statu quoque civili minima non curat prætor, nec id durum videtur, modo singula rite pensitaveris. Accedit, quod nec læsus ab omni semper culpa vacet, ut ideo iniquum non sit, si poenam quandam det culpæ suæ, & posthac cautius mercari discat.

§. 988.

Quoniam ob nimiam quamcunque aut exiguam læsionem litibus in foro locus concedi nequit (§. 887.), consequenter superior determinare tenetur, ob quamnam læsionem auxilium in foro judex denegare non debeat, & quænam in negotiis quotidianis culpa præstanda sit; *ex lege naturali efficitur civilis, si determinentur læsiones, ob quas auxilium* *De quantitate læsionis & gradu culpæ præstanda lege civili determinandis.*

auxilium datur, vel denegatur in foro, & culpa, quæ pro diversitate negotiorum præstanda.

Jus naturæ nullam fert læsionem, nec in prohibendo inter enormem & enormi minorem, aut levem distinguit. Damnum omne sive dolo, sive culpa datum resarcire jubet, nec attenditur in resarciendo ejus quantitas (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*). Similiter culpam quamvis simpliciter prohibet (§. 299. *part. 1. Jur. nat.*), nec inter latam, levem, leviſſimam distinguit, quod inventum Juris civilis esse alibi dudum monuimus (*not.* §. 756. 759. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ac ideo quoque quamlibet culpam præstari jubet. Rigor autem Juris naturalis in statu civili observari nequit (§. 987.), præsertim cum in læsionibus minimis & culpa quoque probandis haud raro non exiguæ sese offerant difficultates, atque non desint rationes, ob quas culpa subinde condonanda. Rationes igitur prægnantes sunt, cur superior rigorem legum naturalium temperet, ac ita ex legibus naturalibus efficiat civiles. Exempla multa occurrunt in Jure Romano. Etenim illo jure non datur auxilium in foro nisi ob læsionem ultra dimidium, non quod læsiones infra dimidium approbentur, sed quod tolerentur, & quod leges velint, ut homines in contrahendo sint circumspecti, nec imprudentes. Similiter eodem Jure definitur, quænam culpa in hoc, vel isto negotio sit præstanda, non quod culpas non præstandas approbet aut perfecte permittat, sed quod eas condonandas esse judicet, cum leges civiles ferantur secundum infirmitatem humanam, quæ facilem habet ob rationes particulares in negotiis particularibus obvias excusationem. Et in alio negotio majorem diligentiam requirit, in alio minori indulget, prouti negotio insunt motiva majorem diligentiam adhibendi, vel rationes, ob quas minor diligentia adhibita excusatur, vel etiam parti alteri quodammodo imputari potest. Singula hæc exemplis illustrari poterant, nisi sua sponte sese offerrent iis, qui in Jure civili versati sunt, ac brevitati studendum esset. Hoc ipsum vero principium foecundum

Digitized by Google

dum est legum civilium ex naturalibus efficiendarum. Unum adhuc notandum, quod silentio præteriri nefas, non aliam scilicet esse rationem, quam quæ ex propositione præcedente petenda, quod Romani distinxerint inter contractus & pacta nuda, quæ differentia jure nostro, hoc est, naturali nulla est (§. 794. *part. 3. Jur. nat.*). Quando enim Jure Romano nonnisi contractus producunt obligationem perfectam & parti alteri pariunt jus perfectum; id omnino inde est, quod nonnisi contractibus nominatis, quos vocarunt, lege civili tribuatur actio in foro, sicuti probandæ perfectæ promissionis causa introducta erat stipulatio.

§. 989.

Si legum civilium una concordia esse debet, admittenda etiam sunt juri naturali non in totum consona, quæ ex aliis legibus civilibus necessario consequuntur. Ponamus enim non admittendum esse, quod ex lege aliqua necessario consequitur, admittendum tunc utique erit, quod eidem contrariatur, ac per consequens lex hæc repugnabit legi alteri, ex qua ipsius contrarium necessario sequitur. Non igitur datur una legum civilium concordia: quod est contra hypothesin.

De legibus civilibus concordiæ causa faciendis.

Si legum una concordia, una consonantia esse debet, necesse est ut legum aliarum ratio ex aliis reddi possit. Id autem fieri nequit, si pro lege accipiendum, non quod ex alia lege necessario consequitur, sed quod eidem contrariatur. Exempli loco esse potest, quod Jure Romano pacta adjecta contractui non habeant vim obligandi, nisi in continenti adjiciantur l. 5. §. 7. ff. de pactis. Cum enim isto Jure pacta nuda non obligent per se, necesse est ut obligationem participent ab actu aliquo obligatorio, cui insunt. Jam cum contractus obligationem civiliter perfectam producant, eidem vero insint pacta, quæ in continenti, hoc est, quando contrahitur, adjiciuntur, cum a voluntate contrahentium dependeat, quomodo contrahere velint, non vero quæ contractui

Digitized by Google

antea jam perfecto ex intervallo adjiciuntur, quippe quæ nova & peculiaris quædam pactio est a contractu antea celebrato diversa; ex legibus Romanorum, juxta quas non datur actio ex pacto nudo, sed saltem ex contractu, omnino sequitur, pacta adjecta contractui non habere posse vim obligandi, nisi statim adjiciantur. Sane si jure Romano pacta ex intervallo, seu tempore quocunque adjecta contractui vim obligandi habere deberent; id repugnaret legi, qua pactis nudis detrahitur validitas, & manifestam argueret antinomiam, sublata legum consonantia. Non igitur inanibus subtilitatibus in jure Romano accensendum, quod pacta contractui in continenti adjici debeant, ut vim obligandi habeant. Qui pactis nudis vim obligandi detrahit, pactis tamen ex intervallo adjectis contractui eandem tribuit, is utique sibimetipsi contradicit, quatenus affirmat, pacta nuda non obligare & eadem quoque obligare.

§. 990.

Quænam illorum sit ratio.

Quoniam admittenda etiam sunt juri naturali non in totum consona, quæ ex aliis legibus civilibus necessario consequuntur, si legum concordia una esse debet (§. 989.); *rationes, quæ sufficiunt, ut a rigore legum naturalium recedatur, dum ex iis fiunt leges civiles, sufficiunt etiam, ut admittantur juri naturali non in totum consona, quæ ex aliis legibus civilibus juri naturæ non in totum consonis necessario consequuntur.*

Nimirum leges, quæ fiunt per consequentiam, rationem suam habent in ea lege, ex qua necessario sequuntur. Ratio igitur legis, ex qua alia per consequentiam descendit, est ratio rationis hujus, consequenter ejusdem ratio remota. Sane omne jus naturæ rationem sufficientem habere dicimus in ipsa natura humana, etsi deducantur longa haud raro ambagum serie ex ea lege, quæ rationem proximam & immediatam in natura humana habet, nec illarum ratio immediate ex natura humana reddi possit. Ita ratio, propter quam pactis nudis denegarunt

Digitized by Google

negarunt actionem in foro Romani, ea ipsa etiam est, ob quam pactis in continenti non adjectis eandem subtraxerunt, etsi cum immediata non sit, nec proxima, sed remota, accesserit haec altera, ne lex una alteri repugnaret, quia pacta nuda non obligant.

§. 991.

Ratio eorum, quae legi naturali vel addenda, vel subtrahenda, ut ex ea efficiatur civilis, vel a statu civitatis in genere, vel hujus, in qua civilis fertur, in specie desumenda. Leges enim civiles praescribere debent media, quibus commune bonum, bonis civitatis (§. 9. *& seqq.*), obtinetur (§. 967.). Necesse igitur est, ut rationes earundem desumantur a statu civitatis, unde dijudicandum, num hoc, vel isto modo finis civitatis obtineri possit (§. 937. *Ontol.*). Quamobrem cum status civitatis omnis non prorsus idem sit, nec idem omni tempore ejusdem civitatis status, eadem quoque media non in omni civitate, nec omni tempore in eadem civitate apta sunt ad finem civitatis obtinendum. Quoniam itaque leges civiles contrariari nequeunt legibus naturae, nec dare jus ad illicitum faciendum, aut debitum non faciendum (§. 913.), sed saltem ex naturaliter licito facere illicitum, vel debitum, aut etiam ex eo, quod imperfecte debetur, perfecte debitum (§. 977.), vel si quid non invito jure naturae pluribus modis fieri potest, determinare modum, quo fieri debet (§. 978.); ratio eorum, quae legi naturali vel addenda, vel subtrahenda, ut ex ea efficiatur civilis, vel a statu civitatis in genere, vel hujus, in qua civilis fertur, in specie desumenda.

Unde desumenda sit ratio addendorum, vel subtrahendorum, ut ex lege naturali efficiatur civilis

Patet hinc, quomodo leges civiles sint condendae. Nimirum primo quaeritur, quid de eo, de quo lex ferri debet, definiat

finiat lex naturæ. Hoc ubi patet, porro quæritur, quid ſit addendum, vel ſubtrahendum, ut ex lege naturali efficiatur civilis. Quoniam in Rep. lex ſuprema eſt ſalus Reip. (§. 86.); quid ea addi, vel ſubtrahi jubet disquirendum. Tum vero animus advertendus eſt ad ſtatum Reip. qui primo in genere ſpectatur, deinde quoque in ſpecie, aut potius in ſingulari. Ac ita demum patebit, utrum lex recte efficiatur, nec ne, ita ut omnem effugiat reprehenſionem. Cum ipſa lege naturali ad recte agendum obligemur (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*). quin etiam ad recte condendum leges civiles, conſequenter ad obſervanda ea, quæ diximus, obligetur ſuperior, ſi poteſtate legislatoria recte uti voluerit, dubitandum non eſt. Si quis Jus Romanum diligentiſſime rimatus fuerit, is intelliget, quomodo legum Romanarum conditores ea obſervaverint, quæ hic dicuntur, quinam ſit illarum cum Jure naturæ conſenſus, vel diſſenſus, & quænam leges conveniant cuilibet civitati, quænam vero ſint Romanorum propriæ. Cum vero ad intimiorem Juris Romani, immo omnis Juris poſitivi, ſcientiam penetrare non detur, niſi præſcripto modo in leges ſingulas earumque rationes inquiras, non e re eſſe videtur, ut unum alterumque exemplum in medium proferamus. Jure naturali liber eſt, qui facere poteſt, quod ſalva obligatione ſua, naturali ſcilicet, facere libet (§. 138. *part. 1. Jur. nat.*), cum libertas non tollat obligationem naturalem. Spectatur autem hic libertas tanquam jus homini natura competens (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*), quippe qui in ſtatu originario alterius cujusdam poteſtati ſubjectus non eſt (§. 143. *part. 1. Jur. nat.*). Libertas hæc naturalis in civitate reſtringitur quoad eas actiones, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt (§. 47.), & legibus civilibus determinantur (§. 969.), ut jam facere non liceat, quod naturaliter licebat, & faciendum ſit, de quo naturaliter pro lubitu ſtatuere poteras (§. 977.). Ad obligationem itaque naturalem, quæ libertatem in agendo impedit, accedit civilis in ſtatu civili, & ita addendo ex jure naturali fit jus civile, ut ideo libertas fiat jus faciendi quod libet, niſi quatenus

Digitized by Google

tenus lege naturali ac civili impediris. Quemadmodum vero in ſtatu naturali vi libertatis naturalis unicuique permittendum eſt, ut faciat, quod ipſi viſum fuerit, modo nil faciat, quod eſt contra jus tuum (§. 156. 157. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque ferendum, ut libertatem in licentiam vertat (§. 150. *part. 1. Jur. nat*); ita quoque in civitate, in qua nihil mutatur quoad eas actiones, quæ legi civili determinatæ non ſunt, ſed quilibet liber manet, quemadmodum erat in ſtatu naturali (§. 47.), permittendum eſt, ut quis faciat quod lubet, quando lege civili non impeditur, etiamſi libertatem in licentiam vertat. Quodſi ergo merum Jus civile ſpectes, in civitate liber eſt, qui poteſt facere quod libet, niſi ſi quid lege civili prohibetur: lex enim præceptiva continet prohibitivam contrarii (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*), nimirum ſi hoc facere debet idem non facere minime licet. Ratio, quæ in Jure civili mutationem affert naturali quoad libertatem, a ſtatu civili in genere deſumitur, eaque de cauſa Jus civile quoad eandem omni civitati convenit. In Jure Romano *Florentinus* l. 4. ff. de ſtatu hom. libertatem definit per facultatem naturalem ejus, quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi, aut jure prohibetur. Hæc definitio non differt ab iis, quæ modo dicta ſunt, niſi quod addatur, ſi quid vi prohibetur. Enimvero ſi libertas ſpectetur ut jus, quemadmodum ſpectanda eſt, vis non habenda ratio eſt, cum vi ſaltem impediatur actus, ac per conſequens exercitium juris, jus autem ſalvum maneat. Et quando *Florentinus* generis loco ponit facultatem naturalem, non moralem, quæ jus eſt (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*); libertatem voluntatis cum jure homini natura competente & in civitate fini ejusdem convenienter reſtricto confudiſſe videtur: id quod tamen minime reprehendendum, quatenus obligatio civilis, quæ a lege civili venit, non tollit licentiam, in quam libertas naturalis tanquam jus ſpectatum abuſu vertitur. Ita ſcilicet libertas definitur, qualis obtinet in ſtatu civili, non qualis vi Juris naturæ eſſe debebat, ut ea ſimul includat licentiam in civitate tolerandam, quemadmodum toleranda quoque eſt in ſtatu na-

Digitized by Google

turali. Sed demus etiam exemplum legis civilis, cujus ratio desumta est a statu Reip. Romanæ. Naturaliter testamentum validum est, si constet de voluntate defuncti expresse declarata (§. 994. *part. 7. Jur. nat.*): quod ubi per testes probari debet, naturaliter sufficit, ut voluntatem suam declaraverit coram duobus testibus, vel tot, quot libuerit. Lege civili numerus testium determinari potest, prouti visum fuerit superiori (§. 978.). Enimvero quod Jure Romano testes septem requirantur, rationem in statu civili Romanorum habet. Etenim olim Romæ testamenta in pace fiebant in comitiis calatis coram populo, quod existimarent non posse quem a lege de hæredibus ab intestato recedere, nisi nova lege in comitiis lata, quam ferre non poterat nisi totus populus in Rep. libera, seu statu populari. Hinc voluntatem suam declarans rogabat Quirites, ut eam ratam servarent. Enimvero cum in comitiis tantum bis in anno condi posset testamentum, modus alius testandi introductus, qui omni tempore fieri poterat, legi duodecim tabularum admodum convenienter, quæ facultatem testandi unicuique patrifamilias concedebat, nimirum modus testandi per æs & libram, seu imaginariam venditionem hæreditatis. Qui hæreditatem emebat, dicebatur familæ emtor, qui erat hæres & uno nummo hæreditatem emebat hisce solennibus verbis: Hanc ego familiam, quæ mihi emta est hoc ære, æneaque libra, jure Quiritum meam esse ajo, & ære libram percutiens id æs testatori tanquam venditori dabat. Præter familiæ emtorem itaque ac libripendem aderant quinque testes, qui quinque ordines populi Romani repræsentabant, in quos is erat divisus. Notandum nimirum veteres usos fuisse ære non signato, ac ideo pecuniam non numerasse, sed ponderasse. Quare venditio fieri non poterat sine libra. Et quia minime consultum videbatur, ut hæres nosset, se esse institutum, ne forte testatori insidiaretur, postea familiæ emtor imaginarius hæredem repræsentans adhibebatur. Modus hic testandi per ambages cum abrogaretur, numerus testium septenarius ex eo retentus. Manifestum itaque est, rationem numeri

Digitized by Google

numeri ſeptenarii teſtium deſumtam eſſe ex ſtatu civili Romano, conſequenter absque ratione ſufficiente Jus Romanum in aliis civitatibus attendi. Quamvis enim conſultum videatur, per plures teſtes probari voluntatem defuncti, non tamen ideo neceſſe eſt, ut ſint præciſe ſeptem. Obiter obſervo, quatenus Jus Romanum rationem habet in ſtatu Romanorum civili, ad idem penitus intelligendum requiri notitiam antiquitatum Romanarum: his enim ignoratis, latent rationes. Atque hinc patet, quinam & quando ſit uſus antiquitatum Romanarum in intelligendo Jure Romano, & quænam leges ex iis demonſtrandæ veniant. In hisce autem demonſtrationibus facta ſubeunt vicem principiorum, quæ ſumuntur, & quod recte ſumantur autoritate Hiſtoricorum probatur. Quæ vero ex legibus ita demonſtratis conſequuntur, ea ex iisdem tanquam principiis ſuis, prouti in ſcientiis moris eſt, porro demonſtrantur.

§. 992.

De erroribus circa Jus naturæ in civili condendo vitandis.

Si leges civiles ex naturalibus fieri debent, cavendum eſt, ne errores quidam communes pro Jure naturæ ſumantur. Quodſi enim pro Jure naturæ ſumatur error quidam, cum ea, quæ Jure naturali determinantur, vel naturaliter licita, vel debita, vel illicita ſint (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), lege autem civili ex naturaliter licito fieri poſſit debitum, vel illicitum, aut ex imperfecte debito perfecte debitum (§. 977.), fieri poteſt, ut, dum pro licito ſumitur, quod debitum, vel illicitum (§. 623. *Log.*), ut præcipiatur, quod illicitum, aut prohibeatur, quod debitum (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ſuperior ferre nequeat leges legibus naturalibus præceptivis ac prohibitivis contrarias, ſeu prohibere non poſſit, quæ lege naturali præcipiuntur, nec præcipere, quæ eadem lege prohibentur (§. 973.); ſi leges civiles ex naturalibus fieri debent, cavendum eſt, ne errores quidam communes, quæ propterea, quod communes ſunt, animum

Digitized by Google

ab eo, ad quod attendi debet, facillime avertunt, pro Jure naturæ ſumantur.

Non deſunt in Jure Romano leges complures, quæ hac labe infectæ ſunt, nec ab ea prorſus purgatæ fuerunt, etiamſi ſucceſſive iniquitas earundem temperata fuerit. Exemplo eſt patria poteſtas Romanorum, quæ communi quodam errore imperium parentibus in liberos educandos naturaliter competens (§. 662. *part.* 7. *Jur. nat.*) cum dominio confundit & patri ſoli tribuitur. Quemadmodum vero dato uno errore ſequuntur plures; ita quoque in legibus Romanis ex erronea poteſtatis patriæ notione multa deducuntur iniqua atque injuſta, quorum nonnulla etiam adhuc paſſim uſu recepta ſunt, ubi Jus Romanum introductum, etiamſi patria poteſtas Romanorum fuerit rejecta. Pertinet huc uſusfructus in bonis liberorum patri ad dies vitæ competens, (*not.* §. 757. *part.* 7. *Jur. nat.*), ut alia brevitatis cauſa taceamus. A lege naturæ non præter neceſſitatem recedendum in civitate. Quamobrem edicta Prætorum propter æquitatem naturalem, quam ſecuti ſunt, recte laudantur.

§. 993.

De emendatione legum civilium ob errorem in Jure naturæ factarum.

Quoniam cavendum eſt, ne errores quidam communes pro Jure naturæ ſumantur, quando leges civiles ex naturalibus fieri debent (§. 992.); *ſi per inſcitiam temporum errores quidam irrepſerunt in leges civiles, aut quædam ex aliis hac labe infectis per conſequentiam fuerint erutæ, eadem abrogandæ, vel veritati convenienter emendandæ ſunt.*

Ita e. gr. uſusfructus patri in bonis liberorum ad dies vitæ tributus reſtringendus eſt ad tempus educationis & matri quoque concedi poteſt (§. 757. 765. 766. *part.* 7. *Jur. nat.*), iniquum vero eſt, ſi parentibus concedatur ad dies vitæ, nec ulla ratio valida, quæ matris conditionem deteriorem facit conditione patris. Similiter recte apud nos abrogata fuit ſervitus, quæ

Digitized by Google

quæ ſervos & ancillas in dominio domini conſtitutos æquiparat jumentis, nec pro perſonis, ſed rebus habet. Potuiſſet tamen retineri, quatenus Juri naturæ conſentanea per ea, quæ (*c. 6. part. 7. Jur. nat.*) a nobis demonſtrata ſunt: nec per ſe injuſta ſunt jura de hominibus propriis, quæ paſſim adhuc in Germania vigent, & de operis ruſticorum dominis prædiorum equeſtrium præſtandis, modo non ex accidente vitium quoddam in ea irrepat. Atque ex his, quæ de legibus civilibus hactenus a nobis demonſtrata fuerunt, terminandæ ſunt controverſiæ, a multo tempore agitatæ, num & quatenus Jus Romanum apud nos recte recipi potuerit, atque dijudicandæ leges civiles diverſorum populorum, ac per conſequens legum antiquarum Germanicarum. Neque enim ſequitur leges antiquas Germanorum moribus eorum hodiernis quoque convenire, etiamſi olim nihil iniquitatis in ipſis fuerit.

§. 994.

Si actu quodam per leges valido alicui adimitur, quod ex alia lege ſperare poterat; nulla ipſi fit injuria. Etenim ſi actus quidam per leges validus eſt, eodem nihil committitur, quod in ſe illicitum ſit: id quod per ſe patet. Enimvero ſi contingat hoc actu alicui adimi, quod ex alia lege ſperare poterat; tum perinde eſt, ac ſi nihil adeſſet, quod ſperari poſſet, ac per conſequens lex iſta ceſſat. Quoniam itaque is, qui alias aliquid ſperare potuiſſet, ad id, quod ipſi ademtum, jus perfectum adhuc non habet, injuria autem in violatione juris perfecti conſiſtit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); ſi actu quodam per leges valido alicui adimitur, quod ex alia lege ſperare poterat, nulla ipſi fit injuria.

De eo, quod ex lege quadam ſperari poterat, valide ademto.

Ita venditione imaginaria Geradæ in foro Saxonico uſitata nulla injuria fit foeminæ, quæ a morte venditricis eam expectabat. Etenim quamdiu foemina vivit, res ſuas quascunque pro lubitu vendere poteſt, cuique voluerit, ea etiam lege, ut

Digitized by Google

rerum venditarum usumfructum sibi reservet ad dies vitæ: immo vendi quoque possunt res futuræ. Venditione igitur ista nulla fit alteri cuidam injuria, quandō res venduntur. Quoniam lex de gerada non minuit dominium, ac per consequens nulla intelligitur, si post mortem foeminæ, quæ liberos sexus sequioris non habet, in bonis ab ea relictis nullæ extiterint res ad geradam spectantes; ex lege de gerada nihil quoque capere potest foemina, cui alias gerada debebatur, perinde ac is, cui lege debebatur successio in bonis defuncti, succedere nequit, si nulla ab eo relinquantur bona. Quamobrem si emtor geradæ res ad eam pertinentes post mortem venditricis accipit, nihil adimit foeminæ, cui lege gerada debebatur, sed quod suum est repetit, consequenter nec tum injuria ulla committitur. Idem tenendum est de venditione imaginaria *Heergewetti*. Negandum non est, leges de gerada & heergewetto rectius abrogandas esse: quamdiu tamen abrogatæ non sunt, venditio in judicio perfecta absurda dici nequit, nec rebus ludicris recte accensetur. Et hactenus quoque venditio vera dicitur, non simulata, & omnia observanda sunt, quæ ad venditionem veram per leges requiruntur & ad dominium per eam acquirendum, ne quis eam tanquam actum minime validum impugnare possit. Absit autem, ut tibi persuadeas, venditionem istam committi in fraudem legis, ne scilicet geradam, vel heergewettum acquirat persona, cui debetur. Id enim tum demum fieret, si gerada & hergewettum intelligerentur ante mortem personæ, a qua res ad illam vel hoc spectantes acquiruntur: tum vero rerum istarum alienatio prohiberi debebat, id quod æque absurdum foret, ac si hæreditatis causa rerum, quas quis habet, alienatio prohiberetur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

De officio Superioris, sive Rectoris Civitatis, & Subditorum.

§. 995.

Omnis Rector civitatis bene regere debet Remp. Etenim in Rectorem civitatis imperium omne ea lege translatum intelligitur, ut non exerceatur, nisi saluti publicæ convenienter, sive absolutum fuerit atque summum, sive quocunque modo limitatum (§. 88.). Quamobrem cum is recte, seu bene imperet, seu civitatem regat, si ea facit, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur, male autem imperet, si ea facit, quæ bono publico adversantur (§. 85.); omnis Rector civitatis bene regere debet Remp. *Officium generale Rectoris civitatis.*

Rector civitatis persona moralis est, quæ determinatur per jura & obligationes ipsius (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*). Quemadmodum itaque jus imperium civile est, quo gaudet Rector civitatis, in ipsum translatum, ut id exerceat (§. 42.); ita obligatio, quæ in eundem cadit, est necessitas exercendi imperium, consequenter civitatem regendi (§. 218. *part. 7. Jur. nat.*). Et quoniam salus publica in civitate suprema lex est (§. 86.); ex ea quoque metienda est regendi obligatio. Quamobrem non regere debet Remp. pro lubitu, sed prout salus publica exigit. Ita scilicet demum satisfacit officio suo.

§. 996.

Quoniam *Rector civitatis* bene regere debet Remp. (§. 995.), hoc vero fieri nequit, nisi & norit, quænam ad Remp. bene regendam requiruntur, & velit ea facere, in quibus bonum regimen consistit; ideo *instructus esse debet scientia* *Qualis esse debeat intellectus & voluntas Rectoris*

Digitized by Google

ctoris civitatis.

ſcientia eorum, quæ ad bonum regimen requiruntur, & voluntatem habere conſtantem ac perpetuam nonniſi ea faciendi, quæ ad bonum regimen ſpectant.

Non ſufficit noſſe, quomodo bene regatur Resp. ſed neceſſe etiam eſt, ne deſit bene regendi voluntas. Defectus intellectus in cauſa eſt, ut ex ignorantia male regatur; defectus voluntatis vero, ut male regatur ex propoſito. Sane non alia de cauſa introductæ ſunt monarchiæ & ariſtocratiæ, quam quod hoc pacto facilius præcaveri poſſe viſum eſt, ne ex ignorantia male regatur civitas; Resp. autem mixtæ, quod hoc pacto facilius Reip. proſpici poſſe viſum eſt, ne defectu voluntatis jure ſuo abutatur ſuperior & male civitatem regat.

§. 997.

De educatione eorum, qui ad regimen adſpirare poſſunt.

Cum Rector civitatis inſtructus eſſe debeat ſcientia eorùm, quæ ad bonum regimen requiruntur, & voluntatem habere conſtantem ac perpetuam nonniſi ea faciendi, quæ ad bonum regimen ſpectant (§. 996.); *in regno ſucceſſorio qui ſpem ſuccedendi habent, & in Ariſtocratia, qui ad regimen adſpirare poſſunt, ita educandi ſunt, ut ſcientia eorum, quæ ad bonum regimen requiruntur, acquirant, & voluntas non faciendi, niſi quod rectum eſt, conſtans & perpetua efficiatur,* conſequenter *cura cordique eſſe debet Regibus in regnis ſucceſſoriis & optimatibus in Ariſtocratia, ut illi, ad quos poſt fata eorum imperium civile, ſeu jus regendi civitatem devolvetur, bene educentur, hoc eſt ita, ut ad civitatem bene regendam evadant apti.*

Non ſufficit, ut Rex præſens civitatem bene regat; ſed idem curæ habere debet, ut etiam ea poſt fata ſua bene regatur. Malum regimen ſucceſſorum, ſi neglectus educationis in cauſa fuerit, recte imputatur iis, qui in præſenti civitatem regunt. Culpa enim non vacant, qui in educatione ſucceſſorum diligentiam ſuam deſiderari paſſi ſunt. Immo non concipi

Digitized by Google

cipi potest voluntas constans & perpetua bene regendi Remp. qualis in Rectore civitatis requiritur (§. 996.), nisi idem velit, ut perpetuo floreat Resp. consequenter pro virili conferat, quicquid hac in parte a se proficisci potest.

§. 998.

De consilio prudentum ad bonum regimen requisito.

Similiter cum *Rector civitatis* instructus esse debeat scientia eorum, quæ ad bonum regimen requiruntur (§. 996.), fieri autem non possit, ut omnia negotia publica ac ea inprimis, quæ ad decernendum in præsenti, supponenda ipsi sint intime perspecta, prouti abunde patet ex iis, quæ de Rep. constituenda demonstrata sunt integro capite tertio admodum prolixo; ideo *uti debet relatione ac consilio virorum prudentum, quorum alii in hoc, alii in alio negotiorum genere excellunt.*

Ad bonum regimen non modo requiritur theoria, verum etiam praxis, quæ in theoriæ applicatione ad casus obvios consistit. Ita non sufficit nosse, judices constituendos esse legum peritos, viros bonos & impartiales (§. 541.); sed quando judex actu constituendus, constare etiam debet, num hæc, vel ista persona habeat prædictas qualitates. Quamobrem si vel maxime supponas, Rectorem civitatis omnem negotiorum publicorum theoriam animo comprehendisse; nondum tamen instructus est notitia singularium, sine qua veritates generales, quas theoria suppeditat, rite applicari nequeunt. Sine recta autem applicatione theoriæ fieri non potest, ut actu bene regatur. Accedit quod in casus dubiis & quando non uno modo quid fieri potest, oculi, quemadmodum dicitur, plus videant, quam oculus, & rationum in contrarias partes allatarum ponderatione rectius patefiat, quid utiliter decerni debeat. Quemadmodum itaque unusquisque in iis, quæ per se nosse nequit, aliorum consilio ac relatione uti debet; ita nihil singulare est, si idem facere tenetur Rector civitatis.

Digitized by Google

§. 999.

Conſiliarii quinam ſint. *Conſiliarii* dicuntur, quorum relatione atque conſilio Rector civitatis utitur in gubernanda Rep. Dividuntur in diverſas ſpecies pro diverſitate negotiorum, ad quæ conſilium ipſorum adhibetur. Sed eam diviſionem in præſenti inſuper habemus. Generalis diviſio eſt in actuales & titulares. *Conſiliarius actualis* eſt, cujus conſilio actu utitur Rector civitatis: *Titularis* autem *conſiliarius* eſt, cui ſolum nomen conſiliarii tributum augendæ dignitatis cauſa.

Quid de conſiliariis titularibus tenendum ſit, patet ex iis, quæ de dignitatibus civilibus ſupra demonſtrata ſunt (§. 766. *& ſeqq.*). Quid ſuadeat prudentia civilis, ſuo loco declarandum.

§. 1000.

Quales eſſe debeant conſiliarii. Quoniam Rector civitatis relatione atque conſilio conſiliariorum uti debet in Rep. gubernanda (§. 999.), *neceſſe eſt ut conſiliarii non modo negotia habeant perſpecta, de quibus conſilium dare debent, verum etiam ut fideliter omnia referant, quæ in caſu præſenti attendenda ſunt*, conſequenter *eſſe debent rerum, ad quas adhibentur, periti, prudentes* (§. 257. *part. 1. Jur. nat.*), *& viri boni* (§. 967. *part. 5. Jur. nat.*), ac per conſequens *veritatis amantes* (§. 971. *part. 5. Jur. nat.*).

Quemadmodum Rector civitatis Conſiliariis carere nequit (§. 998.); ita quoque fieri nequit, ut bene gerat Remp. niſi conſiliarii tales ſint, quales eſſe debent, nimirum eorum, quæ ad bonum regimen requiruntur, intelligentes & ſalutis publicæ amantes. Inanem operam ſumit, quicquid tandem moliatur, niſi conſiliarii, vel in genere omnes, per quos regere tenetur Remp. eandem cum ipſo habeant voluntatem & ad recte fungendum miniſterio ſint apti. Malum regimen magis conſi-

Digitized by Google

consiliariis, atque ministris, quam Rectori civitatis imputandum, qui non modo animum Rectoris corrumpunt, verum etiam illæso animo Rectoris Remp. pessumdant.

§. 1001.

Quia consiliarii veritatis amantes esse debent (§. 1000.), & Rector civitatis relationi ipsorum fidem habere tenetur (§. 999.); *consiliarii nil quicquam celare, & ab omni adulatione procul abesse debent, ipse autem Rector civitatis neminem magis, quam adulatorem aversari debet* (§. 892. *part.* 1. *Jur. nat.*). *De ministrorum adulatione non fe-renda.*

Adulatio nullibi frequentior, quam in aula: sed pestis revera Reip. est, quam cane & angue pejus fugere debet Rector civitatis, si salus publica ipsi curæ cordique est ac statum civitatis corrumpi nolit. Adulatores non suadent, nec dissuadent ex animi sui sententia, sed unum omnium officium, una contentio est, ut *Senecæ* verba lib. 6. de benef. c. 30. mea faciam, quis blandissime fallat.

§. 1002.

Cum *Rector civitatis* uti teneatur consilio aliorum in Rep. gubernanda (§. 999.), Remp. vero bene regere debeat (§. 995.); *sibi cavere debet, ne malum consilium sequatur,* consequenter *consilia, quæ dantur, probe discernere tenetur.* *De consiliis discernendis.*

Nec sibi, nec aliis nimium fidit Rector civitatis prudens. Quamvis enim alienæ sententiæ non indigens videatur; aliorum tamen consilium haud raro detegit ea, quæ tecta ipsi mansissent, ut rectius per se statuere possit. Non raro vero etiam contingit, ut fallantur & fallant, qui consilium dant. Ne igitur consilium eorum temere sequatur, non minus dispiciendum est, num forte fallantur, quam num fallant. Quomodo vero fieri possit, ut tam circumspectus sit in consiliis admittendis, ad prudentiam civilem pertinet.

Digitized by Google

§. 1003.

Rectorem civitatis omni virtute excellere debere.

Rector civitatis omni virtute excellere debet. Etenim Rectori civitatis curæ esse debet, ut subditi sint virtute præditi, ne a virtutis tramite ad vitia deflectant, & qui deflectunt a vitiis revocentur & in viam rectam reducantur (§. 456.). Enimvero exemplo nostro alios virtutes docere & ad earum studium incitare debemus (§. 639. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem etiam Rector civitatis exemplo suo subditos virtutes docere & ad earum studium incitare debet. Quoniam vero hoc fieri nequit, nisi ipse virtuti omni deditus sit (§. 250. *part. 2. Phil. pract. univ.*); Rector civitatis omni virtute præditus esse debet. Et quoniam exemplum tanto fortius incitat ad imitandum, quanto illustrius, Rector autem civitatis exemplo suo subditos ad virtutis studium incitare debet, *per demonstrata*; idem omnino omni virtute excellere debet.

Ostenditur etiam per indirectum hoc modo. Ponamus Rectorem civitatis vitiis esse deditum. Cum longa experientia dudum exploratum sit, non modo homines in agendo alios imitari, verum etiam subditos ad exemplum Rectoris civitatis componi, nec idem a ratione alienum sit, quia plerique hominum in actionibus suis empirici sunt, saltem maxima ex parte, ac per consequens alios imitantur (§. 205. *part. 2. Jur. nat.*), nec minus in propatulo sit, homines vitia sua aliorum, præsertim se superiorum, seu dignitate præcellentium exemplo tueri; subditi in vitia labentur, quibus Rectorem civitatis delectari norunt, & ejus exemplo eadem tuebuntur. Quoniam itaque Rectori civitatis curæ esse debet, ne sint vitiis, sed virtuti dediti (§. 456.); ipse quoque vitiis deditus esse non debet, sed virtuti.

Quam-

Digitized by Google

Quanta sit vis exempli Rectoris civitatis, ab antiquissimis temporibus observatum est. Hinc dudum invaluit illud pervulgatum: Regis ad exemplum totus componitur orbis. Et in proverbium abiit: Qualis Rex, talis grex. Si subditorum mores emendare velit superior, suos ante emendet necesse est. Maxime hoc urget *Confucius*, rerum civilium expertissimus & virtutis cultor sincerus ac strenuus. Si Rex odio prosequitur vitia, virtutem amet; qui ei placere student in aula statim a vitiis sibi temperabunt & virtuti studebunt. Fama virtutis regiæ & ejusdem in aula effectus exemplo strenue toto regno discurret ac ad imitationem trahet eos, qui officiis publicis funguntur. Horum deinde exemplum imitabuntur, qui hisce placere student, ac ei deinceps se addent ceteri, ut quos non amor virtutis, saltem verecundia arceat a vitiis. Cum maxime interest Reip. subditos esse virtuosos & vitia odio prosequi; Rectori quoque civitatis maxime curæ cordique esse debet, ut in omni virtutum genere emineat. Et quemadmodum solæ virtutes sunt, quæ existimationem, laudem atque honorem verum pariunt (§. 549. *part. 1. Jur. nat.*); ita fama non solius regni ambitu contenta, sed ad exteras quoque nationes perlata apud omnes gentes in existimationem summam veniet Rector civitatis & ubivis terrarum maxima erit ejus autoritas. Exemplo in sacris literis est *Salomo*, 1. Reg. IV. 34. 2. Parap. IX. 1. *& seqq.* Virtutibus intellectualibus & moralibus verum Majestatis suæ splendorem obtinet Rector civitatis, quem pompa afferre nequit, eundem potius obscurans & inquinans, si vergat in detrimentum Reip. Abjecte nimis de majestate regia sentiunt, qui eam solo luxu metiuntur, in Rep. non tolerando (§. 733.).

§. 1004.

Quoniam Rector civitatis omni virtute excellere debet (§. 1003.), virtuosus autem virtutem amat (§. 351. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vitium odit (§. 368. *part. 1. Phil. pract.* *De amore virtutis & odio vitiorum.*

Digitized by Google

pract. univ.); *Rector* quoque *civitatis virtutem omnem amare, vitium odisse debet*, consequenter *virtutibus eminentes praemiis decorare & quanti eos faciat occasione quavis oblata palam prodere debet.*

Praemia debentur virtuti & si iis virtus decoratur, signum amoris virtutis in dante sunt & liberalitatem ejus vere produnt (§. 119. 250. *part. 4. Jur. nat.*), ac ideo ad existimationem hominum dimanant, danti magis honorifica, quam accipienti. Ceterum non modo ideo virtutes omnes tam intellectuales, quam morales colere debet Rector civitatis, quia vitium unum virtutibus ceteris labem infert; verum etiam quia virtus nulla est, quae non in bonum regimen influat, ad quod populo suo obligatur (§. 995.).

§. 1005.

De cura circa educationem Principum quoad virtutem.

Quoniam Rector civitatis omni virtute excellere debet (§. 1003.), *qui* vero *in regno succedendi spem habent, vel ad regimen civitatis adspirare possunt*, ita educandi sunt, ut ad bonum regimen sint apti (§. 997.); *a teneris virtuti omni assuefieri debent, omnique sollicitudine cavendum, ne aetas tenera vitio quodam contaminetur.*

Vera virtus, quae non saltem speciem ejus mentitur, rara est, multoque rarius, ut omnes virtutes una uni insint, utut defectus unius non permittat ceteras esse omni suo numero absolutas. In fortuna regia constitutis plures insidiae struuntur eidem, a quibus homines ceteri liberi sunt. Quamobrem necesse est, ut ea altiores in iis radices agat, quam in aliis. Hinc facile intelligitur, quanta animi sollicitudine opus sit in educatione Principum, ut fiant virtuosi.

§. 1006.

Digitized by Google

§. 1006.

Similiter quia Rector civitatis omni virtute excellere debet (§. 1003.), virtus autem facilius acquiratur & conservetur, si cum ea pietas conjungatur (§. 344. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ac inprimis timor Dei virtutes omnes uno vinculo inter se jungat & copulet (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.* & §. 321. 284. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Rector civitatis pietate excellere debet, ac inprimis Deum timere.* *De pietate Rectoris civitatis.*

Pietas instillat amorem virtutis ac ideo ejus scientiam supponit. Sed talia ex instituto enucleanda sunt in philosophia morali. Beata est Resp. quæ Regem habet virtuosum & pium.

§. 1007.

Rector civitatis sapiens ac prudens esse debet. Imperium enim civile ita exercere debet, ut bonum publicum, quantum fieri potest, promoveatur (§. 809.). Quamobrem bonum publicum finis est, ad quem tendere debent omnes actus ad imperii civilis exercitium spectantes (§. 932. *Ontol.*), & hi esse debent media, per quæ finis iste obtinetur (§. 937. *Ontol.*). Quamobrem cum sapientiæ sit eligere media ad finem ducentia & fines particulares ita sibi invicem subordinare, ut propiores fiant media remotiorum (§. 678. *Psych. rat.*); Rector civitatis sapiens esse debet. *Quod erat unum.* *De sapientia & prudentia Rectoris civitatis.*

Enimvero quoniam vix ullibi plures sese offerunt circumstantiæ, quarum in exequendis sapienter decretis habenda est ratio, quam in negotiis publicis, id quod a posteriori sumitur, prudentiæ autem est rationem habere circumstantiarum alienarum præsentium in exequendis iis, quæ sapienter decreta fuerunt (§. 257. *part. 1. Jur. nat.*); Rector civitatis prudens esse debet. *Quod erat alterum.*

Sapien-

Digitized by Google

Sapientia & prudentia ſunt virtutes intellectuales. Rector igitur civitatis cum omni virtute excellere debeat (§. 1003.), ſapientia quoque & prudentia excellere debet. Sed diſertius demonſtrandum erat, eundem ſapientem ac prudentem eſſe debere, ut tanto evidentior eſſet utriusque virtutis in eodem neceſſitas & cur neutra carere poſſit, ratio eſſet manifeſta. Sapientia atque prudentia maxime commendant Rectorem civitatis & ſplendorem dignitati ejus afferunt cum apud ſuos, tum apud exteros.

§. 1008.

De conſiliariorum ſapientia & prudentia.

Quoniam Rector civitatis ſapiens ac prudens eſſe (§. 1007.), in iis autem, ubi ſibi ſolus non ſufficit, conſilio virorum in negotiorum quovis genere excellentium uti (§. 998.) debet, hi vero conſiliarii ſunt (§. 999.); *Rector civitatis in quovis negotiorum genere conſiliarios habere debet ſapientes ac prudentes.*

Conſiliariorum ſapientia & prudentia Rectori civitatis accreſcit, ut perinde ſit ac ſi eam per ſe poſſideret. Et quoniam conſiliarii referre debent, quæ in caſu præſenti attendenda (§. 1000.), conſequenter facta, quæ in deliberando ac decernendo requiruntur, horum oculis ipſe videre tenetur; vix proderit eidem propria ſapientia atque prudentia, niſi illorum ſapientia & prudentia juvetur, ſaltem non ſufficit, ne ab itinere ſapientiæ atque prudentiæ ſubinde exorbitet.

§. 1009.

De amore populi.

Rector civitatis amare debet populum ſuum. Etenim Rector civitatis ea facere tenetur, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur, ea vero non facere, quæ eidem adverſantur (§. 84.). Quamobrem cum bonum publicum ſit commune bonum totius civitatis (§. 23.), ac ideo populi univerſi (§. 5.); ideo curæ habere debet, ne populo ſuo quod

Digitized by Google

quicquam desit bonum, & ne malo ullo affligatur. Quamobrem cum ex bono voluptatem (§. 558. *Psych. empir.*), ex malo tædium percipiamus (§. 569. *Psych. empir.*); voluptatem populi appetere, tædium vero ejus aversari debet. Quoniam itaque alterum amat, qui voluptatem ipsius appetit (§. 650. *Psych. empir.*), & per consequens tædium ejus aversatur, utpote voluptati contrarium (*not.* §. 518. *Psych. empir.*); Rector civitatis populum suum amare debet.

Superius jam ostendimus, Rectorem civitatis subditos amare ac diligere debere tanquam seipsum, sed ut homo æque homines (§. 276.); hic vero demonstrandum erat, eundem quoque tanquam Rectorem civitatis populum qua populum amare debere, ut tanquam officium ipsi proprium spectetur amor populi sui, quod locum haberet, etiamsi amor universalis omnium hominum nullus esset. Duplex igitur datur obligatio amandi subditos, quæ tanto fortior est, quanto plura motiva sunt amoris ex diverso fonte profluentia.

§. 1010.

Quoniam Rector civitatis populum suum, hoc est, subditos qua subditos amare debet (§. 1009.); qui vero alterum amat; ex ejus felicitate voluptatem percipit (§. 633. *Psych. empir.*); *Rector civitatis ex felicitate populi sui voluptatem percipere debet*, & quia qui alterum amat, ex ejus tædio ipsemet tædium percipit (§. 642. *Psych. empir.*) & eundem considerat tanquam seipsum (§. 659. *Psych. empir.*); *ex tædio populi sui tædium percipere ac eundem tanquam seipsum considerare*, consequenter *felicitatem suam felicitati populi sui non contradistinguere, sed tanquam unam communem considerare debet.*

Quomodo felicitatem spectare debeat.

Amor populi ad bonum regimen maxime necessarius, & is demum Rector civitatis bonus est, qui populum suum amat: alias enim felicitatem populi parum curabit, nec volet eum es-

Digitized by Google

ſe ſalvum niſi propter ſe. Imperium ideo degenerabit in herile (§. 264.), & hoc in poteſtatem dominicam abibit, quæ ſubditos tanquam ſervos conſtituit in dominio ſuperioris: id quod quam ſit adverſum bono regimini, noſtrum in præſenti non eſt exponere diſertius. Id unice adhuc obſervamus, jus ſuperioris eminens in perſonam & res ſubditorum verti in ordinarium, nec ad neceſſitatem Reip. ſed utilitatem ſuperioris reſtringi, ita ut non amplius ſalus Reip. ſed utilitas ſuperioris ſuprema lex ſit, quæ ſi ab illa ſeparetur, Resp. florere nequit, ſed ſenſim ſenſimque labefactatur.

§. 1011.

De non confundenda ſummitate imperii cum poteſtate arbitraria.

Rector civitatis ſummitatem imperii non debet confundere cum poteſtate arbitraria. Qui enim imperium ſummum habet, in exercitio imperii prorſus liber eſt, nec ulli hominum rationem reddere tenetur, quomodo imperio utatur (§. 46.). Enimvero cum imperium civile ita exerceri debeat, ut bonum publicum, quantum fieri poteſt, promoveatur (§. 809.); ſummitas imperii non dat jus ſine ulla reſtrictione faciendi quod libet, conſequenter licentiam regendi Remp. (§. 150. *part. 1. Jur. nat.*), ſed tantummodo judicio Rectoris civitatis relinquit, quomodo bonum publicum promoveatur (§. 89.). Quamobrem cum poteſtatem arbitrariam ſibi arrogans, eam non metiatur ex fine civitatis, ſeu bono publico, ſed independentem facit ab omni lege, conſequenter etiam a ſalute publica, quæ ſuprema lex eſt (§. 86.); independentiam a voluntate alterius confundit cum independentia ab hac ſuprema lege. Rector igitur civitatis ad bene regendum Remp. obligatus (§. 995.); ſummitatem imperii cum poteſtate arbitraria confundere minime debet.

Alia omnino eſt independentia in agendo a voluntate alterius, alia independentia ab omni lege. Illa libertas eſt (§. 153.

Digitized by Google

153. *part. 1. Jur. nat.*); hæc licentia (§. 150. *part. 1. Jur. nat.*). Illa non tollit obligationem naturalem (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter nec legem naturæ, unde venit (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*); cum hac vero lex nulla consistit (§. 164. *part. 1. Jur. nat.*). Quemadmodum manifesta est differentia inter libertatem, quæ homini natura competit (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*), & licentiam, quæ eum facit exlegem (§. 165. *part. 1. Jur. nat.*); ita quoque non minus manifesta est differentia inter summitatem imperii civilis & potestatem civilem arbitrariam. Neque enim ista nisi species quædam est libertatis; hæc vero species licentiæ. Quemadmodum vero esse exlegem repugnat essentiæ atque naturæ hominis (§. 167. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter licentia eidem repugnat; ita etiam essentiæ Rectoris civitatis, quippe cujus persona determinatur per imperium civile atque obligationem idem exercendi (§. 70. *part. 1. Jur. nat.* & §. 42. 809. *b.*), repugnat potestas arbitraria. Quemadmodum vero libertas facile confunditur cum licentia, quia liber in agendo a sua, non vero ab aliena voluntate dependet, quia non attenditur voluntatem lege naturali regi; ita similiter summitas imperii facillime confunditur cum potestate arbitraria, quia imperium summum habens a sua, non alterius cujusdam voluntate dependet, quod non attendatur voluntatem regi lege suprema civitatis, quæ salus publica est (§. 86. 809.), & imperium metiendum esse ex fine ejusdem (§. 30. 32.), nec idem si vel maxime absolutum atque summum spectetur aliter alicui competere posse, nisi ut exerceatur saluti publicæ convenienter (§. 88.). Necesse igitur est, ne Rector civitatis in distinguenda potestate arbitraria a summitate imperii acumen suum desiderari patiatur. Qui hanc cum illa confundit, a boni regiminis tramite facillime deflectit & utilitati propriæ cum detrimento populi, seu subditorum inhians tandem & propriam convellit.

Digitized by Google

§. 1012.

De cauſis hujus confuſionis cognoſcendis & evitandis.

Quoniam *Rector civitatis* ſummitatem imperii non debet confundere cum poteſtate arbitraria (§. 1011.); *neceſſe eſt, ut probe cognoſcat ea, quæ ad confundendum imperii ſummitatem cum poteſtate arbitraria eum adducunt, & omni animi ſollicitudine ac contentione ſcopulos hosce evitare ſtudeat.*

Multo difficilius eſt Principi evitare confuſionem ſummitatis imperii cum poteſtate arbitraria, quam homini privato confuſionem libertatis cum licentia, quia pluribus tentationibus expoſitus, quæ partim ab ipſo, partim ab aliis veniunt. Quamobrem tanto magis eidem curæ cordique eſſe debet, ut in cognitionem cauſarum iſtius confuſionis penetret, & impedimenta iſta boni regiminis removeat: nihil enim bono regimini magis adverſatur iſta confuſione, a quo regimine vera Rectoris civitatis felicitas & ſtabilia utilitatis ſuæ fundamenta unice dependent. Enimvero in ſeductiones iſtas inquirere & quomodo eas evitare poſſit Rector civitatis oſtendere, ad Politicam ſpectat.

§. 1013.

De odio adulationis & amore ſinceritatis.

Quia Rector civitatis ea cognoſcere debet, quæ ad confundendum imperii ſummitatem cum poteſtate arbitraria eum ſeducunt, & ſeductiones iſtas ſtudioſe evitare (§. 1012.), adulatorum vero maxime intereſt, ut ſummitas imperii cum poteſtate arbitraria confundatur, cum ſub prætextu ejus, quod Rectoris civitatis intereſt propriæ utilitati ſerviant cum detrimento ſubditorum; *Rector civitatis adulatores ab hominibus ſinceris diſcernere, nec quicquam magis quam adulationem odiſſe, nil quicquam magis quam ſinceritatem amaſſe debet.*

Oſtendimus jam in ſuperioribus, adulatores Rectori civitatis exoſos eſſe debere (§. 1001.); ſed cum hic nova emergat

Digitized by Google

gat ratio, ob quam id fieri debeat, id denuo inculcari non pro nuda repetitione antea jam dictorum habendum. Aliud nimirum est antea dicta repetere, aliud vero quæ jam demonstrata sunt aliter denuo demonstrare. Et id in moralibus inprimis utile est, ubi rationes plures non modo fortius movent voluntatem, ut facias, quod fieri debet, verum etiam una eandem determinat, quæ per alias determinari minime poterat.

§. 1014.

De necessitate cognitionis juri-um majestaticorum.

Rectori civitatis jura majestatica probe perspecta esse debent. Exercere enim debet Imperium civile (§. 42.). Quamobrem cum jura majestatica sint, quæ ad imperium civile ejusque exercitium pertinent (§. 207.), nemo autem jus aliquod exercere possit, nisi quod ipsi fuerit cognitum; Rectori quoque civitatis jura majestatica cognita esse debent. Et quoniam summitatem imperii cum arbitraria potestate confundere minime debet (§. 1011.); jura majestatica eidem probe perspecta esse debent.

Facile patet, fieri haudquaquam posse, ut bene regat Remp. qui jura majestatica perspecta minime habet. Etenim si qua ignorat, ea negliget, quæ facere debebat: si vero plus sibi arrogat, quam convenit, faciet quæ facere non poterat, nec debebat. Et nisi jura singula intime fuerint perspecta, nunc non usu, nunc abusu jurium sibi competentium peccabit. Maxime igitur necessaria est Rectori civitatis jurium majestaticorum cognitio. Non sufficit habere animum bene imperandi; sed necesse etiam est, ut constet Rectori civitatis, quousque jus suum extendatur: alias sibi persuaderi patietur, ut ea faciat, vel non faciat, quæ intentioni suæ e diametro adversantur. Idem nimirum contingit, quod accidit illis, qui cum maxime dispositum possideant animum ad faciendum, quod bonum & rectum est, ignorantia legum naturalium ea faciunt, quæ lege naturali prohibentur, & omittunt, quæ ea-

Digitized by Google

dem præcipiuntur, vel religioni ſibi ducunt facere, quod eadem lege permiſſum, immo alios damnant, qui faciunt quod rectum eſt, vel licitum. Boni Principis voluntate non magis abutuntur miniſtri parum fideles & adulatores, quam ſi ipſe jura ſua non ſufficienter cognita atque perſpecta habet. Nec ipſi proderit virtus ſua, ſi cum ignorantia jurium ſuorum fuerit conjuncta, nec conſilia recta a perverſis diſcernet: id quod tamen quam maxime fieri debet.

§. 1015.

De cognitione jurium majeſtaticorum in conſiliariis requiſita.

Quoniam Rectori civitatis jura majeſtatica probe perſpecta eſſe debent (§. 1014.), in gubernanda autem Rep. uti debet conſilio virorum prudentum (§. 998.), quod ſequi nequit, ſi fuerit juribus iſtis adverſum; ideo *neceſſe eſt*, *ut* etiam his, hoc eſt, *Conſiliariis* (§. 999.), *jura majeſtatica prope perſpecta ſint.*

Conſilium alteri dare nequit, niſi qui jus, quo agere debet, habuerit perſpectum: alias enim contingit jus converti in licentiam, & imperii ſummitatem in præſenti caſu in poteſtatem arbitrariam, a qua tamen confuſione ſibi cavere debet Rector civitatis (§. 1012.). Jus itaque publicum univerſale, in quo jurium majeſtaticorum ſcientia traditur, ignorare nequit, qui Rectori civitatis a conſiliis eſſe debet. Neque enim ſufficit notitiam habere ejus tantummodo juris, ad cujus exercitium ſpectat negotium, de quo conſilium datur, cum jura omnia inter ſe ita connexa ſint, ut uſus rectus unius pendeat ab aliis. Juribus ſingulis non ita utendum eſt, ut uſu unius aliquid committatur, quod alteri cuidam adverſatur. Sane qui non omnem jurium majeſtaticorum complexum intime perſpexit, is jus unum, ad cujus exercitium præſens negotium ſpectat, inſcius in poteſtatem arbitrariam convertit, ut juri tribuat, quod licentiæ erat tribuendum, nec ipſi proderit omnis virtus reliqua, quæ bonam efficit voluntatem, nec proderit

Digitized by Google

rit amor veritatis, si quid sit verum ignoretur. Qui ergo Rectori civitatis a consiliis esse vult in gubernanda Rep. is animum appellere debet ad scientiam Juris publici universalis certo persuasus, se sine ea omnes muneris sui partes recte adimplere minime posse.

§. 1016.

De cognitione legum fundamentalium quocum Rectori civitatis.

Si imperium civile legibus fundamentalibus fuerit circumscriptum; Rectori civitatis eadem probe perspectæ esse debent. Rector enim civitatis in exercitio imperii adstringitur ad legum fundamentalium observantiam (§. 77.). Quamobrem cum leges observare non possit, nisi eas habeat perspectas, quod per se patet; si imperium civile legibus fundamentalibus fuerit circumscriptum, Rectori civitatis eædem probe perspectæ esse debent.

Per leges fundamentales diminuitur Jus Rectoris civitatis, & ita oritur Jus publicum particulare huic civitati proprium, quippe quod ex Jure publico universali non absimili modo efficitur, quo antea jus civile ex naturali effici ostendimus. Finis autem Juris publici particularis est, ne Rector civitatis jure suo facile abutatur in præjudicium civium & ut facilius præcaveatur, ne imperii summitas cum potestate arbitraria confundatur, cum confusio ista facillime fiat tandemque in morem abeat.

§. 1017.

De eadem quoad consiliarios.

Quoniam Rectori civitatis leges fundamentales, si quæ dantur, probe perspectæ esse (§. 1016.), in gubernanda autem Rep. uti debet consilio virorum prudentum (§. 998.), quod sequi nequit, si illis fuerit adversum (§. *cit.*); ideo *necesse est, ut* etiam his, hoc est, *Consiliariis* (§. 999.), *leges fundamentales, si quæ dantur, probe sint perspectæ.*

Eadem necessitas, quæ urget scientiam Juris publici universalis

Digitized by Google

salis (*not.* §. 1015.), urget quoque notitiam Juris publici particularis. Enimvero non est, quod existimes, minime opus esse, ut tam Rector civitatis, quam illi, quos ad consilium adhibet, Jus publicum tam universale, quam particulare habeant cognitum atque perspectum. Quodsi enim ponamus Rectori abunde constare, quale sit jus suum & quousque pateat; ipsum consilia eidem adversa a conformibus discernere; si vero eadem notitia fuerit consiliariis, eosdem consilia sua illi conformare posse. Sufficere itaque Juris publici universalis & particularis scientiam atque notitiam ex una saltem parte. Etenim Rector civitatis non coeco impetu sequi debet consilium, ut ejus fiducia faciat, quicquid facit (§. 1002.), & imprudentiæ est adhibere in consilium eum, qui ad maturum dandum aptus non est. Rector civitatis, cui regimen bonum & rectum curæ cordique est, non ita fidit perspicientia propria, ut contemnat alienam; nec ita acquiescit in aliena, ut propriis oculis videre nolit. Si quid de negotiis publicis decernendum, prima de Jure consultatio est, altera num expediat. Rectum consilium utramque supponit, nec sine utraque dari ac discerni potest. Sapientem & bonum virum requirit omnis deliberatio & consultatio; sapientia vero non minus juris, quam utilitatis scientiam exigit. Quamvis enim vulgo exigua sapientia regi dicatur mundus, magna tamen regi debet, ne fortunæ ancipiti committatur, quod certa ratione expediendum.

§. 1018.

De providentia Rectoris civitatis circa habilitatem eorum, quibus officia

Rector civitatis providere debet, ne desint ad quodvis officiorum publicorum genus habiles. Officium enim publicum nemini conferri debet, nisi qui habilis est (§. 890.). Quamobrem necesse est, ut, si quod vacet, non desint ad idem recte curandum habiles. Quoniam itaque jus officia publica conferendi Rectori civitatis competit (§. 886.) & ipse per eos, qui iisdem funguntur, civitatem regit (§. 885.); ipsius

Digitized by Google

ipsius omnino est providere, ne desint ad quodvis officiorum publicorum genus habiles. *publica conferenda.*

Rectoris civitatis est non modo curare præsentia, sed etiam providere futuris, ut & ipse, quamdiu Remp. administrat, præsentia rite curare possit, & idem facere valeant successores, qui ad vicem ejus, quando e vita emigravit, accedunt, quoniam quæ nunc futura sunt, aliquando præsentia erunt. Non igitur sufficit, ut ii, quibus in præsenti demandatum est officium aliquod publicum, ad idem recte curandum sint habiles, sed necesse est, ut eadem sit habilitas in successoribus. Quanta sit habilitatis hujus necessitas, patet per ea, quæ supra annotavimus (*not.* §. 890.).

§. 1019.

Rector civitatis magnam curam conferre debet in Academias, seu Universitates, atque scholas. Etenim providere debet, ne desint ad quodvis officiorum genus habiles (§. 1018.). Quamobrem cum ea, quæ ad officia publica rite curanda requiruntur, in universitatibus atque scholis sint addiscenda, & in scholis qui instituuntur ad studia academica præparentur (§. 433. 434.); Rector civitatis magnam curam conferre debet in Academias, seu universitates, atque scholas. *De cura a Rectore civitatis in academias & scholas conferenda.*

Dudum academiæ, seu universitates seminaria Reip. appellari sueverunt, & noto notius est, nisi in scholis bene præparati ad studia academica in academias veniant juvenes, eos oleum ac operam perdere. Plurimum itaque falluntur, qui in re scholastica & academica ne minimi quidem momenti ad Remp. recte administrandam esse existimant, ac ideo vix dignam censent, in quam multum curæ conferat Rector civitatis, nisi quatenus ejus interesse putant, ut peregrini locupletiores ad frequentandum academiam alliciantur. Decipit autem eos error haud parum nocens, quod animum non attendant ad

Digitized by Google

dependentiam eorum a se invicem, sine quo bonum regimen consistere nequit. Ad bonum regimen non sufficit, ut omnia recte fiant, quæ Rector civitatis per se facit adjutus consilio Ministrorum suorum; verum etiam opus est, ut omnia recte fiant, quæ facit per alios, consequenter ut quivis, qui officio publico fungitur, eodem recte fungatur. Academiæ vero non alio fine conduntur, quam ut in iis juvenibus doceantur ea, quæ scitu necessaria sunt, siquidem aliquando officio aliquo publico recte fungi debeant. Quodsi in Academiis ea non doceantur, culpa in Rectore civitatis hæret, vel in iis, quibus rerum academicarum curam is demandavit. Constitui enim debebant Professores, qui docere poterant (§. 436.), & curandum erat, ut iidem munere suo rite fungantur (§. 437.). In Remp. injurii sunt, qui indignos ad officia publica promovent, vel ad hoc, ut promoveantur quomodocunque concurrunt.

§. 1020.

De cura circa scientias & artes.

Rector civitatis scientias & artes amare, qui iis excelluntur eos præmiis & honoribus decorare & ad eas augendas atque propagandas subsidia subministrare debet. Curandum enim est in Rep. ut scientiæ & artes, quantum datur, nova indies capiant incrementa (§. 438.). Rector igitur civitatis nihil omittere debet, quicquid ad hoc conferre potest. Enimvero cum hoc ab eo sperari minime possit, nisi ex scientiis & artibus voluntatem percipiat, consequenter si eas amet (§. 657. *Psych. empir.*); scientias & artes amare debet. *Quod erat primum.*

Quodsi vero velit, scientias & artes coli, perfici ac propagari, necesse est ut excelsa ingenia incitet ad bene de scientiis atque artibus merendum. Quamobrem cum præmia sint motiva actionum committendarum (§. 296. *part. 1. Phil.*

Digitized by Google

Phil. pract. univ.), & gloria sit stimulus ad præclara præstanda absque ulla spe lucri (§. 771. *Psych. empir.*); qui scientiis excellunt, eos præmiis & honoribus decorare debet, ut non modo ipsi in iis excolendis ulterius industriam suam defatigent, verum etiam alii exemplo illorum se addant. *Quod erat secundum.*

Denique cum non omnibus, qui præclari quidpiam in aliquo scientiarum, vel artium genere præstare possunt, suppetant sumtus necessarii, aut alia adminicula, quibus indigent, & ad quædam detegenda aut perficienda sumtus privati minime sufficiant, Rector autem civitatis curare debeat, ut scientiæ ac artes augeantur & propagentur (§. 438.); ideo ad eas augendas atque propagandas subsidia subministrare debet. *Quod erat tertium.*

Celebritatem nominis non consequitur gens, nisi in civitate floreant scientiæ atque artes. Et hæ ipsæ sunt, quæ existimationem ejus pariunt apud ceteras. Debet vero hoc Rector civitatis genti suæ, ut existimationi ejus consulat. Enimvero dum scientias amat, iis excellentes præmiis & honoribus decorat & ad eas augendas atque propagandas subsidia subministrat, immortalem ipse consequitur gloriam, quæ statim fines civitatis peragrat & toto orbe discurrit ac monumentis commendatur, ut omnis seculorum posteritas ejus non sit immemor. Quicquid præclari præstatur ab iis, qui scientias & artes colunt, id omne in gloriam Rectoris civitatis vertitur, qui dum eas promovet, non tantum genti suæ consulit, sed generi humano universo, nec in præsenti tantum, verum etiam in venturis seculis. Nihil igitur diutius duraturum facere, nec post fata sua generi humano prodesse in perpetuum potest, quam si in hoc officio nihil desiderari patiatur. Dudum vero observatum fuit, optimum quemque gloria maxime duci & honorem alere scientias atque artes.

Digitized by Google

§. 1021.

De fordidis eruditorum aliorum famæ detrahentium moribus non tolerandis.

Rector civitatis tolerare non debet fordidos eruditorum mores, qui aliorum famæ ac laudi detrahere ſtudent & per contemtum aliorum ad gloriam nituntur. Etenim lex naturæ prohibet, ne eruditus unus alterius famæ ac laudi, ne quidem immeritæ, detrahat (§. 893. *part. 6. Jur. nat.*), & ne per contemtum aliorum ad nominis gloriam contendat (§. 895. *part. 6. Jur. nat.*). Quamobrem cum operam dare non modo debeat, ut, qui a lege naturæ alienum habent animum, vi adigantur, ut minimum actus externos ad legem naturæ componant (§. 395.), & curæ habere, ut, qui bene de Rep. merentur, a ceteris honorentur (§. 761.), verum etiam ipſe eos præmiis & honoribus decorare debeat, qui in ſcientiis atque artibus excellunt (§. 1020.); ideo tolerare non debet fordidos eruditorum mores, qui aliorum famæ ac laudi detrahere ſtudent & per contemtum aliorum ad gloriam nituntur.

Excellit gloria maxime is, qui virtute plurimum præſtat, quemadmodum recte dixit *Cicero*, & juri naturæ apprime convenit (§. 550. *part. 1. Jur. nat.*). Nihil itaque abſurdius eſt, quam ſi quis gloriam conſequi ſtudet, plebejis moribus inclareſcendo. Quemadmodum vero ſcientiæ & artes pariunt exiſtimationem gentis alicujus apud ceteras; ita plebeji eruditorum mores eandem dehoneſtant. Quamobrem cum Rector civitatis celebritatem nominis gentis ſuæ conſervare debeat, prouti ſuo loco diſertius expoſituri ſumus; tolerare utique nequit illius dehoneſtamentum. Haud equidem facile eſt, ſententiam alterius ita impugnare, ut in verbis nihil comprehendatur, quod in contemtum ejus verti poſſit, ſupponit enim non modo dominium in affectus ſeu animi paſſiones & acre judicium in diſcernendis illis, quæ inde veniunt & alia dicturo verba ſuggerunt, quibus perſonæ labes quædam adſpergitur; ſed quo difficilior eſt hæc virtus excelſis ingeniis propria, tanto

Digitized by Google

to acriori studio in id enitendum, ut eam consequamur, & tanto magis glorioſum est genti, si eruditi ea virtute emineant. Ex adverso autem facillime evitari poterat, ne quis proderet accessum ad intimas latebras & recessus in animo suo, si sequeretur officium a *Cicerone* dudum inculcatum: Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus est dicere, & verba, quæ veluti sponte sua succurrunt, trutinaret, antequam ea admitteret. Gloriam gentis non minus auget virtus, quam eruditio, per eruditos inprimis divulgandam, ut hi genti suæ opprobrio sint, & famam ejusdem inquinent, si apud exteros plebejis inclarescant moribus. Gloria gentis suæ ad famam exterorum profluit Rector civitatis & ejus regimen ad exterorum existimationem dimanat. Ejus itaque maxime interest, ut indoctos doctorum mores compescat, improbos & malignos prosternat. In civitate puniendi etiam actus vitiosi, unde malum quoddam derivatur in civitatem, etsi iisdem privatus non lædatur (§. 653.), multo magis itaque illi, quibus fama alterius læditur, vel læsio saltem intenditur.

§. 1022.

Quoniam *Rector civitatis* tolerare non debet eruditorum mores, qui aliorum famæ ac laudi detrahere student & per contemtum aliorum ad gloriam nituntur (§. 1021.), Professores autem & Præceptores in academiis & scholis sese discentibus commendare debent moribus (§. 436.); *multo minus* is *ferre debet, ut Professores & Præceptores in academiis & scholis convitiis inter se certent, unus alterius famæ insidias struat, & in censendis aliis, præsertim viris de scientiis præclare meritis, effrena libidine ingenii sui vires ostentent.* *In quibus omnium minime isti tolerandi.*

Mores Professorum & Præceptorum corrumpunt mores juvenum, adolescentium & puerorum, quibus illi censura sunt, eaque perpetua, ad quam diriguntur, ad quam convertuntur: id quod tanto facilius accidit, quanto pronior ad perstringen-

Digitized by Google

dos & taxandos alios ætas ista esse solet. Quodsi ergo Resp. carere debet eruditis, qui plebejis istiusmodi delectantur moribus; principiis obstandum est, nec permittendum, ut ad eos educentur adolescentes ac juvenes, quos difficulter in ætate provecta deponent, ita ut etiam senes linguæ temperare nesciant & verbis petulantissimis alios lædant. Utinam ut, quod pueri didicere, qui proficit in literis & deficit in moribus, eum plus deficere, quam proficere, idem viri intelligerent, & mores mature emendarent! Sed qui per se sapere nolunt, eos, ut sapiant, cogere debet superior (§. 395.). Turpe autem est doctori alio indigere morum magistro, quem muneris sui ratio in officio retinere poterat, si vel maxime petulantia linguam sollicitaret. Equidem non dubito fore plurimos, qui existimaturi sunt, ea, quæ de moribus eruditorum in perstringendis aliis minime tolerandis diximus, leviora esse, quam ut eorum cura tangat Rectorem civitatis; sed hi erunt, qui de rebus per transennam conspectis judicium deproperant, & de iis sibi judicium sumunt, quæ intime nondum perspexerunt. Quo minus enim quis per ignorantiam intelligit id, de quo judicium sibi sumit, eo magis eidem fidit. Contrarium abunde patet per ea, quæ modo dicta sunt.

§. 1023.

Protectio scientiarum & artium quid sit.

Rector civitatis *protegere* dicitur *scientias & artes*, quatenus eas exuit impedimentis: ut ideo *Protectio scientiarum & artium* sit cura eas impedimentis exuendi.

Nulla relinquere debet impedimenta, qui scientias & artes protegere vult. Unde facile apparet, hominis privati non esse ut scientias & artes protegat, modo satis intelligat, quænam scientiarum & artium incremento ac propagationi impedimento sint.

§. 1024.

De protectione sci-

Rector civitatis scientias & artes protegere debet. Curæ enim

enim habere debet, ut scientiæ ac artes, quantum datur, nova indies capiant incrementa (§. 438.), & ut in academiis juvenes ad scientiam rerum scitu necessariarum ac utilium perducantur (§. 434. 1019.). Quamobrem cum id minime consequi possit, nisi impedimenta omnia tollantur (§. 727. *Ontol.*); ut ea tollantur curæ habere debet. Enimvero scientias atque artes protegit, quatenus eas exuit impedimentis (§. 1023.). Scientias igitur & artes protegere debet. *entiarum & artium.*

Officium Rectoris civitatis haud postremum in protectione scientiarum & artium consistit & Protectoris scientiarum atque artium glorioſum nomen est, quod summam ei existimationem parit. Equidem protectio scientiarum & artium in latiori significatu sumi vulgo videtur, ut etiam comprehendat omnia adjumenta & auxilia, quæ ad culturam illarum affert Rector civitatis; non tamen definitio, quam dedimus (§. 1023.), obstat, quo minus hoc fiat: adjumenta enim ista & auxilia si non omnia, certe pleraque talia sunt, ut ad tollenda impedimenta importentur. Qui ergo tollere debet impedimenta, is quoque obligatur importare adjumenta & afferre auxilia.

§. 1025.

Quoniam civitatis Rector scientias protegere debet (§. 1024.), ac ideo eas exuere omnibus impedimentis (§. 1023.), nihil autem progressum scientiarum magis impedit, quam servitus philosophandi (§. 152. *Disc. præl.*), non aliter tollenda nisi libertate philosophandi (§. 151. *Disc. prælim.*); *Rector civitatis libertatem philosophandi tueri debet.* Quoniam tamen permittendum non est, ut publice disseminentur opiniones religioni & bonis moribus (§. 475.) atque fini civitatis, seu statui publico adversæ (§. 476.), consequenter ne libertas *De libertate philosophandi tuenda, licentia evertenda.*

Digitized by Google

libertas vertatur in licentiam (§. 150. *part. 1. Jur. nat.*); *Rector civitatis permittere minime debet philosophandi licentiam.*

Quemadmodum in genere licentia agendi consistit in potentia agendi sine ulla restrictione faciendi quodlibet (§. 150. *part. 1. Jur. nat.*); ita in specie *licentia philosophandi* consistit in permissione divulgandi opiniones quascunque sine ulla restrictione. Quomodo autem restringenda sit philosophandi libertas, ne abusu in licentiam vertatur, docent officia erga alios & Remp. quæ cum nitantur obligatione naturali (§. 225. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*), eam libertas philosophandi, sub libertate naturali contenta, minime tollit (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*). Arduum omnino officium est recte tueri philosophandi libertatem, ne vel licentia velificetur, vel progressus scientiarum inhibeatur.

§. 1026.

De exteris in aliquo scientiarum genere excellentibus.

Rector civitatis præmiis decorare debet etiam exteros, qui aliquo scientiarum genere excellunt & præclare de eodem merentur. Etenim qui de scientiis præclare merentur, non solum civibus suis prosunt, sed universo generi humano: quod per se patet. Quamobrem si vel maxime in exterorum numero sit, qui in aliquo scientiarum genere excellit & in iis amplificandis industriam suam defatigat; non minus tamen ejus labore cives nostri juvantur, quam si & ipse noster esset. Quoniam itaque Rector civitatis eos præmiis decorare debet, qui scientia excellunt (§. 1020.), cumque scientias amare debeat (§. *cit.*), ipsi perinde est, sive extraneus præclare de iisdem mereatur, sive civis quidam suus, & ubi exteros præclare de scientiis merentes præmiis decorat, iisdem æmulatio suorum excitatur, gloria vero ipsius amplificatur; præmiis omnino exteros quoque decorare debet, qui aliquo scientiarum genere excellunt & præclare de eodem merentur.

Officio

Digitized by Google

Officio huic tanto facilius satisfacere potest Rector civitatis, quo certius constat, præmia istiusmodi non æstimari ex intrinseco, quem habent valore, sed ex dignitate dantis & virtute ejus, ut quod danti leve est, magnum pondus addat non modo pretio affectionis, quod eidem statuit accipiens, verum etiam gloriæ ipsius accipientis, quæ ubivis celebratur in omni ævo. Accedit, quod hoc pacto exterorum animos sibi conciliet, ut alia taceamus, rectius forsan alio loco dicenda. Ceterum non ita æstimare debet Rector civitatis merita exterorum in scientiam, ut nihili facere videatur merita suorum. Quamvis enim videantur debita, non tamen propterea omittere debet ea, quibus suos ad studia incendit. Dona regia magnam vim habent in animos eorum, qui gloria ducuntur, & per consequens ad præclara præstanda parati sunt.

§. 1027.

De opibus atque divitiis subditorum augendis.

Rector civitatis curæ habere debet, ut opes atque divitias subditorum augeat. Etenim curæ habere debet, ne desit rerum ad victum, amictum, habitationem vitæque commoditatem ac jucunditatem necessariarum copia omnibus sufficiens (§. 420.) & ut res industriales atque artificiales multiplicentur (§. 421.): subditi autem onera Reip. tam ordinaria, quam extraordinaria ferre tenentur (§. 775. 780.), Rector tamen civitatis cavere debet, ne ipsi in paupertatem vel egestatem incidant, aut ad mendicitatem redigantur (§. 726.) & ne oneribus graventur (§. 778.). Quoniam itaque ea fieri nequeunt, nisi subditi opibus atque divitiis abundent, id quod vel obiter singula expendenti manifestum est; Rector civitatis curæ omnino habere debet, ut opes atque divitias subditorum augeat.

Rex duplicem gerit personam, moralem scilicet, quatenus spectatur tanquam Rex, & physicam, quatenus tanquam privatus spectatur. Quatenus tanquam Rex spectatur, dives est,

Digitized by Google

si subditos habeat divites ac locupletes, quemadmodum dudum observatum est a rerum civilium peritis. Omnia igitur adhibere debet media legitima, ut opes atque divitias subditorum augeat. Id fieri debere facillime prospicitur, si consideremus, Regem se habere ad populum suum, sicuti se habet paterfamilias ad familiam suam: quo etiam fine antiquissimis jam temporibus Sinenses sedulo inculcarunt, ut Imperator in regendo populo imitetur modum, quo paterfamilias sapiens ac prudens familiam suam regit, ac ideo ad regendum populum parum aptum pronunciat *Confucius* eum, qui familiam suam nondum regere didicit, ut omnes boni Patrisfamilias partes adimplere possit, sicuti ad regendum familiam ineptum judicat, qui se ipsum nondum regere valet. Ecquis vero est qui nesciat, bonum patremfamilias omnes curas & cogitationes in conservationem bonorum avitorum conferre, & omnem quoque animi contentionem iisdem amplificandis & splendori familiæ augendo adhibere. Suadet hoc amor, quo ex se natos & ex iis nascituros prosequitur. Cum igitur Rex perinde populum suum amare debeat (§. 1009.); idem non finit eundem perdere, sed potius impellit ad fortunam ejus augendam & amplificandam, inprimis cum optime norit, ab eadem unice pendere stabilitatem splendoris familiæ suæ. Hinc *Syraeb* c. X. 3. Rex insipiens, ait, perdet populum suum, & civitates inhabitabuntur per sensum prudentium. Regem bonum ad Dei imitationem se conferre civitatesque non solum omni bonorum genere cumulare, sed etiam felicitatem, quantam potest, in unumquemque subditorum effundere debere, dudum observatum est a veteribus. Vid. *Synes.* de Reg. p. 9.

§. 1028.

De non tolerandis iis, quibus opes

Quoniam *Rector civitatis* curæ habere debet, ut opes atque divitias subditorum augeat (§. 1026.); *nihil tolerare debet in Rep. quo opes ac divitiæ subditorum minuuntur.*

In bono Principe eadem requiritur vigilantia, quæ in Patrefa-

trefamilias, qui provide saluti familiæ suæ providet. Et in eo quoque imitatur Deum, qui providentia regit mundum. Hinc in superioribus jam ostendimus, non esse in Rep. tolerandum luxum (§. 733.), nec permittendam esse usurariam pravitatem (§. 748.), neque etiam ferendum, ut otio diffluant, quibus vires ad laborandum sufficientes suppetunt (§. 422.). Et plura eam in rem dicenda sunt in Politica. *ac divitiæ subditorum minuantur.*

§. 1029.

Similiter quia Rector civitatis cūræ habere debet, ut opes atque divitias subditorum augeat (§. 1027.), per commercia autem inter cives fortunæ singulorum consuliturtur, per commercia cum exteris civitas efficitur locuples; *Rectori civitatis curæ esse debet, ut floreant commercia tum inter cives, tum cum exteris*, consequenter *omnia sollicite præcavere is tenetur, quæ commerciis obesse possunt.* *De commerciis protegendis.*

Non exigua sapientia ac prudentia requiritur, si nihil committi debet, quod commerciis obstet, & impediat, quo minus finem per ea intentum consequaris. Sed cum hic tantummodo ostendamus, quid sit officii Regis, minime vero docere propositum, quomodo eidem satisfiat, id quod ad Politicam spectat; omnes istas cautiones silentio prætermittimus, quæ circa commercia adhibendæ. Sufficit notasse errorem commerciis maxime nocuum pseudopoliticorum, qui utilitatem commerciorum ex utilitate Principis præsenti metiuntur. Neque enim solum magno conatu nihil agunt; verum etiam florem commerciorum perdunt &, quem promovere volunt, impediunt, qui eo sunt animo, ut lucrum privatorum vindicare velint Regi & commercia habeant pro medio reditus Regis insigniter ac celeriter augendi. Quæ experientia abunde loquitur, ea rationibus stabiliri in præsenti non est opus.

Digitized by Google

§. 1030.

Quænam commercia non sint multiplicanda.

Commercia, quæ sine luxu civium consistere non possunt, multiplicanda non sunt. Luxus enim in Rep. tolerandus non est (§. 733.), nec tolerandum, ut cives bona sua dilapident (§. 751.). Quoniam tamen opera danda est, ut quilibet studio ac labore suo tantum acquirere possit, quantum ad res, si non utiles & voluptuarias, saltem necessarias sibi comparandum sufficit (§. 423.), & maxime cavendum, ne subditi in paupertatem, vel egestatem incidant, aut ad mendicitatem redigantur (§. 726.); commercia multiplicanda non sunt, quæ sine luxu civium consistere non possunt.

Qui usum commerciorum ex utilitate Rectoris civitatis privata metiuntur, ea non spectantes nisi tanquam medium augendi reditus ipsius; nullo discrimine commerciis locum faciunt in civitate & haud raro ea præferunt, quæ Reip. damnosa sunt aliis, quæ utilia forent. Quamobrem cum videant luxum, Reip. pestem, prohiberi non posse, nisi cum redituum regiorum decremento; ejus non modo tolerationem necessariam judicant, verum etiam omni modo promovent & Rectori civitatis persuadent, ut exemplo suo & aulæ suæ cives ad luxum invitet, quasi in pompa illa externa, quæ luxui debetur, majestatis regiæ splendor consistat, & ejus imitatione existimationi suæ consulant cives. Hinc vero contingit, ut iidem honesta sequantur, quamdiu spes lucri illis inest, in contrarium transituri, si plus scelera promittant. Tanto autem magis nocent istiusmodi commercia Reip. si pecunia ad exteros exportetur, & res artificiales eidem inservientes, quæ in civitate parantur, nonnisi a civibus comparentur. Difficile admodum est commerciis verum pretium statuere, ne quid committatur, quod in Reip. detrimentum vergat. Sed hæc uberius discutienda sunt in Politica.

§. 1031.

Digitized by Google

§. 1031.

Quoniam commercia, quæ sine luxu civium consistere nequeunt, multiplicanda non sunt (§. 1030.), luxui autem maxime inserviunt opera mechanica, quæ aurum & argentum consumunt, consequenter pecuniam rariorem reddunt, quæ tamen est anima commerciorum, & sine qua civitas locuples esse nequit (§. 353. *part. 4. Jur. nat.*); *opera mechanica, quæ aurum & argentum consumunt, commerciorum causa provide ac caute instituenda in Rep.* *De operibus mechanicis, quæ aurum & argentum consumunt.*

Contradictoria omnino sunt, velle civitatem esse locupletem, & luxus causa multiplicare opera mechanica, quæ aurum atque argentum consumunt, unicam pecuniæ materiam. Non est, quod excipias, pecuniam non exportari in exteras regiones, si istiusmodi opera in civitate instituantur: id enim præcaveri potest, si, quemadmodum fieri debet, luxus non toleretur (§. 733.). Absurdum vero est, pecuniam retinere velle in civitate, & eam impendere rebus, quæ aurum & argentum ab exteris comparandum consumunt: id nimirum perinde est ac pecuniam perdendo servare velle. Quamvis hodierni mores rei hujus testimonia perhibeant, ut verbis opus non sit; adeo tamen coecutiunt, qui commercia curæ habent, ut quantum civitati noceant, cujus divitias amplificare debebant, non videant. Omnia, quæ ad salutem Reip. spectant & ad bonum regimen pertinent, perspecta habere debent, qui commercia curæ habent, ne lucrum in damnum vertant.

§. 1032.

Rector civitatis omnium maxime curare debet, ut agricultura, res pecuaria & omnis oeconomia ruralis floreat, & res artificiales parentur ex materia, quæ hæc suppeditat. Et enim curæ habere debet, ut floreant commercia tum inter cives, tum cum exteris (§. 1029.), ut subditorum opes *De oeconomia ruralis flore & rebus artificialibus ex ac materia ab*

Digitized by Google

illa ſuppeditata factis. ac divitiæ augeantur (§. 1027.). Quamobrem cum caveatur, ne pecunia in exteras regiones exportetur, & ex adverſo pecunia ex aliis regionibus quæratur, ſi commerciis inſerviunt res, quas agricultura, res pecuaria & omnis oeconomia ruralis magno numero ſuppeditat, atque res artificiales ex materia, quam eadem dat, paratæ; divitiæ civium tunc conſervantur & augentur. Rector igitur civitatis omnium maxime curare debet, ut agricultura, res pecuaria & omnis oeconomia ruralis floreat & res artificiales parentur ex materia, quæ hæc ſuppeditat.

Nullum ſane medium certius eſt civitatem locupletandi, quam ſi commercia oeconomia rurali nitantur. Nullum quoque medium tutius eſt, ne quid committatur, quod æquitati adverſum. Dantur quoque officia lege naturali præſcripta gentibus erga gentes, quæ violare velle lucri ſui cauſa non minus turpe eſt ac honeſtati adverſum, quam ſi privatus ex alieno damno lucrum facere velit, quod avertere debebat. Politica vero non adverſatur philoſophiæ morali, ſed cum ea pulcherrime conſpirat, & una utriusque concordia eſt, qua ſublata ſocietas illa magna, quam ipſa natura inter homines omnes inſtituit (§. 142. *part.* 7. *Jur. nat.*), ac per conſequens inter gentes, ſubſiſtere nequit, & quemadmodum ſine virtute felix eſſe nequit homo (§. 400. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ita nec ſine officiis, quæ gens una alteri debet, felix eſſe poteſt genus humanum. Bonus Rector civitatis is demum eſt, qui ita conſulit ſaluti gentis ſuæ, ut ſimul proſit gentibus ceteris.

§. 1033.

De querelis de injuſtitia tollendis. *Rector civitatis curæ habere debet, ne juſtæ ſint civibus de injuſtitia querelæ.* Etenim querelæ de injuſtitia effunduntur, ſi quis auxilio judicis quod ſuum eſt aut ſibi debetur conſequi non poteſt, aut ſi aliter conſequi nequit, niſi cum maximo

Digitized by Google

maximo sumtu ac nimis tarde, & si contra injurias aliorum non defenditur, tum etiam si crimina vel impunita maneant, vel non satis, vel nimis severe puniantur; id quod a posteriori satis notum sumitur. Quamobrem cum Rector civitatis curare debeat, ut in Rep. justitia floreat (§. 536.), ac judices constituere (§. 539.), qui unicuique jus suum tribui curent & unumquemque adversus injurias aliorum defendant (§. 538.); cum curare debeat, ut puniatur, qui alteri injuriam facit, quæ reparari non potest (§. 573.), vel Remp. lædit (§. 579.), seu crimen aliquod committit (§. 581.), aut scelus (§. 653. 655.), & delictorum atque criminum poenas rite determinare (§. 625. *& seqq.*), ne scilicet quis minus puniatur, vel magis, quam meretur; curæ omnino habere debet, ne justæ sint civibus de injustitia querelæ.

Maximum profecto malum est, quo civitas laborat, si ea justis de injustitia querelis completur, & male audit Rector civitatis, qui eas tollere negligit. Præcipua quædam ratio est, cur in civitatem coiverint homines, & cum essent liberi alterius juri se subjicere voluerint, ut jure suo quiete frui possent & ab injuria aliorum tuti essent (§. 4.), ac ideo tacite renunciarunt juri belli privati (§. 560.), quod natura ipsis competebat tum ad consequendum id, quod suum est, aut suum fieri debet (§. 1104. *part. 1. Jur. nat.*), tum ad se defendendum adversus lædentem (§. 1114. *part. 1. Jur. nat.*). Officio itaque suo maxime deest Rector civitatis, si in eo diligentiam suam desiderari patiatur. Qui enim curare debebat, ut justitia floreat (§. 536.), injustitiæ locum facit in civitate & intolerabile civibus injustitiam patiendi jugum imponit. Quemadmodum vero bis dat, qui cito dat; ita ex adverso omne suum consecutus dici nequit, qui non nisi longo, immo longissimo tempore id consequi potest. Multo autem clarius idem patet, si suum consequi non detur sine magno, immo maximo sumtu, quasi quod suum est ingenti demum pretio redimere

Digitized by Google

redimere teneretur, & juſtitia venalis eſſet. Utinam iſtiusmodi querelis vacaret Germania noſtra, in cujus foris lites nimio ſumtu tantum non in infinitum protrahuntur, earumque eventus haud raro non minus dubius eſt, quam eventus belli, ut de eo bene ſperare nequeat is, penes quem jus eſt. Malo huic medelam afferre ſtudet Rex Boruſſiæ, dominus noſter indulgentiſſimus. Sed utinam quoque alii exemplo ejus ſe adderent, inprimis illi, quorum ſubditi oneribus Reip. ferendis vix amplius pares ſunt, ut ſumtu litium eos depauperari non demum ſit opus! Bonus Princeps curam juſtitiæ a ſe nunquam abjicere debet, quaſi eam omnem aliis demandare poſſet.

§. 1034.

De amore juſtitiæ.

Rector civitatis amare juſtitiam debet. Etenim curare debet, ut juſtitia floreat in civitate (§. 536.). Quodſi ergo omni animi impetu in eam ferri debet, neceſſe eſt, ut ex ea voluptatem percipiat (§. 591. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum id amemus, ex quo voluptatem percipimus (§. 657. *Pſych empir.*); Rector civitatis juſtitiam amare debet.

Amor juſtitiæ a bono Rectore civitatis inſeparabilis eſt & gloriam ejus maxime intendit, quam immortalem nullum ævum adimit. Celebratur civitas, in qua juſtitia floret, ſicuti ex adverſo querelæ continuæ civium in cauſa ſunt, ut male audiat. Amorem igitur juſtitiæ cum ſibi, tum civitati debet Rector civitatis. Non urgemus plura, quæ dici poterant, ſed ad Politicam proprie ſpectant.

§. 1035.

Quatenus Rectori civitatis imputandum factum.

Rector civitatis tenetur de eo, quod faciunt judices, quatenus id præcavere poterat. Etenim curæ habere debet, ne juſtæ ſint civibus de injuſtitia querelæ (§. 1033.). Quamobrem etſi neceſſe ſit, ut curam juſtitiæ demandet judicibus, cum

Digitized by Google

cum ipse per se jus omnibus dicere nequeat (§. 538. 539.); non tamen ideo omnem abjicere debet, nec eum tenere debet fiducia judicum. Quodsi ergo judices faciunt, quod præcavere poterat; id recte eidem imputatur (§. 650. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Tenetur itaque de eo, quod faciunt judices, quatenus id præcavere poterat. *Judicum.*

Peccant judices vel imperitia, vel malo animo, vel negligentia. Ne imperitia, vel malo animo peccetur, præcavere potest Rector civitatis, si in constituendis judicibus suam non patiatur desiderari attentionem. Præcavere potest, ne negligentia, vel etiam malo animo peccent, si sedulo inquirat, quomodo in reddendo jure versentur, & modum præscribat atque leges, juxta quas jus dicere debent, ac ne latum unguem ab iisdem recedant permittat. Multo magis autem culpa omnis in eum redundat, si vel in condendo jure certo desit officio suo, vel modum litigandi in foro præscribat, quo lites in infinitum protrahuntur, nec fine magno sumtu finiuntur.

§. 1036.

Rector civitatis sibi cavere debet, ne facilem præbeat aurem iis, qui fronte gravi ac tristi supercilio utilitatibus fisci adsunt. Curæ enim habere debet, ne onera subditis imponantur, ultra, quam Reip. administratio & defensio (§. 778.), vel sustentatio sui atque familiæ suæ & splendor dignitatis regiæ exigit (§. 784.). Quamobrem cum plerumque illi, qui fronte gravi ac tristi supercilio utilitatibus fisci adsunt, sub zelo amplificandi reditus illius lucri sui cupidinem occultent, & obtentu utilitatis publicæ cum civium damno suis commodis utilitatique serviant; Rector civitatis sibi cavere debet, ne facilem illis præbeat aurem. *De facili aditu ad aures non concedendo iis, qui modos augendi reditus regios offerunt.*

Inimici civitatis sunt istiusmodi homines amorem populi sui, quem habere debet Rector civitatis (§. 1009.), ab eo

Digitized by Google

ablaturi, & civitati haud raro magis nocent, quam hoſtes: id quod cum non uno modo, ſed multiplici contingat, hic loci uberius explicari nequit. Ad boni itaque Principis aures iis obſtructus eſſe debet aditus. Silebunt atque quieſcent, nec qui ſuadeant erunt, poſtquam non eſt, cui ſuadeant. Non contemnenda equidem ſunt, quæ utilitatis publicæ cauſa ſuadentur; ubi tamen vel minima ſuſpicio adeſt, ne utilitatem publicam ſuæ obtendant, audiendi non ſunt, qui non conſulti conſilium dare audent: id quod tanto magis fieri debet, ſi nulla adſit neceſſitas augendi reditus regios, cui parendum.

§. 1037.

De fiducia conſiliariorum.

Rectorem civitatis tenere non debet fiducia conſiliariorum ſuorum. Sibi enim cavere debet, ne mala conſilia ſequatur, ſed quæ dantur, probe diſcernere (§. 1002.), conſequenter non facere fiducia eorum, quæ per ſe facienda ſunt, multo minus ea ipſis facienda ſe inconſulto demandare, ſed propriis videre oculis. Quamobrem fiducia conſiliariorum ſuorum ipſum tenere minime debet.

Non eſt, quod objicias, nil obſtare, quo minus Rectorem civitatis teneat fiducia conſiliariorum ſuorum, modo ſint fideles, quales ſibi adjungere debeat. Enimvero qui ita ſentiunt non intelligunt, quantum requiratur ad fidelitatem Miniſtrorum, ſi tanta eſſe debet, ut Regi nunquam conſilia & facta ipſorum ſuſpecta ſint. Longe aliter ſenſit *Diocletianus* Imperator, qui ideo nihil difficilius eſſe pronunciavit, quam bene imperare, quia fidem habere debet Miniſtris. Sane ſi nimia fiducia conſiliariorum ſuorum tenet principem, Miniſtri regnant, dum ipſe ſibi videtur regnare, & bona ejus intentio effectu deſtituitur, cum longe aliud fiat, quam quod ipſe fieri intenderat. Nemo libidini aliorum magis expoſitus eſt Principe. Arduus virtutis gradus eſt, eo pervenisſe, ut nullus prorſus affectus, quo agitatur appetitus ſenſitivus, in rationalem influat.

Digitized by Google

influat. Influxus autem iste fidelitatem labefactat. Quodsi imperitia accedat, fidelis non est, qui se fidelem putat. Summa igitur vigilantia opus est Principi, ne fallatur & faciat, quod fieri non oportebat.

§. 1038.

De notitia status civitatis.

Princeps omnem operam dare debet, ut statum civitatis suæ intime perspectum habeat. Etenim bene regere debet Remp. (§. 985.), consequenter ea facere, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur (§. 995.). Quamobrem cum id fieri minime possit, nisi status civitatis suæ intime ipsi fuerit perspectus, quod per se patet, fiducia autem consiliariorum suorum eum tenere non debeat (§. 1037.), ideoque quantum datur propriis potius oculis videat necesse sit; omnem quoque operam dare debet, ut statum civitatis suæ intime perspectum habeat.

Quomodo officio huic, quemadmodum & aliis, satisfieri possit, docere Politici est. Hic saltem annotamus, ad discernenda consilia, quæ ipsi dantur, & ad præcavendum, ne adeo facile fallatur ab iis, quibus fidere tenetur, maximum momentum afferre notitiam status Reip. Vix sperandum, ut bene imperet, si is eidem minime fuerit perspectus, nisi summa sit Ministrorum, quibus fidem habere cogitur, fidelitas, veritatis atque justitiæ amor, & sinceritas.

§. 1039.

De notitia habilitatis personarum in officio publico constitutarum, vel

Rectori civitatis cognita quoque esse debet habilitas personarum, quæ officiis publicis funguntur, aut data occasione ad aliquod admovendæ sunt. Etenim per eos, qui officiis publicis funguntur, civitatem regit (§. 885.), consequenter necesse est, ut habilitatem eorum norit, qui data occasione ad officium aliquod publicum admovendi sunt, tum etiam eorum,

Digitized by Google

conſtituendam, qui officio aliquo jam funguntur, ut eos ad aliud promovere poſſit, quod merentur, ſi quando aliquod, cui obeundo pares ſunt, vacaverit. Immo cum qui in officio publico conſtituti ſunt, ſubinde etiam quædam Rectori civitatis per literas referre, aut quid fieri neceſſe, vel conſultum ſit, dicere teneantur, quantum autem iis fidere debeat non certus eſſe poſſit, niſi habilitate eorundem perſpecta; eidem quoque hoc nomine eadem perſpecta eſſe debet.

Intereſt Principis noſſe ſuos, qui ſuo nomine faciunt, vel aliquando facturi ſunt, quod faciunt, vel olim facturi ſunt. Nemo privatus homini ignoto committet ea facere, quæ ſui ſunt officii. Arduum vero majus opus eſt bonum regimen Principis, cujus quandam partem hominibus ignotis committere magis periculoſum eidem videbitur, ubi rem penitius perſpexerit, quam vulgo fieri ſolet.

§. 1040.

De arte conjectandi hominum mores. *Rector civitatis inſtructus eſſe debet arte conjectandi hominum mores.* Etenim per ſe noſſe nequit facta, quæ in deliberationibus ſumuntur. Neceſſe igitur eſt, ut ea referentibus fidem habeat, conſequenter certus ſit, quod ipſi verum norint, & verum dicere velint (§. 613. *Log.*). Conſilia, quæ dantur, diſcernere debet (§. 1002.), nec quenquam magis odiſſe, quam adulatorem (§. 1001.), conſequenter neceſſe eſt, ut latitantes in animo affectus, qui in ea, quæ dicuntur, influunt, detegat. Quoniam itaque in hisce omnibus ſe ſatis circumſpectum præbere nequit niſi eorum, quibus fidere tenetur, mores tam naturales, quam adventitios, ſeu diſpoſitiones ac inclinationes & reclinationes naturales & habitus acquiſitos habuerit perſpectos, quod ex pſychologia & philoſophia practica univerſali abunde conſtat,

Digitized by Google

constat, ad ea autem cognoscenda opus est arte conjectandi hominum mores, prouti patet ex iis, quæ integro capite demonstravimus in Philosophia practica universali (§. 687. & *seqq. part. 2.*); Rector civitatis instructus esse debet arte conjectandi hominum mores.

Nihil difficilius est arte conjectandi hominum mores, quæ & semiotica moralis dicitur, nec in formam veræ artis adhuc redacta est. Quamvis itaque ea in Rectore civitatis apprime requiratur, ut bene imperet; quæ tamen hodie præsertim est institutio Principum, ut is eadem instructus sit fieri non potest. Sane quod ars ista deficit, *Diocletianus* judicavit, nihil esse difficilius, quam bene imperare. Colligunt se, inquit, quatuor vel quinque, atque unum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt, quid probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non novit. Cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur. Facit judices, quos fieri non oportet. Amovet a Rep. quos debeat obtinere. Quid multa? Bonus, cautus, optimus venditur Imperator. Vid. *Vopiscus* in Vita Aureliani Imperat. p. 282. Multo facilius fraudes istiusmodi committuntur, si Princeps uni saltem, vel duobus fidere tenetur. Committuntur vero etiam ab iis, qui & seipsos fideles putant, & quos minime suspectos habet Princeps. Plurimum adjumenti hac in re affert Logica probabilium ad artem conjectandi mores hominum applicata; sed nec hanc in formam artis adhuc redactam esse constat. Interest maxime generis humani, ut Philosophia moralis excolatur, quæ aditum facit ad latebras & recessus in animis hominum, si ex natura animæ a priori actionum externarum determinationes demonstrentur, quemadmodum fieri debebat. Quæ vero de Principe dicta sunt: ea quoque intelligenda de Ministris, qui non minus aliis fidem habere tenentur, quam Princeps ipsis habere tenetur. Quodsi ipsi recipiantur, bona fide quoque decipiunt Principem, ut perinde sit, ac si ipsimet non essent fideles. Quamobrem multis difficultatibus obsessa fiducia

Digitized by Google

fidelitatis Miniſtrorum, ac in genere omnium, qui Principi de negotio publico decreturo dicunt ea, quæ noſſe debebat, nec ea adeo facile ſumitur. Equidem in regimine principum fere locum ſibi vindicat Logica probabilium; Logica tamen probabilium aulæ multo adhuc defectu laborat, ut hoc duce uſus facilius aberret, quam metam contingat.

§. 1041.

De irreſiſtibilitate imperii ſummi.

Imperium ſummum per ſe irreſiſtibile eſt. Etenim qui imperium ſummum habet, ejus actus a nemine hominum irriti reddi poſſunt (§. 45.), & ejus conſcientiæ relinquendum, quomodo imperet, nec is ulli hominum rationem reddere tenetur, cur ſic imperet, non aliter (§. 46.). Nemini igitur competit jus imperanti reſiſtendi (§. 727. *Ontol.* & §. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*), & per conſequens imperium ſummum per ſe irreſiſtibile eſt.

Idem quoque oſtenditur per indirectum hoc modo. Ponamus imperium ſummum eſſe reſiſtibile. Quoniam qui reſiſtit, impedit aut ſaltem impedire conatur, quo minus fiat, quod fieri vult imperans (§. 727. *Ontol.*); actus imperii irriti fieri poſſunt, aut ſaltem alicui hominum, aut certis hominibus competit jus eos irritos efficiendi. Imperium igitur non erit ſummum (§. 45.): quod cum ſit contra hypotheſin, abſurdum eſt.

Irreſiſtibilitas imperii ſummi adeo manifeſta eſt, ut eam in dubium vocare, nedum negare velle nequeat, niſi qui contradictiones manifeſtas concoquere valet: qua ſane nihil abſurdius cogitari poteſt. Maximi autem momenti eſt omnemque attentionem ad ſe trahit, ſi de officiis civium erga ſuperiorem rite ſtatuendum. Hoc igitur cum jam nobis propoſitum ſit, ea præmittenda erat. Nullo autem negotio terminabuntur controverſiæ de jure populi adverſus Rectorem civitatis, magno

Digitized by Google

gno haud raro animorum motu agitatæ, si irresistibilitas imperii summi oculis nostris semper oberrat, prouti ex sequentibus patet.

§. 1042.

Quoniam imperium summum per se irresistibile est (§. 1041.); *populus Rectori civitatis imperium summum habenti, resistere cur vel, si imperium ejus per certas leges fundamentales restrictum est, & quando* cum in hisce, quæ arbitrio ejus subtracta sunt, aut quibus summitas demta est, ad observantiam legum fundamentalium obligetur (§. 77.), *in iis, in quibus summitatem imperii habet, populus resistere non debet.* *Imperanti non liceat.*

Non minus contradictorium est, velle ut aliquis in imperando sit prorsus liber & suum in eo sequatur judicium, & tamen facere nolle, quæ is imperat, sed cogere imperantem, ut faciat, quod populo, qui imperium detulit, videtur, quam imperium esse summum & resistibile. Sane si populus sibi reservat jus in omnes actus imperantis, status popularis non mutatur (§. 164.), & Regis nonnisi nudum nomen erit. Qui Rex dicitur, revera erit nonnisi Magistratus (§. 162.), qui imperium exercere tenetur secundum voluntatem populi. Et tunc non tam exercitium imperii, quam executio ejus, quod populo videtur, ipsi demandata est. Populus in administranda Rep. ministerio saltem Principis utitur. Idem intelligitur, si optimatum juri singuli actus imperantis subsunt.

§. 1043.

Populus Rectori civitatis imperium summum habenti, vel, si imperium per certas leges fundamentales restrictum sit, in iis, in quibus summitatem imperii habet, obligatur ad obedientiam cum patientia, seu non modo bene, sed etiam male imperanti obedire tenetur. Etenim si Rector civitatis imperium summum habet, *De obedientia subditorum.*

Digitized by Google

bet, ſimpliciter imperanti reſiſtere populus non debet; ſi vero imperium per leges fundamentales fuerit reſtrictum, in iis, in quibus ſummitatem imperii habet, reſiſtere non debet (§. 1042.). Quamobrem facere debet, quæ jubet imperans; non facere, quæ vetat, & ipſius unice ſtandum judicio, ſive bene imperet, ſive male, conſequenter tam bene, quam male imperanti obedire tenetur (§. 205. *part. 7. Jur. nat.*), ac ideo ſi male imperent, cum id fortunæ adverſæ tribuendum ſit (§. 540. *part. 1. Theol. nat.*), quod mutari non poteſt, patienter ferendum (§. 593. *part. 1. Jur. nat.*). Populus itaque Rectori civitatis imperium ſummum habenti, vel, ſi imperium per certas leges fundamentales reſtrictum ſit, in iis, quibus ſummitatem imperii debet, ad obedientiam cum patientia obligatur.

Oſtenditur etiam hoc modo. Imperium transferri nequit ea lege, ut populus univerſus recte imperanti parere debeat, male autem imperanti reſiſtere eumque coërcere poſſit (§. 82.), nec id omni translationi ineſt per modum tacitæ exceptionis (§. 83.). Quamvis itaque ea lege translatum intelligatur, ſive abſolutum fuerit, atque ſummum, ſive quomodocunque limitatum, ut non exerceatur niſi ſaluti publicæ convenienter (§. 88.), ipſius tamen judicio relinquitur, quid e re civitatis ſit, & in eo ſe acquieſcere velle populus imperium deferens declarat, niſi quatenus in nonnullis ad certarum legum obſervantiam ſuperiorem adſtringit (§. 74.). Quamobrem ſi imperium ſummum habet Rector civitatis absque ulla limitatione & reſtrictione, in omnibus ſimpliciter, in caſu oppoſito in iis, in quibus ſummitatem imperii habet, absque ulla exceptione obediendum, ac per conſequens ſi male imperet id inter adverſa referendum, quæ

Digitized by Google

quæ patienter ferenda, quia mutari non possunt (§. 539. *part. I. Jur. nat.*). Populus itaque summum imperium habenti simpliciter, limitatum vero habenti in iis, in quibus summitatem imperii habet, ad obedientiam cum patientia obligatur.

Durum equidem videtur nonnullis jugum hoc imponere velle populo; sed ut taceam, populum seipsum ad istiusmodi obedientiam sese obligasse, dum inter se convenerunt in civitatem coëuntes, quod parti majori visum fuerit, id habendum esse pro totius populi voluntate (§. 157.), consequenter etiam pro voluntate sua, quod visum fuerit ei, in quem imperium absolutum & summum transtulerunt, quæ dura videntur interventu meliorum compensantur. Neque enim multo acumine opus est, ut videas, præstare sub malo regimine vivere, quam in statu naturali, in quo singulis momentis res nostræ rapinis, & ipsa vita cædi exponuntur. Ceterum jus Regis, quale sit, si imperium seu potestas absoluta & summa in licentiam vertatur, Hebræis dudum inculcavit Samuel, cum Regem sibi constitui vellent 1. Sam. VIII. 11. & seqq. Alios, inquit, vestros tollet & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum. Et constituet sibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias & focarias, & panificas. Agros quoque vestros & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis. Sed & segetes vestras & vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis suis: servos etiam vestros & ancillas, & juvenes optimos & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi. Describit vero etiam obedientiam cum patientia, qualis ea sit, dum addit: Clamabitis in die illa a facie Regis vestri, quem elegistis vobis. Considerandum præterea est, quam difficile sit bene imperare, & quando male imperatur, id non omne imputari posse Rectori civi-

Digitized by Google

tatis (*not.* §. 1040.), nec humano consilio evitari posse, quæ fortunæ potestati subsunt. Neque etiam certo affirmari potest, si male imperatur, alia forma regiminis incommoda omnia evitari potuisse. Dudum enim observatum est, non sine magna injuria ullam regi Remp. Is nimirum hominum mos est, ut incommoda quidem præsentis regiminis, quæ sentiunt, intueantur, animum vero avertant ab iis, quibus premerentur, si alia esset Reip. forma.

§. 1044.

Quando non sit obediendum.

Si superior imperat legi naturæ repugnantia; obediendum non est. Etenim obligatio, quæ a lege naturæ venit, immutabilis & necessaria est (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ac per consequens superior subditos ab ea liberare nequit, nec hi se eidem subjici potuerunt, nisi cum tacita hac exceptione, quod obedire nolint, si imperet, quæ legi naturæ repugnant. Quodsi ergo imperet legi naturæ repugnantia, obediendum non est.

Naturaliter obligamur ad non obediendum superiori, ea imperanti, quæ juri naturæ repugnant, neque eidem nos obligare potuimus ad obediendum (§. 494. 491. *part. 3. Jur. nat.*). Non est quod excipias, quod male imperare etiam sit legi naturæ adversum, vi cujus imperans ad bene imperandum, seu Remp. bene regendam obligatur (§. 995.). Aliud enim est facere legi naturæ adversa, aliud tolerare injuriam factam ab eo, qui legi naturæ adversa committit & cui resisti non potest. Injuriarum tolerantia non est contra jus naturæ, sed haud raro, sicuti & in præsenti casu eidem convenit.

§. 1045.

De poenis injustis.

Quoniam superiori legi naturæ repugnantia imperanti obediendum non est (§. 1044.); *si superior facere nolentem, quod lege naturali prohibitum, vel non facere recusantem, quod eadem lege*

lege præceptum, poenis afficere audeat, id cum sit inter adversa referendum, quæ mutari non possunt (§. 1042.), *patienter ferendum* (§. 593. *part. 1. Jur. nat.*).

Injustæ sunt poenæ eorum, qui ideo puniuntur, quia peccare nolunt. Præstat tamen poenam injustam pati, quam peccare, etsi pati durum sit. Exemplo sunt martyres, qui tormenta quævis & ipsum denique ultimum supplicium pati maluerunt, quam idolis sacrificare. Fortunæ adversæ tribuendum, si quis in has angustias adducitur, perinde ac si in manus prædonum atque latronum incidit, quorum vi injustæ resistere nequit. Hic impotentia physica, ibi moralis, quæ in moralibus physicæ æquiparatur, necessitatem quævis mala patiendi imponit. Adversus vim majorem vero non aliud datur præsidium quam patientia.

§. 1046.

Si imperentur legibus fundamentalibus adversa

Si superior imperat legibus fundamentalibus adversa; subditi obedire non obligantur; obedire tamen licet. Quoniam enim adstringitur ad legem fundamentalium observantiam (§. 77.); imperium ipsi delatum est cum hac exceptione, quod populus obedire nolit, si quid imperet, quod legibus fundamentalibus sit adversum. Quare cum superior populum sibi obligare non possit ultra voluntatem suam (§. 43.); si imperat legibus fundamentalibus adversa, subditi eidem obedire non obligantur. *Quod erat unum.*

Enimvero cum a populi voluntate unice dependeat, num imperium in superiorem certa quadam lege transferre velit, an absque ulla lege (§. 38.); si sub certa lege transtulit, ipsi jus est ad non obediendum, quando eidem adversa imperat. Quoniam vero quilibet jus suum remittere potest (§. 117. *part. 1. Jur. nat.*), ad non obediendum non obligatur

Digitized by Google

gatur (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter ipsi liberum est obedire, vel non obedire, ac ideo obedire licet. *Quod erat alterum.*

Alia longe ratio est, si superior imperat legi naturæ, quam si imperat legi fundamentali adversa. Leges enim fundamentales voluntate populi constituuntur, non autem leges naturæ, quæ ipsa natura constituta sunt. Illas vel prorsus tollere, vel saltem quoad actum præsentem, id quod dispensationis speciem habet (§. 823.), arbitrii populi est; has vero non tollere non item. Quemadmodum vero multa sunt, quæ suadent, ut jure nostro non utamur; ita nec desunt causæ suasoriæ, cur imperanti ea, quæ contra leges fundamentales sunt, potius obediatur, quam non obediatur. Sed eæ expendendæ sunt in Politica.

§. 1047.

De superiore in jus populi involante.

Si superior involat in jus populo, vel optimatibus reservatum; injuriam populo facit, & illi resistere eumque coërcere licet. Etenim si populus certa quædam jura ad imperium spectantia sibi, vel optimatibus reservavit; superior in ea involans jus populi violat (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), idque perfectum (§. 908. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum violatio juris perfecti alterius injuria sit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); si superior involat in jus populo, vel optimatibus reservatum, injuriam populo facit. *Quod erat unum.*

Enimvero cum alterum lædat, qui quid facit quod est contra jus ipsius (§. 920. *part. 1. Jur. nat.*), homini autem competat jus non patiendi perfectum, ut alius ipsum lædat (§. 913. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter jus ipsius violantem cogere potest, ne faciat (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*); si superior involat in jus populo, aut optimatibus reserva-

Digitized by Google

reservatum, injuriam populo facit, & illi resistere eumque coërcere potest. *Quod erat alterum.*

Si jus quoddam populus sibi, vel optimatibus reservat, quoad hoc jus Rector civitatis non est populo superior. Nulla igitur est exceptio, inferioris non esse cogere superiorem, sed qui alterum cogere possit superiorem eo esse debere: id quod fallere, etiam inde patet, quod in statu naturali homines omnes æquales sint (§. 81. *part. 1. Jur. nat.*), hoc tamen non obstante unus alterum cogere possit ad tribuendum sibi jus suum (§. 1101. *part. 1. Jur. nat.*), ut ideo cogere non semper sit superioris.

§. 1048.

De superiore magnificiendo.

Subditi Rectorem civitatis, seu superiorem magnificere debent tantoque magis, si bene imperet. Quodsi ea perpendamus, quæ de Rep. constituenda uberrime dicta sunt, abunde patet, quantum de Rep. mereatur, qui eandem regit & regendo conservat, consequenter Rector civitatis (§. 42. *h.* & §. 218. *part. 7. Jur. nat.*). Immo non multo acumine opus est, ut perspicias, quod antea annotavimus (*not.* §. 1043.), præstare sub malo regimine vivere, quam in statu naturali, in quo singulis momentis res nostræ rapinis & ipsa vita cædi exponitur. Quamobrem cum unusquisque alterum tanti existimare debeat, quanti meretur (§. 647. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter ob ista merita eundem aliis præferre, quorum non sunt ea merita, ac ideo magnificere (§. 839. *part. 1. Jur. nat.*); subditi Rectorem civitatis, seu superiorem magnificere debent, tantoque magis, si bene imperet.

Resp. non demum hodie constituuntur, sed dudum constitutæ sunt. Unde in regimen Reip. multum influit ipsa ejus constitutio, ut, si vel male imperet Rector civitatis, hoc tamen non obstante non tollantur bona, quæ ex ipsa Reip. con-

Digitized by Google

ſtitutione in ſingulos redundant. Accedit, quod Rector civitatis eandem contineat, nè dilabatur, & ſinguli incidant in ea mala, quorum evitandorum cauſa civitates primum conſtitutæ. Vix itaque ſuperior adeo male imperare poteſt, quin multis adhuc modis de ſubditis mereatur, niſi inſtar crudeliſſimi tyranni in propria viſcera ſæviat & internecionem populi intendat: qui tamen caſus rariſſime dabilis. Quamobrem nemo miretur, quod in genere dicamus, ſuperiorem magni eſſe faciendum, non attento diſcrimine inter bonum & malum regimen. Quemadmodum vero nemo negaverit, majoris eſſe faciendum eum, qui bene, quam qui male imperat; ita quoque probe conſiderandum, non omnia, quæ malo regimini tribuenda, ſuperiori imputari poſſe, cum longe plurima ſint, in quibus aliis fidere tenetur & vel ab iis circumvenitur, quos maxime fideles putat (*not.* §. 1040.). Hæc igitur minime obſtant, quo minus ipſum magnifaciamus, cujus optima voluntas parit exiſtimationem. Munus imperantis per ſe tale eſt, ob quod magni faciendus. Quodſi itaque eodem bene fungatur, duplici nomine magnifaciendus.

De reverentia ſuperiori debita.

§. 1049.

Quoniam magnificatio actibus externis declarata reverentia eſt (§. 1182. *part. 1. Jur. nat.*), ſubditi vero Rectorem civitatis, ſeu ſuperiorem magnifacere debent (§. 1048.); *Subditi Rectori civitatis, ſeu ſuperiori reverentiam debent*, & quoniam actus externi, quibus magnificatio declaratur, ſunt ſigna actuum internorum in animo latentium, pro lubitu determinanda (§. 958. *Ontol.*), *in Rep. actus externi determinari debent, quibus reverentia ſuperiori debita exhibenda.*

Variant in eo gentium mores, prouti unaquæque exiſtimavit, tali modo optime ſignificari poſſe, quod agnoſcamus, quanto ſimus ipſo inferiores. Vulgus non capit, ob quod ſuperior magnifieri debet, atque ideo totum in cultu externo hæret, qui eidem exhibetur, & ex eo colligit ſuperioris ſupra omnes

Digitized by Google

omnes elationem ac ceterorum omnium submissionem, quamvis non intelligat, cur supra omnes efferratur ac ceteri omnes eidem submittantur. Externus itaque cultus iste, quo summa submissio declaratur, tantæ necessitatis est, ut gens nulla fuerit tam barbara, quæ de eodem non cogitaverit. Difficultatem facessere non debet universalitas propositionis præsentis, quod in statu populari populus universus sit superior (§. 142.): etenim in statu populari singuli quoque reverentiam debent universo populo, qua universo, etsi ea differat ab illa, quæ Principi, vel optimatibus in Aristocratia exhibetur, cum majestas, si sit penes unum, majorem dignitatem eidem conciliet, quam si ea pluribus conjunctim, aut universo prorsus populo competat (*not.* §. 208.).

§. 1050.

Supplicare dicitur, qui cum reverentia precatur, ut quid fiat, vel non fiat. Quoniam itaque motivis opus est, ut quis facere velit, vel nolit (§. 889. *Psych. empir.*); *supplicanti licet rationes, ob quas aliquid fieri, aut non fieri debeat, demisse exponere* (§. 887. *Psych. empir.* & §. 1182. *part. 1. Jur. nat.*). *Supplicare quid significet.*

Equidem reverentiam talem definivimus (§. 1182. *part. 1. Jur. nat.*), quam Deo exhibere debemus; quoniam tamen post Deum proximo loco sunt Rectores civitatis, quos ideo Scriptura sacra Deos appellat, significatus vocabuli facile ad illos extenditur, ut ideo non opus fuerit, reverentiam Rectori civitatis exhibendam denuo definire.

§. 1051.

Superiore imperante, quod nimis durum, vel iniquum videatur, subditis supplicare & cur ita videatur demississime exponere licet. Fieri enim potest, ut superior, vel ii, qui consilium dant, non satis norint ea, ob quæ quod imperatur nimis durum *Num subditis supplicare liceat superiore nimis dura,*

Digitized by Google

vel iniqua imperante.

rum, vel iniquum sit. Quamobrem cum bene regere debeat Remp. (§. 995.), & operam dare, ut statum civitatis intime perspectum habeat (§. 1038.), adeoque bene eandem regere velle præsumatur; velle non præsumitur, quod nimis durum, vel iniquum est, aliter decreturus, siquidem omnia ipsi satis cognita & perspecta essent. Quamobrem subditis competit jus precandi, cur quod fieri non debere, vel quod fieri debere imperat, non fieri, aut fieri debeat, cumque eidem a subditis reverentia debeatur (§. 1049.), iis non competit jus precandi nisi cum reverentia. Quoniam itaque supplicat, qui cum reverentia precatur, ut quid fiat, vel non fiat (§. 1050.), & supplicanti licet rationes, ob quas aliquid fieri, aut non fieri debeat, demisse exponere (§. *cit.*); superiore imperante, quod nimis durum, vel iniquum videtur, subditis supplicare & cur ita videatur demisse exponere licet.

Quoniam superior subditis obligatur ad Remp. bene regendam (§. 995.); inde nascitur jus supplicandi: quod ideo ipsis denegari citra injuriam non potest (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Superioris autem judicio submittendum, utrum rationes, quæ allegantur, sint ad mutandum voluntatem suam sufficientes, nec ne (§. 46.).

§. 1052.

De supplicatione non attenta.

Si superior supplicantium precibus non annuat, etsi revera quod nimis durum, vel iniquum est imperet; subditi obedire tenentur. Etenim subditi superiori obligantur ad obedientiam cum patientia (§. 1043.), consequenter si imperat, quod ipsis durum est, vel quod iniquum est, nec ad voluntatem suam mutandum precibus supplicantium adduci possit, quamvis satis informatus (§. 1050.), adhuc tamen obedire tenentur.

Bonus

Digitized by Google

Bonus Princeps faciles præbet supplicantibus aures, & excussis rationibus, quas allegant, non dubitat mutare voluntatem suam. Sane primi Sinensium Imperatores, quibus nihil magis curæ cordique erat quam bonum regimen; in tabula publice proposita a quolibet scribi permittebant, quid in regimine suo minus rectum videatur, ut Remp. bene constituerent. Cum Rector civitatis summitatem imperii non debeat confundere cum potestate arbitraria (§. 1011.); summitati ejus nihil detrahitur, si meliora edoctus voluntatem suam mutet. Vera ipsius gloria non a summitate imperii, sed a bono regimine dependet, quod supponit, ut status civitatis ipsi intime sit perspectus, & ne fiducia consiliariorum suorum, quæ ipsum tenet, eorum libidini exponatur. E. gr. si Princeps nova tributa imponit, quæ nimis gravant subditos; his supplicare licet, ut ab hoc onere liberentur. Quodsi tamen is hoc facere nolit, in voluntate ejusdem acquiescentibus onus hoc patienter ferendum, non ex necessitate, quatenus physice impossibile, ut vi majori resistatur, sed cum sensu officii, quatenus ad patientiam obligantur (§. 1043.).

§. 1053.

Magistratibus non competit jus resistendi injuriis ejus, cujus summum est imperium; sed saltem jus supplicandi. Etenim cum magistratibus partes saltem quædam imperii exercendæ committantur a superiore (§. 162.), & in imperio administrando eorum ministerio saltem utatur imperans (§. 163.); non plus juris habent, quam quod ipsis a superiore concessum. Quamobrem cum omnis gubernandi facultas, quæ est in magistratibus, summæ potestati ita subjiciatur, ut ea quoad singulos actus dependeat a voluntate superioris, cujus nomine faciunt, quicquid faciunt (§. 162.); nullum quoque ipsis competit jus resistendi superiori, sed perinde ac illi, quibus præficiuntur, ad obedientiam cum patientia ob-

Quale jus competat Magistratibus, si male imperet superior.

Digitized by Google

ligantur, ſiquidem male imperet (§. 1101.). Nullum itaque magiſtratibus competit jus reſiſtendi injuriis ejus, cujus ſummum eſt imperium. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen ſuperiore imperante, quod nimis durum, vel iniquum videtur, ſubditis ſupplicare & cur ita videatur demiſſiſſime exponere licet (§. 1051.), magiſtratus autem curam gerere debent eorum, quibus a ſuperiore præficiuntur (§. 962. 995.); jus ſupplicandi horum nomine, ſeu pro his ipſis competit. *Quod erat alterum.*

Sunt qui exiſtimant, magiſtratibus competere jus tueri jura eorum, quibus ſunt præfecti. Ac inde inferunt, iis competere jus reſiſtendi injuriis ejus, cujus ſummum eſt imperium. Enimvero hi confundunt, quæ a ſe invicem diſcernenda ſunt. Confundunt nimirum imperium ſummum cum limitato, quorum iſtud per ſe irreſiſtibile eſt (§. 1041.), hoc autem quoad certos actus, vel etiam jura populi, aut quorundam e populo voluntati ſubeſt (§. 1047.). Confundunt quoque magiſtratus ab eo conſtitutos, qui ſummum imperium habent, cum magiſtratibus per leges fundamentales conſtituendis, quibus per easdem competit jus tuendi jus populo, vel optimatibus reſervarum. Confundunt denique perſonas publicas, quæ tales ſunt reſpectu eorum, qui ipſis ſunt ſubjecti, privatæ autem manent reſpectu ejus, qui alios ipſis ſubjecit certa lege, cum perſonis publicis, quæ ſuperiorem ſupra ſe non habent, qualis eſt Rex in regno, & quales optimates ſunt in Ariſtocratia. Probe nimirum conſiderandum eſt, utrum qui magiſtratus audit habeat jus a voluntate Rectoris civitatis dependens, an vero jus ab eadem minime dependens, quale habere nequit, niſi certa jura, vel certi actus ad imperium civile ſpectantes populo ſint reſervati, aut ad certorum quorundam conſenſum reſtricti.

§. 1054.

Digitized by Google

§. 1054.

Si Principes, qui sub populo sunt, in leges fundamentales & Remp. peccant; populus iisdem vi resistere potest. Etenim si Principes sub populo sunt, summitas imperii non penes ipsos, sed penes populum est. Quamobrem cum ipsi imperium aliter exercere nequeant, nisi secundum leges fundamentales (§. 77.) & bono publico convenienter (§. 88); si in leges fundamentales & Remp. peccant, populus iisdem vi resistere potest. *De Principibus qui populo subsunt.*

Reges populo subsunt vel vigore primæ electionis, vel per pacta cum populo inita. In priori casu populus sibi reservavit jus in actus Regis, quod cum violatur, injuriæ sibi faciendæ (§ 859. *part. 1. Jur. nat.*) resistere & jus suum vi defendere potest. In casu posteriori jus in actus Regis ex pacto acquisivit populus, quod cum sit servandum (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), perinde ac ante injuriæ resistere ac jus suum vi defendere populus potest. Exemplum subjectionis per pacta habemus in *Barcsajo*, Transsylvaniæ Principe, qui promittebat, se nec ab Ottomannica Porta, nec a quopiam auxilia soliciturum, quin potius absolutis ab homagio sibi præstito universis regni statibus, quicquid illi in comitiis proxime celebrandis concluderent, se assensurum juramento confirmabat. Vid. *Betlenius* rerum Transsylv. lib. 3. sect. 12. Huc pertinet, quod olim Reges Scotorum morte, vinculis, exilio puniti, & Scoti eo jure sibi Reges creaverint, ut imperium populi suffragiis eis mandatum, si res poscceret, eisdem suffragiis adimi posset. Vid. *Thuanus* lib. 50. p. 1044.

§. 1055.

Si Rector civitatis imperium abdicavit, in eum post id tempus omnia licent, quæ in privatum. Etenim si imperium abdicat, nihil amplius juris, quod Rectori civitatis compe- *De imperio abdicato.*

Digitized by Google

tit, habet (§. 115. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter cum a privatis non distinguatur nisi per jura majestatica (§. 70. *part. 1. Jur. nat.* & §. 810. *h.*), privatus & ipse fit. In eum igitur, postquam imperium abdicavit, omnia licent, quæ in privatum.

Nimirum qui imperium abdicavit, eidem vim inferenti resisti potest eodem modo, quo resistere licet privato alii cuicunque: neque enim inter ipsum & privatum alium ulla est differentia, quam solum fecerat imperium. Hinc apud *Justinum* lib. 16. c. 2. legitur: Pater regno publice tradito privatus officium Regi inter satellites faciebat.

§. 1056.

De regno derelicto. Quoniam perinde est, sive quis regnum abdicet, sive derelinquat, cum derelictio sit tacita abdicatio (§. 249. *part. 2.* & §. 115. *part. 3. Jur. nat.*), in eum autem, qui imperium abdicavit, post id tempus omnia licent, quæ in privatum (§. 1055.); *si Rector civitatis imperium derelinquit, in eum post id tempus omnia licent, quæ in privatum.*

Non est quod existimes, casum non esse dabilem, ut quis regnum derelinquat, quamvis regni derelictio inter ea referenda, quæ rarius contingunt. Exemplum habemus in *Henrico III*, qui audita morte fratris *Caroli IX.* clam Cracovia se subduxit A. 1574. Vid. *Thuanus* lib. 16. Bene tamen monet *Grotius* lib. I. c. 4. §. 9. qui imperium negligenter administrat, eum minime censendum esse id pro derelicto habere. Qui enim rem negligenter tractat, eam tamen adhuc vult esse suam.

§. 1057.

De regno patrimoniali alienato. Similiter cum perinde sit, sive Rex, qui regnum in patrimonio habet, idem abdicet, sive alienet, aut alii subjiciat,

Digitized by Google

ciat, cum in utroque casu regnum amittat, consequenter privatus fiat; si *Rex, qui regnum in patrimonio habet, idem alienet, aut alii subjiciat, in eum post id tempus omnia licent, quæ in privatum* (§. 1055. 1056.).

§. 1058.

Si Rex usufructuarius imperium alienet; actus ipso jure nullus est: quodsi vero id tradere moliatur, eidem vi resisti potest.

Quodsi enim regnum fuerit usufructuarium, Rex imperium saltem in usufructu habet (§. 155.), consequenter de ipso imperio, seu substantia ejus nihil prorsus disponere potest (§. 1420. *part. 5. Jur. nat.*). Quoniam itaque ipsi non competit jus regnum alienandi (§. 663. *part. 2. Jur. nat.*), si alienet, actus sine jure factus ipso jure nullus est. *Quod erat unum.*

Enimvero si hoc non obstante regnum tradere moliatur, in jus populi involat. Quamobrem cum superiori resistere liceat, si in jus populi involat (§. 1047.); si Rex usufructuarius regnum a se alienatum tradere moliatur, vi eidem resistere licet. *Quod erat alterum.*

Existere hic casus potest, si in regno electivo imperium tradere velit Rex filio, vel agnato, aut amico cuidam suo; vel si idem moliatur in regno successorio sive in præjudicium successoris legitimi, sive si fuerit ultimus in familia regia. Modus habendi imperium non continetur in imperio, quod etsi plenum, absolutum ac summum sit penes Regem, istamen nihil de modo habendi imperium invito populo, vel contra leges fundamentales disponere, nec in eo quicquam mutare potest.

Digitized by Google

§. 1059.

De effectu alienationis istius.

Si Rex usufructuarius imperium alienet; ipse regnum non amittit. Etenim si imperium alienet, actus ipso jure nullus est (§. 1058.). Enimvero ex eo, quod quis inutiliter agat, minime sequitur, quod jus suum, quod alienare non potest, amittat. Quamobrem nec Rex usufructuarius imperium alienans regnum propterea amittit.

Ponamus e. gr. in Regno electivo Regem imperium alienare in filium, seu eum declarare successorem suum. Nulliter agit, & quamdiu regnum tradere filio non molitur, populus vi resistere nequit, quippe cui nascitur nullum præjudicium ex actu in se nullo, salvo manente jure electionis, quando post mortem Regis imperium in populum recidit (§. 314.). Nulla igitur ratio est, cur regnum amittere debeat Rex, nisi in delatione imperii expresse fuerit dictum, ut regnum committatur, si id alienare velit: id quod dictum esse hic non supponitur. Dubium, quod nonnulli ex Jure Romano urgent, mere civile est, nec hic attendi meretur.

§. 1060.

De Rege, qui in exitium totius populi animo hostili fertur.

Si Rex vere hostili animo in totius populi exitium feratur, regnum amittit & populus vi eidem resistere potest. Etenim omnis Rector civitatis, quacunque lege imperium in eum fuerit translatum, obligatur ad faciendum ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur, & ad non faciendum ea, quæ eidem adversantur (§. 84.). Quodsi ergo animo vere hostili in totius populi exitium feratur, personam Regis exuit (§. 70. *part. I. Jur. nat.*), ac propterea cum Rex non amplius censeatur regnum amittit, consequenter perinde ac Rex qui regnum abdicavit, vel dereliquit, privatus fit & in eum licent omnia, quæ in privatum (§. 1055. 1056.). Quamobrem cum natura homini competat jus

Digitized by Google

jus se defendendi (§. 973. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter lædere intendenti aut conanti resistendi (§. 972. *part. 1. Jur. nat.*) & eum cogendi, ne faciat (§. 914. *part. 1. Jur. nat.*); si Rex vere hostili animo in totius populi exitium feratur, vi eidem resistere populus potest.

Sunt qui existimant in Rege mentis compote accidere non posse, ut is degeneret in manifestum populi hostem, mactando cives innocentes & populum ad incitas redigendo ex sola sæviendi libidine. Et ipse *Grotius* l. 1. c. 4. §. 11. casum hunc restringit ad Regem, qui pluribus populis imperat & in unius gratiam alterum perdere vult, ut colonias ibi faciat. Enimvero quamvis istiusmodi monstra sint rariora, immo rarissima; negari tamen non potest, impossibile non esse ut dentur. Exemplum habemus in *Nerone*, quem *Suetonio* referente, senatus hostem judicavit & puniendum decrevit. Recte autem legati Scotorum apud *Thuanum* lib. 50. monuerunt, non esse audiendos eos, qui tyrannorum castigatione bonorum Regum auctoritatem imminui, & majestatem vilescere juxta imprudenter & adulatorie blaterant. Nec per hoc tollitur obedientia cum patientia, ad quam subditi obligantur (§. 1043.). Aliud enim est male imperare, aliud populum perdere & ad incitas redigere velle ex sola sæviendi libidine. Qui male imperant, potestatem summam in potentiam arbitrariam convertent, suam utilitatem quærunt cum detrimento populi: ast propterea minime eundem extirpare aut prorsus perdere volunt. Neque enim ipsos sævitia propter seipsam delectat.

§. 1061.

Si regnum committatur sive ex felonia in eum, cujus est feudum, sive ex clausula in ipsa delatione imperii posita, ut, si commisso ex Rex hoc aut hoc faciat, subditi omni obedientiæ vinculo solvantur; felonia, vel Rex in personam privatam recidit. Quacunque enim de causa Regnum amittit, Rex esse desinit (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*), *clausula* consequentia.

Digitized by Google

consequenter privatus fit. Quamobrem si regnum amittat sive ex felonia, siquidem fuerit infeudatum, sive ex clausula commissoria in delatione imperii posita; in personam quoque privatam recidit.

Facile autem patet in casu priori non subditis competere jus sumendi arma, sed eos recurrere debere ad dominum feudi, cujus res agitur. Ast in casu posteriori populo jus est resistendi, qui clausulam commissoriam in delatione imperii posuit. Exemplum istiusmodi clausulæ commissoriæ adjectæ habemus in coronatione *Stephani* Polonorum Regis apud *Thuanum* lib. 62. qui refert *Stephanum* juramentum interposuisse de religiose servandis juribus, libertatibus & privilegiis a Regibus prædecessoribus sacramento confirmatis, addito, siquidem ea ulla in parte violaret, ut ab omni jure, quod in regno habet, excideret, & proceres a fide & obedientia, quam ei ut legitimo Regi debent, solverentur.

§. 1062.

De clausula, ut sub certo eventu resisti Regi possit; casu existente resistere licet.

Si in delatione imperii dictum sit, ut certo eventu resisti possit; casu existente resistere licet. Quoniam enim pacta servanda sunt (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*); si populus in delatione imperii sibi reservavit jus certo eventu resistendi, eodem quoque casu existente uti potest, consequenter resistere licet.

Differt hoc a clausula commissoria, de qua dictum (§. 1061.). Ibi enim supponitur factum Regis, in quod populus sibi jus reservat: hic vero intelligitur tum casus fortuitus, qui Regi accidit, vel negotium quoddam, quod quidem ab arbitrio ipsius pendet, per se tamen ad exercitium imperii non spectat. Exemplum in casu priori est, quod olim Burgundis fas erat rejicere principem, si eo regnante publica forsan calamitas ingrueret; in casu autem posteriori, si dicatur regnum amitti

Digitized by Google

amitti debere, ubi aliam, quam patriam religionem Rex amplectatur, vel si in conjugem accipiat Regis cujusdam externi filiam.

§. 1063.

Nemo civium quicquam facere debet, quod est contra jura majestatica. Etenim nemo quicquam facere debet, quod est contra jus alterius (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem nec quicquam faciendum est contra jus ejus, qui summum in civitate imperium habet. Quoniam itaque jura majestatica sunt, quæ ad summum imperium pertinent (§. 207.); nemo civium quicquam facere debet, quod est contra jura majestatica.

De jurium majestatico-eum invio-labilitate.

Obligatio hæc naturalis est, cum ex principiis Juris naturæ demonstretur. Qui ergo quid facere audet, quod est contra jura majestatica, is contra legem naturæ hoc facit.

§. 1064.

Quoniam nemo civium quicquam facere debet, quod est contra jura majestatica (§. 1063.), contra jus alterius vero fit id, quo idem vel tollitur, vel diminuitur, vel usus ejus quomodocunque impeditur (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *nemo civium quicquam committere, vel machinari debet adversus eum, qui jura majestatica in civitate, consequenter imperium summum habet* (§. 207.), *quo jus aliquod majestaticum, vel totum imperium summum, eidem vel aufertur, vel diminuitur, vel usus ejus quomodocunque impeditur*, ac per consequens *nihil moliri debet, quod ad Reip. eversionem & labefactationem ac Rectoris civitatis interitum tendit.*

Specialius declaratur.

Quoniam jura majestatica varia sunt, quemadmodum ex superioribus patet (§. 811. *& seqq.*); plurima quoque sunt facta,

Digitized by Google

facta, quibus jura majeſtatica violantur, & per conſequens injuria committitur in perſonam ejus, quæ eadem habet, ſeu Rectorem civitatis (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Rectoris enim civitatis qua talis perſona per jura majeſtica determinatur (§ 70. *part. 1. Jur. nat*), ſeu Rector civitatis ideo eſt, quia hæc ſunt ipſius jura. Facta tamen iſta omnia non ſunt ejusdem valoris, ſed alia aliis magis, alia minus injuria ſunt. Injuriæ igitur Rectori civitatis qua tali illatæ non ſunt ejusdem gradus. Facile autem patet, majorem ea concipi non poſſe, qua Rector civitatis vel vita, vel imperio privatur, cum hoc modo tollatur omne jus ejus.

§. 1065.

Crimen læſæ majeſtatis quid ſit.

Crimen læſæ majeſtatis dicitur factum, quo quid adverſus jura majeſtatica, & per conſequens adverſus perſonam ejus, qui imperium ſummum habet committitur. Unde patet, *crimen læſæ majeſtatis committi, ſi quis adverſus eum, qui jura majeſtatica, vel imperium ſummum habet, quidpiam molitur, quo jus aliquod majeſtaticum, vel totum imperium ſummum eidem vel aufertur, vel diminuitur, vel uſus ejus quomodocunque impeditur*, ac per conſequens *quod ad everſionem atque labefactationem Reip. ac Rectoris civitatis interitum tendit.*

Dignitas ejus, penes quem ſummum imperium indiviſum eſt, majeſtas dicitur (§. 206.). Lædit autem eandem, qui quid facit, quod eſt contra jus quoddam ad ſummum imperium pertinens (§. 920. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi imperium ſummum fuerit penes populum, eadem eſt populi univerſi dignitas, quæ monarchæ in monarchia, vel collegii optimatum in Ariſtocratia. Unde ſi quid fit contra jura majeſtatica in ſtatu populari, vel ariſtocratico, non minus læditur majeſtas, quam ſi tale quid ſit in ſtatu monarchico. Ac idem patet in Rep. mixta, in quo ſummitas imperii totius, vel quoad omnes actus non eſt penes perſonam unam. Patet autem, ut

ante

Digitized by Google

ante (*not.* §. 1064.), crimen læsæ majestatis omne non esse ejusdem valoris, sed aliud majus, aliud minus esse, maximum autem omnium, quo Rector civitatis vel vita privatur, vel imperio exuitur, aut integræ Reip. eversio & exitium intenditur.

§. 1066.

Quoniam crimen læsæ majestatis committitur, si quis adversus eum, qui jura majestatica, vel imperium summum habet, quidpiam molitur, quo jus aliquod majestaticum, vel totum imperium summum, eidem vel aufertur, vel diminuitur, vel usus ejus quomodocunque impeditur, ac per consequens quod ad eversionem atque labefactationem Reip. ac Rectoris civitatis interitum tendit (§. 1065.), istiusmodi autem facta omnia lege naturali prohibita (§. 1064.); *crimen omne læsæ majestatis lege naturali prohibitum*, consequenter *contra jus naturæ est*, & quoniam universitati competit jus puniendi eum, qui ipsam læsit (§. 579.), consequenter quicquid facit, quod contra jura majestatica & imperium summum est (§. 920. *part. 1. Jur. nat.*), *populo* quoque *originarie* (§. 33.) & *Rectori civitatis*, qui jus populi habet (§. 42.); *competit jus puniendi eum, qui crimen læsæ majestatis committit.* Quoniam tamen non omne crimen læsæ majestatis ejusdem gradus est (§. 625. 1065.), crimina autem graviora poenis quoque gravioribus coërcenda (§. 626.); *non omne crimen læsæ majestatis eodem modo puniri potest.*

An sit contra jus naturæ & de poena ejus.

Poenæ lege naturæ determinatæ non sunt, sed ea saltem præscribit, quænam in ea determinanda sint observanda (§. 626. *& seqq.*). Civiles igitur cum sint, de iis in Jure naturæ nihil in specie definiendum. Apud omnes gentes, immo gentem eandem omni tempore eædem non sunt, nec esse possunt, prouti patet ex iis, quæ in genere lex naturæ præscribit.

Digitized by Google

§. 1067.

De crimine perduellionis.

Perduellio, seu *Crimen perduellionis* vocatur crimen læsæ majestatis, quod quis adversus ipsam personam Rectoris civitatis committit, vita vel imperio eundem privaturus, vel Remp. evertere, aut labefactare conatur. Idiomate patrio dicitur der Hochverrath. Unde *crimen perduellionis non minus in democratia, seu statu populari, aristocratia & quacunque Rep. mixta, quam in monarchia committi potest.*

Ab hoc crimine parum distat sævitia nimia Regis, qui vere hostili animo in totius populi exitium fertur (§. 1060.). Non est quod nomen Regis nebulam offundat menti. Etenim si hoc facit, Rex esse desinit (§. *cit.*), ac per consequens in personam privatam ipse recidit, ac revera status sit popularis, in quo crimen perduellionis committi posse nemo est qui dubitet. Hinc Senatus Romanus *Neronem* hostem judicavit & quærendum esse, ut puniatur more majorum, prout refert *Suetonius* in Nerone c. 49.

§. 1068.

De ejusdem poena.

Quoniam crimen perduellionis omnium criminum læsæ majestatis gravissimum (§. 1066. 1067.), crimina autem graviora gravioribus poenis coërcenda (§. 626.); *crimen perduellionis gravissimis poenis coërcendum.*

Hinc *Carolus V.* in Constitutione criminali art. 124. poenam hujus criminis determinat dissectionem in quatuor partes, quam etiam augeri vult, ut malefici trahæ impositi ad locum supplicii trahantur & in via forcipibus candentibus adurantur, & bona eorum confiscentur artic. 218.

§. 1069.

Digitized by Google

§. 1069.

Perduellium liberi & cognati puniri non possunt; auferri tamen ipsis potest, in quod jus proprium non ipsis, sed populo, aut Regi est. Etenim liberi puniri non possunt ob malefacta parentum, nec cognati ob maleficia cognatorum (§. 665.). Quamobrem nec puniri possunt perduellium liberi & cognati ob crimen perduellionis a patre, vel cognato comissum. *Quod erat unum.*

An liberi & cognati perduellium sint puniendi.

Quoniam tamen ob crimen parentum liberis auferri potest id, in quod jus proprium non ipsis, sed populo aut Regi est (§. 667.), id autem fieri non debet nisi gravissima sint crimina (§. 668.), & crimen perduellionis gravissimum utique crimen sit (§. 1066. 1067.), idem denique etiam facile intelligitur de cognatis ejus, qui crimen admisit; liberis perduellium & cognatis auferri potest, in quod jus proprium non ipsis, sed populo, aut Regi est. *Quod erat alterum.*

Quænam talia sint, ut perduellium liberis & cognatis auferri possint in perduellium poenam, superius jam commemoravimus (*not.* §. 667.). Injusta erat lex Persarum & Macedonum, quæ non solum perduellium liberos, verum etiam propinquos occidi jubebat, quales leges abominandas merito vocat *Ammianus Marcellinus* l. 23. c. 3. Quod vero huc referri nequeat confiscatio bonorum, quæ juxta constitutionem quoque Carolinam (*not.* §. 1068.) poenæ perduellium accedit, supra jam demonstravimus.

§. 1070.

Obligatio ad crimen læsæ majestatis non committendum venit ex pacto, quo civitas constituta, & ex pacto, quo imperium niti in alium, vel alios translatum, a lege autem naturali vim suam

Unde venit obligatio ad crimen læsæ majestatis non committendum.

Digitized by Google

majestatis non committendi vim suam accipiat.

accipit. Etenim civitates pacto constitutæ sunt (§. 4.) legi naturæ convenienter (§. 26.). Et quando imperium transfertur in alium, is promittere intelligitur, quod imperium exercere (§. 42.), consequenter Remp. regere velit (§. 218. *part. 7. Jur. nat.*) & populus idem transferens vicissim promittere, quod imperanti obedire velit (§. 1043.). Quamobrem cum pacta sint servanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), omne jus superioris & omnis obligatio civium seu subditorum, qua eidem tenentur, ex pacto nascitur, quo civitas constituta, & ex pacto, quo imperium in alium, vel alios translatum, consequenter inde etiam venit obligatio ad crimen læsæ majestatis non committendum (§. 1063. *& seqq.*). *Quod erat unum.*

Enimvero obligatio servandi pacta a lege naturæ venit (§ 789. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum obligatio ad crimen læsæ majestatis non committendum veniat ex pacto, quo civitas constituta, & ex pacto, quo imperium in alium, vel alios translatum, *per demonstrata n. 1.* eadem vim suam accipit a lege naturali. *Quod erat alterum.*

Patet itaque, quamvis obligationem ad non committendum crimen læsæ majestatis ex pacto tanquam fonte suo derivare teneamur; hoc tamen non obstante crimen læsæ majestatis esse contra jus naturæ, quemadmodum paulo ante ostendimus (§. 1066.). Propositionem autem præsentem ideo hic apposuimus, ut paterent ea, quæ sequuntur.

§. 1071.

A quonam crimen læsæ majestatis committatur.

Quoniam obligatio ad crimen læsæ majestatis non committendum venit ex pacto, quo civitas constituta, & ex pacto, quo imperium in alium, vel alios translatum (§. 1070.), pactum autem utrumque ratihabent, qui civitati se associant,

Digitized by Google

associant, qui vero huic sese non associant, eos idem minime tangit, & illi quidem membra civitatis sunt, hi autem non sunt, quod per se patet; *crimen læsæ majestatis committi nequit, nisi ab eo, qui membrum civitatis, aut si mavis subditus est*, consequenter cum crimen perduellionis crimen læsæ majestatis sit (§. 1067.), *perduellionis crimen committi nequit nisi a subdito.*

Pactum, quo civitas constituta, una cum altero, quo imperium in alium, vel alios translatum, ratihabetur, dum qui in civium, vel subditorum numerum recipitur, jurato promittit, se imperanti fidelem futurum. Et pactum, quo imperium translatum fuit, renovatur, dum novo Rectori civitatis homagium præstatur: hoc autem renovari nequit, nisi quatenus simul pactum, quo civitas constituta, tacite ratihabeatur. Quamvis vero expressa ratihabitio pacti, quo civitas constituta, & renovatio pacti, quo imperium in Rectorem civitatis translatum non fieret; tacita tamen sufficeret ad producendam obligationem crimen læsæ majestatis non committendi. Expressa tamen præfertur, ut unusquisque sibi magis conscius sit obligationis suæ, eaque jurata, ut eidem satisfacere major sit religio: neque enim omnibus satis perspecta sunt, quæ tacite promittunt, & fidem juratam violare turpius est, quam non juratam, multoque turpius, quam tacitam eamque non satis apertam.

§. 1072.

Quoniam obligatio ad crimen læsæ majestatis non committendum ex pacto (§. 1070.), consequenter ex promissione venit (§. 788. *part. 3 Jur. nat.*), si autem promissor contrarium ejus facit, quod promisit, perfidus est (§. 768. *part. 3. Jur. nat.*); *Qui crimen læsæ majestatis committit, pertidus est.*

De perfidia in crimine læsæ majestatis tenta.

Hæc

Hæc perfidia cadere nequit in extraneum, ſeu peregrinum, qui fidem ſuam Rectori civitatis non adſtrinxit de majeſtate ejus non lædenda. Turpitudo autem criminis læſæ majeſtatis ab hac potiſſimum perfidia eſt, nec fine ea hoc crimen concipitur. Quodſi fidem juratam fallit criminis hujus reus, ſimul perjurus eſt (§. 955. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 1073.

Invaſor imperii quid ſit.

Invaſor imperii dicitur, qui cum nullum jus ad imperium capeſſendum habeat, vi vel dolo id occupat. *Invaſor* itaque *ſi Rector civitatis adſit, eundem poſſeſſione dejicit; ſi vero Rege mortuo imperium invadit, ſucceſſorem legitimum ad poſſeſſionem non admittit, ſed ab ea repellit.*

Non deſunt exempla invaſorum imperii cum in hiſtoria antiqua, tum in recentiori. Immo hodienum apud exteras gentes talia occurrunt. Non immerito igitur quæritur, quodnam populo jus competat in imperii invaſores, quamdiu ſcilicet durat injuſte poſſidendi cauſa.

§. 1074.

De jure in invaſorem imperii, quamdiu in actu invadendi conſtituitur.

Si invaſor imperii in actu invadendi conſtitutus, ei vi reſiſtere, immo & ſi opus ſit eundem occidere licet. Quoniam enim invaſor imperii nullum jus ad imperium habet (§. 1073.), ſi vero nullus adſit, cui aliquod jus ad idem competit, populus id in eum transferre poteſt, quem voluerit, aut ſibi retinere (§. 36.), legitimo autem Regi vel ſucceſſori jus ſuum adimere nequit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); idcirco nec pati tenetur, ut id ab altero ipſi eripiatur. Quamobrem cum invaſor imperii, quamdiu in actu invadendi conſtitutus, raptori æquiparetur (§. 505. *part. 2. Jur. nat.*), in raptorem autem tantundem liceat, quantum vi depellendæ ſufficit (§. 695. *part. 2. Jur. nat.*), ita ut etiam interfici poſſit (§. 699.

Digitized by Google

(§. 699. *part.* 2. *Jur. nat.*); invaſori imperii, quamdiu is in actu invadendi conſtituitur, vi reſiſtere, immo &, ſi opus ſit, eundem occidere licet.

Quilibet civis obligatur patriam defendere adverſus vim injuſtam. Quamobrem unicuique uti licet mediis, quæ ad eam depellendam requiruntur.

§. 1075.

Si ſuperior unicuique permittat, ut invaſorem in actu invadendi conſtitutum interficiat; interficere licet. Etenim ſuperior, ſive is ſit Rex, ſive ſenatus, ſive populus, jus ſe defendendi adverſus invaſorem habet, prouti ex demonſtratione præcedente apparet. Quoniam itaque quivis jus ſuum exequi poteſt ſive per ſe, ſive per alium, quem voluerit, quod per ſe patet; jus quoque interficiendi invaſorem concedere poteſt, cuicunque voluerit. Quodſi ergo unicuique, ſive is ſubditus fuerit, ſive peregrinus permittat, ut invaſorem in actu invadendi conſtitutum interficiat; interficere licet.

De jure interficiendi invaſorem a ſuperiore conceſſum.

Quamdiu invaſor imperii in actu invadendi conſtitutus, id nihil difficultatis habet, cum etiam id facere liceat, ſi opus fuerit, abſque permiſſione ſuperioris (§. 1074.).

§. 1076.

Si invaſor imperii, quod arripuit, poſſeſſionem ſola vi retinet, neque pactio ulla ſecuta ſit, aut fides illi data; eum vi dejicere & interficere licet. Etenim quamdiu ſola vi poſſeſſio retinetur, neque pactio ulla ſecuta eſt, aut fides illi data; ad nihil quoque populus eidem obligatus eſt (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem is adhuc eſt eorum ſtatus, qui erat,

De jure invaſorem, quamdiu poſſeſſio ſola vi retinetur.

Digitized by Google

erat, cum in actu invadendi constitueretur invasor. Quoniam itaque invasori vi resistere, eundemque, si opus sit, interficere licet, si in actu invadendi constitutus (§. 1074.); eundem quoque, quamdiu possessio sola vi retinetur, nec pactio ulla secuta sit, aut fides illi data, vi dejicere ac interficere licet.

§. 1077.

Quando in invasorem imperii nihil machinari licet.

Si Rector civitatis in talem sit conjectus statum, ut subditos defendere non possit, nec civium tanta sint vires, ut invasori citra præsens exitium valeant resistere; cum eo paciſci, vel fidem ei dare licet, & post hac ei obedire tenentur, nec quicquam adversus eundem moliri licet, ut eum dejiciant, vel interficiant. Etenim si Rector civitatis in talem sit conjectus statum, ut subditos defendere nequeat, nec civium tantæ sint vires, ut invasori citra præsens exitium valeant resistere; impossibile est, ut ipsos regat is, qui imperium, vel jus ad idem habet, sed si se invasori subjicere nolint, ipsis pereundum est. Enimvero cum populus non aliter imperium in Rectorem civitatis transtulisse intelligatur, quam ut saluti publicæ convenienter exerceatur (§. 88.); non potest intelligi ita sese eidem subjecisse, ut, si is se defendere non possit, nec sibi tantæ sint vires, ut imperium invadenti resistere nequeat, interire potius malit, quam huic sese subjicere. Cumque Rector civitatis populum suum amare debeat (§. 1009. & ex tædio populi tædium percipere (§. 1010.); velle minime potest, ut juris sui conservandi causa, quod tamen conservare, nec ipse tueri potest, intereat potius, quam invasori sese subjiciat. Quamobrem populo cum invasore paciſci & ei fidem dare licet. *Quod erat unum.*

Quo-

Digitized by Google

Quoniam vero pacta servanda sunt (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), nec fidem datam fallere licet (§. 765. *part. 3. Jur. nat.*); pactione cum invasore in hypothesi propositionis præsentis inita, aut fide data, eidem obediendum est, nec quicquam moliri licet, ut is dejiciatur, vel interficiatur. *Quod erat alterum.*

Equidem pactione ista non adimitur jus Regis ab invasore dejecti, vel ei, qui jus ad imperium habet; hoc tamen obstat, quo minus eodem salvo sese invasori subjicere possint, præsertim cum nemini competat dominium in vitam suam (§. 351. *part. 1. Jur. nat.*), ut in casu collisionis obligationis ad vitam conservandam (§. 350. *part. 1. Jur. nat.*) cum obligatione obediendi Rectori civitatis (§. 1043.) jus suum exercere minime valenti exceptio fieri non debeat pro obligatione sese suaque conservandi. Nihil itaque in subjectione hac continetur, quod tanquam injustum reprehendi potest.

§. 1078.

Subditi obligantur præstare Rectori civitatis officia, quæ homo homini debet. Etenim per se patet, Rectorem civitatis non desinere esse hominem, propterea quod civitatem regit. Quamobrem quæ homo homini naturaliter debet, ea quoque ob immutabilitatem obligationis naturalis (§. 146. *stantis. part. 1. Phil. pract. univ.*) subditus quilibet Rectori civitatis debet, consequenter præstare obligatur officia, quæ homo homini debet (§. 224. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

De officiis humanitatis

Rectori civitatis præstandis.

Rector civitatis duplici modo considerandus, cum tanquam Rector civitatis, quatenus Remp. regit, tum tanquam privatus, quatenus homo est. Priori respectu ea ipsi præstanda, ad

Digitized by Google

quæ ſubditus obligatur imperanti; poſteriori autem reſpectu ea officia ipſi præſtanda ſunt, quæ homo homini debet.

§. 1079.

De amore naturali Rectoris civitatis.

Quoniam ſubditi obligantur præſtare Rectori civitatis officia, quæ homo homini debet (§. 1078.), homo autem hominem quemcunque, ipſum etiam inimicum (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*), amare debet tanquam ſeipſum (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*), atque diligere (§. 618. *part. 1. Jur. nat.*) & ex felicitate ejus voluptatem percipere (§. 616. *part. 1. Jur. nat.*); *ſubditi* quoque *Rectorem civitatis amare atque diligere debent tanquam ſeipſum, ſi vel maxime male imperet, & ex felicitate ejus voluptatem percipere.*

Naturalis hic amor plurimum conducit ad obedientiam cum patientia, quæ a ſubditis Rectori civitatis debetur (§. 1043.) & metum ſervilem temperat, ne a filiali nimium recedat, patientiam vero, qua toleranda etiam quæ dura & injuſta videntur, juvat.

§. 1080.

De amore civili Rectoris civitatis.

Subditi Rectorem civitatis qua Rectorem civitatis amare debent. Etenim ſi ea perpendamus, quæ de Rep. conſtituenda uberrime dicta ſunt, abunde patet, quantum boni in nos redundet ex cura Reip. quam gerit Rector civitatis, ut ea pro maximo beneficio habenda ſit (§. 17. *part. 4. Jur. nat.*). Et quamvis male imperet, non tamen propterea tollitur omne bonum, ob quod ſtatus civilis præſtat naturali, in quo ſingulis fere momentis quibuslibet injuriis corpus noſtrum & res noſtræ rapinis exponuntur. Quamobrem cum beneficiarius amare debeat benefactorem ob beneficia ſibi

Digitized by Google

sibi tributa (§. 39. *part. 4. Jur. nat.*); subditi quoque Rectorem civitatis qua Rectorem civitatis amare debent.

Negari equidem non potest, majus multo esse beneficium, si Rector civitatis bene imperet, quam quod adhuc præstatur, si imperet male; hoc tamen non obstante, ob minus quoque beneficium amandus est. Civilis amor, qui Rectori civitatis qua tali debetur, contradistinctus naturali, de quo ante diximus (§. 1079.), non extinguitur, nisi quando imperans vere hostili animo in totius populi exitium fertur, ut Rectoris civitatis personam prorsus exuat: id quod rarissime contingit & cur nonnisi rarissime contingat suo tempore patebit, ubi in Politica in causas mali regiminis inquisituri sumus, quamvis quodammodo jam intelligatur ex iis, quæ superius demonstravimus de causis, cur finis civitatis obtineri non possit (§. 151.).

§. 1081.

De mutuo amore superioris & subditorum.

Quoniam Rector civitatis amare debet populum suum (§. 1009.) & subditi vicissim amare debent Rectorem civitatis qua talem (§. 1080.); *mutuus vigere debet amor Rectoris civitatis & populi.*

Beata est Resp. in qua mutuus iste amor viget, quia non minus animus Rectoris civitatis in subditorum, quam subditorum animus in Rectoris civitatis felicitatem propendet. Dubium vero nullum superest, quin amor superioris, quo subditos suos prosequitur, excitet amorem subditorum.

§. 1082.

De odio Rectoris civitatis.

Quoniam Rectorem civitatis amare debent subditi (§. 1080.), qui vero alterum amat, eum odisse nequit (§.

623. *part. 1. Jur. nat.*); *subditi Rectorem civitatis odio habere non debent.*

Non est quod excipias, malum regimen nobis non posse placere, nec improbandum esse, si displiceat, oriri autem odium, si quod nobis displicet in altero observamns (§. 674. *Psych. empir.*). Aliud enim est odisse malum regimen, aliud vero odisse eum, qui male regit. Illud naturale est, hoc autem rationi adversum. Quamvis itaque odium oriatur ob malum regimen in appetitu sensitivo, qui sedes affectuum est (§. 603. *Psych. empir.*), ratio tamen, quæ moderatur affectibus, odium ita coërcere debet, ne in personam extendatur. Qui secus faciunt, ii affectuum impetu se adhuc abripi patiuntur in transversum, unde eos arcet lex naturæ.

§. 1083.

De civium concordia.

Cives inter se concordes esse debent. Sunt enim membra civitatis (§. 6.), consequenter cum civitas societas sit (§. 4.), socii (§. 4. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quoniam itaque socii concordes esse debent (§. 136. *part.* 7. *Jur. nat.*); cives quoque inter se concordes esse debet.

Concordia civium maxime necessaria in civitate, & ab ea pendet civitatis conservatio atque incrementum. Unde dudum observatum est, concordia res parvas crescere, discordia maximas dilabi: id quod monetæ aureæ Ordinum Belgii foederati inscribi solitum civium omnium animis firmiter infigi meretur. Ut vero intelligatur, in quonam consistat civium concordia, sequentia probe consideranda.

§. 1084.

De directione actionum

Quoniam cives concordes inter se esse debent (§. 1083.

Digitized by Google

1083.), concordes autem sunt socii, si legibus societatis sese *civium ad* subjiciunt (§. 134. *part.* 7. *Jur. nat.*), & in Rep. suprema *salutem* lex sit salus Reip. (§. 86.), cujus obtinendæ media præscri- *Reip. & le-*
bunt leges civiles ceteræ (§. 969.); *cives actiones suas omnes gum obser-*
ad salutem Reip. dirigere & leges civiles observare debent. *vantiam.*

Nimirum si concordes esse debent, eadem omnium esse debet voluntas atque noluntas (§. 132. *part.* 7. *Jur. nat.*). Necesse igitur est, ut quod vult unus, idem etiam velit alter, & quod non vult unus, idem etiam nolit alter. Id ipsum vero contingit, si omnes actiones suas dirigant ad salutem Reip. tanquam ad eundem finem, & leges civiles observent, ut eadem via ad finem tendant.

§. 1085.

Simililiter quia cives concordes inter se esse debent *Quid civis*
(§. 1083.), consequenter eadem esse debet omnium volun- *spectare de-*
tas atque noluntas (§. 132. *part.* 7. *Jur. nat.*); ad hoc autem *beat in actio-*
sese sibi invicem obligasse intelliguntur, quod commune bo- *nibus suis.*
num promovere velint (§. 28.), nec bonum proprium promovere cum neglectu communis, vel in præjudicium communis (§. 21.); *civis quilibet in omnibus actionibus id spectare debet, ut concivibus suis prosit, nulli vero obsit.*

In civitate nemo sibi vivit, sed concivibus. Unde actiones suas omnes ad ceteros referre tenetur civis bonus. Nemo qua civis agit, quod suum est, sed quod alterius; & utilem sese præbet Reip. Dum vero hoc facit, propriæ quoque saluti consulit. Multa hinc consequuntur in quolibet actionum genere, quæ tamen sigillatim persequi non est præsentis instituti.

§. 1086.

Digitized by Google

§. 1086.

Quamprimum quis ad legum civitatis obſervantiam obligetur.

Quamprimum quis in numerum civium recipitur, vel civitati ſe aſſociat, ad legum civitatis obſervantiam obligatur. Etenim quamprimum quis in ſocietatem recipitur, ad legum ſocietatis obſervantiam obligatur (§. 60. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem cum civitas ſit ſocietas (§. 4.); quam primum quis in numerum civium recipitur, ad legum civitatis obſervantiam obligatur.

In numerum civium quis recipi poteſt vel expreſſo ſuperioris aut magiſtratuum alicujus loci conſenſu, vel tacito, quatenus eidem permittitur, ut domicilium ſuum in territorio civitatis conſtituat, aut toleratur, ut in eo habitet ac res ſuas agat. Civis autem appellatio hic ſumitur in ſignificatu laxiori, qui convenit Juri naturæ, non attento ſignificatu ſtrictiori, qui mere civilis eſt.

Finis Partis VIII, ſive ultimæ Juris Naturæ.

CON-

Digitized by Google

CONSPECTUS

PARTIS VIII.

JURIS NATURÆ

CAPUT I.

De origine Civitatis & Imperii publici, pag. 1

CAPUT II.

De diverſis Rerumpublicarum formis, 90

CAPUT III.

De Republica conſtituenda, 292

CAPUT IV.

De Juribus majeſtaticis, 615

CAPUT V.

De Theoria naturali legum civilium, 742

CAPUT VI.

De officio ſuperioris, ſive Rectoris Civitatis, & ſubditorum, 775

FINIS CONSPECTUS.

Digitized by Google

INDEX

VERBORUM ET RERUM PRÆCIPUARUM, IN QUO NUMERI PARAGRAPHOS DENOTANT.

A.

Abdicatio regni pro se & liberis suis, 366. an successioni eorum in regno noceat, 368.

Abolitio accusationis & inquisitionis. Definitio, 846. quid proprie sit, 846. cuinam competat, 847

Abrogatio legis. Definitio, 817

Absentium in comitiis vota, 185

Academiæ. Definitio, 434. num in Rep. instituendæ, 436. quantæ curæ esse debeant superiori, 1019

Academiæ artium. Definitio, 452. num in Rep. instituendæ, 453

Academia architectorum 452

- - *Musicorum,* 452

- - *Pictorum,* 452

Academia scientiarum. Definitio, 439 an in Rep. instituenda, 440

Accidentia. Definitio, 909. quotuplicia sint, 909. an sint pars salarii, 910. an diminui possint, 911. quando decrementum sit necessarium, 912

Actus bonitas & malitia num sit apta ad jus Rectoris civitatis & civium distinguendum, 82

Actus regis privati. Definitio, 284

Actus Regis regii. Definitio, 284

Actus vitiosi quinam in civitate puniri possint, 653

Actus vitiosi, quibus alius non læditur, an puniri possint in statu naturali, 652

Adjunctio in officio publico qua de causa fieri debeat, 919

Adjunctio cum spe succedendi an a successore ratihaberi debeat, 922

Administratio bonorum quando pertineat ad exercitium imperii, 107

Advenæ. Definitio, 411

Advenæ temporarii. Definitio, 413 num civibus, an incolis accensendi, 413. ex iis nati qualem habeant statum, 413

Adulatio ministrorum non ferenda, 1001

Adulationis odium in Rectore civitatis requisitum, 1013

Ædificiorum extructio quatenus curæ esse debeat superiori, 723

Ædificia publica qualia esse debeant, 725

Ægroti inopes num curæ esse debeant superiori, 739

Æra-

Digitized by Google

Æraxium publicum. Definitio, 781 neceſſitas, 782. ſtatus, 783
Agnati perduellium an puniendi, 1069
Agricultura promovenda, 1032
Agri tributarii quinam ſint, 927
Alienatio regni uſufructuarii qualis ſit actus, 1058. num eidem reſiſtere liceat, 1058. quem habeat effectum ex parte Regis, 1059
Ambitus crimen. Definitio, 894. an tolerandum in Rep. 893
Amneſtia. Definitio, 848. ejus effectus, 848. an ejus præſtatio pertineat ad imperium civile, 849. num ſit naturaliter licita, 850
Amor mutuus Rectoris civitatis & ſubditorum, 1081
Amor populi in Rectore civitatis requiſitus, 1009
Amor ſubditorum naturalis a Rectore civitatis debitus, 276
Annona. Definitio, 928. an de agris data ad tributum referenda, 928
Annonæ cura ſuperiori incumbens, 727
Appellatio. Definitio, 548. an in Rep. admittenda, 549. quænam preces cum ea non confundendæ, 550
Arbitrium in controverſia Regis cum populo num detrahat ſummitati imperii, 130
Ariſtocratia. Definitio, 135. quantum in ea ſit jus, 135. quid pro voluntate populi in ea habendum, 158. qualis ſit, ſi jus optimatum prædiis inhæret, 226. quando ab optimatibus in regnum mutari poſſit, 280. num poſſit eſſe precaria, 212. unde oriantur diverſæ ſpecies, 210
Ariſtocratia annua. Definitio, 211
Ariſtocratia electiva. Definitio, 214 quando non ſit patrimonialis, ſed uſufructuaria, 222
Ariſtocratia herilis. Definitio, 265
Ariſtocratia laxa. Definitio, 249. an in ſtrictiorem ab optimatibus mutari poſſit, 251
Ariſtocratia patrimonialis. Definitio, 156. num præſumatur, 252
Ariſtocratia patrimonialis perfecte & imperfecte talis. Definitio, 223
Ariſtocratia perpetua. Definitio, 213
Ariſtocratia ſtrictior. Definitio, 249 diverſæ ſpecies, 250
Ariſtocratia ſucceſſoria. Definitio, 218 quot modis in ea ſuccedatur, ſi optimatum numerus conſtans, 219 num patrimonialis eſſe poſſit, 221
Ariſtocratia temporaria. Definitio, 211. quando obtineat, 165
Ariſtocratia uſufructuaria. Definitio, 156
Ars conjectandi mores hominum num neceſſaria ſit Rectori civitatis, 1040
Artium amor in Rectore civitatis requiſitus, 1020
Artium incrementa in Rep. promovenda, 438
Artium manuariarum ſcientia a ſocietate ſcientiarum excolenda, 449. 450

Digitized by Google

Athei num puniendi, 646. quomodo sepeliendi, 713
Atheismi suspectos reddere viros præclaros num liceat, 474. num qui hoc faciunt, sint puniendi, 648
Atheismi disseminatio, num punienda. 646
Atheismi propagatio num sit toleranda, 473
Atheismi suspicio vitanda, 474
Augmenta poenarum Capitalium quid & qualia sint, 610
Autochires num puniri possint & quando. 712

B.

Bellum num sit modus aptus decidendi jus controversum succedendi in regnum, 386
Bellum privatum num in civitate tolerandum, 560. quatenus in ea sublatum, 561. quando adhuc licitum, 562. 563. quando statim cesset, quando vitandum, 565
Bona Ecclesiæ. Definito, 485. quotuplicia sint, 485
Bona Regis privata, vel propria. Definitio, 286. quod cum regiis non confundenda, 287. an maneant a regiis separata in regno patrimoniali, 288
Bona Regis regia, vel *publica.* Definitio, 286. cum privatis non confundenda, 287. num sint separata a privatis ipso jure, 289. an de iis Rex disponere possit in regno patrimoniali pro lubitu, 290
Bonorum administratio quando pertineat ad exercitium imperii, 107
Bonum commune civitatis in quo consistat, 9. quomodo promoveatur, 19
Bonum privatum. Definitio, 23. quomodo non promovendum, 25
Bonum publicum. Definitio, 23. quod a quolibet cive promovendum, 24

C.

Capitulatio. Definitio, 122. quando ea opus, 122. num ex ea metiendum jus populo reservatum & Rectori civitatis competens, 123. an sit lex fundamentalis imperii, 124. an mutari possit, vivente eo, cum quo facta; 125
Carcer. Definitio, 598
Castigatio in carcere qualis sit poena, 613
Ceremoniæ num sint licitæ in poenæ executione, 711
Ceremoniæ in cultu divino quatenus spectant ad superiorem, 478. quodnam sit officium doctorum publicorum quoad easdem, 479. an contemtus earum ferendus, 480
Chirurgorum necessitas in Rep. 717
Ciborum salubritas num curæ esse debeat superiori. 716
Civis. Definitio, 6. quænam sit ejus obligatio, 18. 19. quænam positiva, 21. 22. quænam negativa, 24. 25 ad quid civitati obligetur, 28. quando esse desinat, 416

Digitized by Google

Cives de quibusnam inſtituendi, 426 quomodo tanquam cives actiones ſuas dirigere debeant, 1084. 1085 num iis jus discedendi adimi poſſit, 415

Civium numerus quantus eſſe debeat in civitate, 398. quando juſto minor, 399. quando major, 400. quando augendus, 401. 402. quod in quolibet vitæ genere determinandus, 425

Civium divitum discessus num fit tolerandus, 404. num eorum, qui in aliquo vitæ genere eminent, 405. an eorum, quorum opera ad defenſionem Reip. neceſſaria, 406

Civitas. Definitio, 4. 14. quomodo conſtituta, 4. an ſit naturaliter libera, 50. civitati uni num ſit jus in alteram, 51. quomodo una alteri ſubjiciatur, 53. num legi naturæ convenienter inſtituta, 26. an ſit a Deo, 27

Civitatis commune bonum in quo conſiſtat, 9. finis, 13. obligatio erga cives, 28. ordinatio quid requirat, 15. 36. ſalus in quo conſiſtat, 17

Civitates quomodo inter ſe ſpectandæ, 54

Cogitationes num ſint puniendæ, 643

Cognati num puniri poſſint ob facta cognatorum, 665. quando iis beneficium reddendum in cognatis, 659

Cognitio cauſæ quid ſit, 542

Cohærentia quænam ſint. 489

Collecta. Definitio, 935. quale ſit onus, 935

Combuſtio qualis ſit poena, 608

Comitia. Definitio, 174. quænam in iis definienda, 175. quo tempore celebranda, 177

Commercia num Rector civitatis protegere debeat, 1029. quænam multiplicanda non ſint, 1030

Communio mixta num cum imperio civili conſiſtat, 106

Communio primæva num cum imperio civili conſiſtat, 108

Comoediæ. Definitio, 529. earum uſus, 530. utilitas in Rep. 531. cura Rectoris civitatis circa easdem, 531

Compoſita omnia quomodo intereant, 496. quænam dicantur a Seneca, 489

Competitores regni num jus decidendi controverſiam de ſuccedendo in arbitrium populi conferre poſſint, 382 383

Concordia civium præcepta, 1083. in quo conſiſtat, 1084. & ſeqq.

Concordia ſociorum in ſocietate ſcientiarum conſervanda, 448

Condominatus. Definitio, 140. in quanam forma Reip. locum habeat, 140

Confeſſio delicti ſpontanea num ſufficiat ad poenam irrogandam, 674

Confiſcatio bonorum. Definitio, 593 num

Digitized by Google

num ea puniantur hæredes, 594
Confiscatio rei. Definitio, 593
Confrontatio. Definitio, 709. num ad verum inquirendum apta, 709
Conjugum jus quantum in civitate restringatur, 49
Connexa quænam dicantur a Seneca, 489
Consecratio. Definitio, 483. quomodo fiat naturaliter, 483
Consiliarii. Definitio, 999. quales esse debeant, 1000. quod sapientes ac prudentes esse debeant, 1008 quod eorum fiducia non debeat tenere Rectorem civitatis, 1037
Consiliarius actualis. Definitio, 999
- *titularis.* Definitio, 999
Consilium prudentum an ad bonum regimen necessarium, 998
Constitutio Reip. Definitio, 393. ejus principium, 394
Contemtus ceremoniarum in cultu divino num sit tolerandus, 480
Contemtus religionis num sit tolerandus, 472
Contributio singulorum ad onera Reip. 777
Controversia de successione in regno num a populo, vel Rege præsente decidi possit, 378. 379. quomodo componenda, 380. num & quando vi armorum decidi possit, 381. quando populo competat arbitrium, 382
Conventicula cultus divini causa num toleranda, 464
Conventus publicos in templis diebus festis num negligere liceat, 470
Convictio delicti num ad puniendum requiratur, 673
Crimen. Definitio, 581. quodnam gravius puniendum, 626. *& seqq.*
Crimen frequens quomodo puniendum, 629
Crimen in locis commissum, ubi minus resisti potest, quomodo puniendum, 630
Crimen læsæ majestatis. Definitio, 1065 a quonam committi possit, 1071. an perfidiam contineat, 1072. an sit contra jus naturæ, 1066. quomodo puniendum, 1066
Crimen monetam privato ausu cudentium quale sit, 939
Crimen perduellionis. Definitio, 1067 in qua Reip. forma committi possit, 1067. quanam poena coërcendum, 1068
Crimen præmeditatum quomodo puniendum, 631
Criminis suspectus quando ad confessionem adigendus, 676
Crucifixio qualis sit poena, 604
Culpæ præstandæ gradus in negotiis civilibus lege civili determinandus, 988
Cultus divini cura superiori competens in Rep. 458
Cultus divini publici neglectus num sit ferendus, 471

Digitized by Google

D.

Damnatio ad triremes, metallum vel opus publicum qualis ſit poena, 616
Damnum ex indigni promotione ad officium publicum datum an ſit reſarciendum, 897
Decernendi modus in ariſtocratia, 243
Decollatio qualis ſit poena, 602
Defenſio rei num ſit neceſſaria, antequam condemnetur, 675
Dei notitia civibus ac incolis inſtillanda, 426
Deismi diſſeminatio num ſit toleranda, 473. num punienda, 646
Deismi ſuſpecti ut reddantur viri clari, num ſit permittendum, 474
Deismi ſuſpicio vitanda, 474
Deiſtæ num puniendi, 646
Delictum. Definitio, 581. ejus gravitas unde æſtimanda, 625. quodnam gravius puniendum, 626
Delictum frequens quomodo puniendum. 629
Delictum in locis commiſſum, ubi minus reſiſti poteſt, quomodo puniendum, 630
Delictum præmeditatum quomodo puniendum, 631
Delictum privatum. Definitio, 581
Delictum publicum. Definitio, 581 num gravius puniendum privato, 627
Delirium num a poena excuſet, 671
Democratia. Definitio, 131. quod ſit forma Reip. maxime naturalis, 132 quomodo ordinanda, 194. quatenus in ea renuncietur libertati naturali, 195. quinam in ea ſint exercitii imperii capaces, 168. quod in ea præcavendum, ne ſummam poteſtatem uſurpet ſenatus, aut alius quis, 192
Deportatio. Definitio, 597
Deputati a populo in comitiis, 186
Dies feſti. Definitio, 466. in Rep. inſtituendi, 467. an in iis ab omni labore ſit vacandum, 468. eorum diverſitas unde, 469
Dies juridicus. Definitio, 700
Dignitas civilis. Definitio, 205. unde naſcatur, 205
Dignitates civiles in quo conſiſtant, 765 quibusnam conferendæ, 766. quemnam habere debeant uſum, 768
Dilapidatio bonorum num toleranda, 751
Diligentia in obeundo munere adhibenda, 902
Dimiſſio. Definitio, 898
Directoris officium in comitiis, 187
Diſcedere a civitate quando liceat, 403 quando non liceat, 404. & ſeqq. gregatim num liceat, 408
Diſceſſus a civitate cum conſenſu ſuperioris num ſit licitus, 407. num tollat civitatis jus in eum, qui discesſit, 419
Diſpenſatio. Definitio, 823
Diſſectio in quatuor partes qualis ſit poena, 609
ex Diſtantibus conſtantia, quænam ſint, 489

Digitized by Google

489. quamdiu eadem maneant, 493 quomodo intereant, 496
Divitiæ subditorum augendæ, 1027 1028
Doctores publici. Definitio, 459. in Rep. instituendi, 459. quales esse debeant, 460. quodnam sit eorum officium quoad ceremonias in cultu divino usitatas, 479. ubi munere suo fungi debeant, 463. dissentientes diffamantes num puniendi, 649
Domania. Definitio, 786. qualia sint bona reditus ex iis, 787. ad quos spectet proprietas eorum, 789. num alienari possint, 790. num alienata revocari, 790. num oppignorari, 791. an præscribi, 792. an quantocunque tempore revocari, 793. an cum consensu populi alienari, 794 quando Rex ea oppignorare possit, 933. si augeantur a populo, 795. si a Rege de suo, 796. 797. 799. & seqq.
Dominatus quid sit, 264
Dominia quomodo cum imperio introducantur, 109
Dominii partes potentiales quænam dicantur, 96
Dominium eminens. Definitio, 111 num contineatur sub imperio, 111 num a populo cum imperio transferatur, 112. num Rectori civitatis competat, 111. unde oriatur, 118 qua æquitate exercendum, 119. ad quænam jura pertineat, 960
Dominium fundorum & rerum civium num contineatur sub imperio publico, 103. num cum eo transferatur, 104
Domuum singularum indigentia, 1. quomodo eidem consulatur, 2. 3
Duellum an sit bellum, 568. an in Rep. tolerandum, 569. 570

E.

Ebrietas summa num a poena excuset, 672
Ecclesia. Definitio, 484. quale sit ens, 490. quale habeat principium unionis, 492. quamdiu maneat eadem, 495. quando intereat, 500. & seqq. si in statu naturali spectetur, 952
Ecclesiæ jus in rebus sacris & ecclesiasticis, 509
Ecclesia particularis. Definitio, 484
universa. Definitio, 484
Educatio liberorum num subsit juri civitatis, 430
Educatio principis quoad virtutem, 1005. eorum, qui ad regimen adspirare possunt, 997
Egestas civium præcavenda, 726
Electio Regis illegitima. Definitio, 309. an eum populus ratihabere teneatur, 309
Electio legitima. Definitio, 309
Electionis lex a populo sibimetipsi lata in regno elective, 310. an electoribus præscripta a populo tolli possit, 311

Electionis

Digitized by Google

Electionis modus in regno electivo unde pendeat, 308
Eligibilitas personarum in regno electivo, 307
Eleemosynarum cura superiori competens,
- *nimietas* præcavenda, 747
Ergastula. Definitio, 737. an in Rep. instituenda, 737
Errores num puniendi, 644
Errores in Jure naturæ num in legibus civilibus condendis vitandi, 992
Errorum disseminatio num punienda, 644
Executio rei judicatæ. Definitio, 555 qualis sit, si sententia dationem exigit, 556. 557. qualis, si factum, 558
Exhæredatio filii num Regi licita, 362 quo effectu fiat, 363
Expectatio num dari possit a superiore & quamdiu data valeat, 921
Extensio membrorum qualis sit poena, 615
Exteros aliquo scientiarum genere excellentes num præmiis decorare debeat superior, 1026
Extraneus num in civitatem recipiendus, 409. qua lege recipiendus, 410

F.

Factum non imputabile num puniri possit, 670. 671
Felicitatem populi quomodo spectare debeat Rector civitatis, 1010
Fideicommissum num tolli possit, 798
Filia fratris natu maximi num præferatur fratri Regis natu minori in regno, 377
Filia ultimi Regis, vel ex ea descendentes num succedere possint, si successio linealis fuerit agnatica, 531
Filius num a Rege exhæredari possit, 362
Filius defuncti fratris num patruo Regis in regno præferatur, 373
Filius ex fratre priori num in regno præferatur fratri posteriori, 372
Filius in fortuna regia natus num in successione præferatur ei, qui in regia natus, 369
Fiscus. Definitio, 590. quid contineat, 590
Fiscus collegii, aut universitatis particularis. Definitio, 591
Fisci utilitates promittentibus num facilem aurem præbere debeat Rector civitatis, 1036
Fœminæ num sint imperii capaces, 281. 282. num in regno patrimoniali succedant, 302. 303
Fœminarum regressus ad successionem in regno deficientibus masculis, 344
Fœminarum renunciatio in regnis successoriis quando inutilis, 343
Fœminarum successio in regno hæreditario, 327. quando fœmina mari præferenda, 329. 330
Forma Reip. omnis quando apta sit ad finem civitatis consequendum, 150 quando nulla sit apta, 151. an variet speciem imperii, 152. quantum

Digitized by Google

juris in qualibet ſuperiori in ſubditos competat, 153. quænam in qualibet imperans facere teneatur, 154
Fraus non toleranda in Rep. 537
Furor num a poena excuſet, 671
Fuſtigatio qualis ſit poena, 612
Furti poena capitalis num ſit licita, 840

G.

Gens. Definitio, 5
Gravitas delicti unde æſtimanda, 625

H.

Habiles ad officium publicum quinam ſint, 889. quod providendum, ne deſint, 1018
Habilitas perſonarum in officio publico conſtitutarum Rectori civitatis cognita eſſe debet, 1039
Hæredes num puniri poſſint ob facta defuncti, 665. num puniantur confiſcatis bonis, 594
Hæres regni num teneatur ſolvere debita privata anteceſſoris, 337
Hiſtoria rei ruſticæ, artium & opificiorum a ſocietate ſcientiarum conſcribenda, 450
Homicidii poena capitalis num ſit licita, 840
Honor eorum, qui de Rep. bene merentur, 761. quomodo determinandus, 762
Honores in ſignificatu Juris Romani, 930

I.

Ignis ſupplicium qualis ſit poena, 608
Ignominia eorum, qui ad dignitates civiles evecti, 769. quomodo puniendi eam afferentes, 770
Ignorantia invincibilis num tollat poenam, 671
Imagines num in templis tolerandæ, 486. quales in templo collocatæ ſint res, 519. 487
Imperans quænam facere debeat in qualibet Reip. forma, 154. cur & quando reſiſtere ei non liceat, 1042. quando ex pacto reſiſtere liceat, 1062 ſi contra leges fundamentales jus ſibi arroget, 388
Imperium civile, ſive *publicum.* Definitio, 32. cui originarie competat, 33. jus populi in eodem, 34. quale ſit in populo, 57. in quonam conſiſtat, 60. an ſit jus indiviſum, 61. num ſit diviſibile, 63. quomodo dividi poſſit, 64. num includat dominium fundorum & rerum civium, 103 num infeudari poſſit, 98. quomodo exerceri debeat, 809. quando ad populum redeat in regno electivo, 314. quinam ſint limites, 35
Imperii diviſio in partes potentiales quid ſit, 63. an ſit poſſibilis, 63. an ita diviſum ſummum maneat pro qualibet parte diviſa, 65
Imperii diviſio in partes ſubjectivas quid ſit, 231. ejus effectus, 232. an ea præſumatur, 233. an dividi ita poſſit in democratia, 234. num præſumatur in regno patrimoniali perfecte tali, 295

Impe-

Digitized by Google

Imperium habendi modus qualis in populo, 93. quot modis variari possit, 97. quando sit in patrimonio, 40. quando in usufructu, 40
Imperii limitatio quomodo fiat 74
Imperii partes potentiales. Definitio, 63
Imperium Rectoris civitatis quale sit, 90 quale sit, si in ipsum translatum, prout in populo est, 91. quinam id plene habeat, quinam minus plene, 92
Imperii translatio quot modis fieri possit, 38. quonam modo fieri debeat, 87. quinam modus transferendi legi naturæ probetur, 87. qua lege omne translatum intelligatur, 88. 89. num transferri possit ea lege, ut recte imperanti sit parendum, male imperanti possit resisti, 82. num translationi omni insit tacita clausula, ut male imperanti resisti possit, 83 num a populo translatum sit divisibile in partes subjectivas, 235. 236
Imperio abdicato quantum liceat in Rectorem civitatis, 1055
Imperium absolutum. Definitio, 66 num minus plene haberi possit, 95
Imperium eminens. Definitio, 116. ad quænam jura pertineat, 960
Imperium herile. Definitio, 266. quomodo oriatur, 266. quomodo exerceatur, 266. in quanam forma Reip. locum habeat, 267. an monarchæ competat, 268. an optimatibus, 268 an a populo in aliquem transferri possit, 269. qua religione exercendum, 275
Imperium infeudatum quale esse possit, 100. quando infeudatione derogetur summitati, 101
Imperium limitatum. Definitio, 66 num summum esse possit, 73. num a populo in absolutum mutari, 76 an plene haberi possit, 95. quænam tacita ei insit exceptio, 120
Imperium minus plenum. Definitio, 62. in quo consistat, 63. an absolutum esse possit, 67. an limitatum, 67. an plene haberi, 95
Imperium per fideicommissum delatum quale esse possit, 102
Imperium patrimoniale quando ad populum redeat, 304. quid juris tum sit populo, 305
Imperium plenum. Definitio, 62. in quo consistat, 63. num minus plene haberi possit, 95
Imperium precarium. Definitio, 69 an sit revocabile, 69. quale esse possit, 72
Imperium summum. Definitio, 44. an, si dividatur, pro qualibet parte divisa tale esse possit, 65. num minus plene haberi possit, 95. an sit resistibile, 1041. quodnam sit ejus subjectum ante electionem novorum optimatum in aristocratia electiva temporaria, 240
Imperium temporarium. Definitio, 69

Digitized by Google

69. quando ad populum redeat, 69 quale esse possit, 70
Imperium voluntarium. Definitio, 297
Incarceratio num fieri debeat absque indiciis sufficientibus, 694. quando locum non habeat, 695. quando habeat, 696. an salvo conductu nondum finito locum habeat, 704
Incendiorum cura superiori incumbens, 724
Incolæ. Definitio, 8. num sint membra civitatis, 8. de quibusnam instituendi, 426. num jus discedendi ipsis adimi possit, 415
Inculpatus. Definitio, 698. an & quomodo salvus conductus sit concedendus, 699
Indigenæ. Definitio, 411
Infeudatio imperii quando deroget summitati, 101
Injuria quando puniенda, 573. a quonam puniri debeat, 559. quando fiat universitati in civitate, 577. quod ea lædatur Resp. 578. quomodo lædens puniendus, 579. si partim reparari possit, partim nequeat, quid fieri debeat, 575
Injuriæ reparatio. Definitio, 571. ejus effectus, 572. quomodo fiat, 574
Injuriæ verbales & reales num puniri debeant, 651
Injustitia eliminanda e Rep. 533. civium de ea querelæ tollendæ, 1033
Interdictio aditus in certum locum qualis sit poena, 599
Interdictio exitus ex certo loco qualis sit poena, 600
Interpretatio authentica. Definitio, 828. ejus autoritas, 828
Interpretatio doctrinalis. Definitio, 829. quando locum habeat, 829 quantum valeat, 830
Interpretatio usualis. Definitio, 831
Interregnum. Definitio, 316. penes quem sit imperium in interregno, 316
Invasor imperii. Definitio, 1073 quodnam jus populo in eum competat, 1074. 1075. an interfici possit a privato, 1075. quando in eum nihil machinari licet, 1076
Invitum imperium. Definitio, 297
Irreligionarii quomodo sepeliendi, 713
Judex. Definitio, 538. ejus officium, 538. 540. quomodo causam cognoscat, 542
Judices in civitate constituendi, 539 quales esse debeant, 541. num sint magistratus, 566. eorum ministerium, 567
Judex inter Rectorem civitatis & populum num detrahat summitati imperii, 129
Judicium quando momentanee cesset, 563. quando jure, 563. quando facto, 563
Judicium monarchæ num pro judicio populi habendum, 159
Judicium optimatum quando pro judicio populi habendum, 159

Jus

Digitized by Google

Jus eorum, per quos civitatem regit ſuperior, 961. ejus dependentia a jure ſuperioris, 962. dependentiæ hujus conſequens, 964
Jus abolendi quale ſit jus, 847. cuinam competat, 847
Jus abrogandi leges cuinam competat, 818
Jus ad officium publicum cuinam & quale competat, 895. 896
Jus affirmativum. Definitio, 851
Jus aggratiandi. Definitio, 843. quale ſit jus, 843. an ſub jure diſpenſandi contineatur, 844. quibus limitibus contineatur, 845
Jus belli ad quænam jura pertineat in Rep. 943
Jus civitatis. Definitio, 412. num recuperetur reditu, 417
Jus civitati competens in educationem liberorum, 430. in eos, qui ab ea diſceſſerunt, 419
Jus collectandi cuinam competat, 936
Jus comitiorum. Definitio, 182. quinam id habeant, 182. ſi qui habet non convocetur, 183. 184
Jus compellendi eum, qui jus convocandi ad comitia habet, ut populum convocet, 179. 180
Jus conferendi dignitates civiles cuinam competat, 942
Jus conjugum, liberorum & patrumfamilias quantum in civitate reſtringatur, 49
Jus convocandi populum ad comitia, 178. 179
Jus decidendi controverſiam de ſucceſſione in regno num Regi, vel populo competat, 378. num populus id ſibi reſervare, num in Regem transferre poſſit, 380
Jus diſcedendi num civibus adimi poſſit, 415. num incolis, 415
Jus directoris comitiorum, 187
Jus diſpenſandi cuinam competat, 824 intra quos limites contineatur, 826
Jus disponendi de eleemoſynis cuinam competat, 937
Jus eccleſiæ in rebus ſacris & eccleſiaſticis, 509
Jus eligendi Regem quomodo differat, 306. num locum habeat in regno patrimoniali, 283
Jus eminens imperantis. Definitio, 116. quando ei ſit locus, 116. quale ſit jus, 117. unde oriatur, 118 qua æquitate exercendum, 119
Jus gladii. Definitio, 834. unde naſcatur, 835. num ſuperiori competat, 834. quid Rector civitatis in ejus uſu intendat, 837. 838. quod abuſus vitandus, 839
Jus indigenatus. Definitio, 412. quando conferatur peregrino, 412
Jus in actus Rectoris civitatis exceptos quomodo reſervetur, 121
Jus in regno legitimo a Rege remiſſum num vindicari poſſit a ſucceſſore, 392
Jus imperantis in Rep. mixta unde metiendum, 387

Digitized by Google

Jus interpretandi leges cuinam competat, 819
Jura majestatica. Definitio, 207. quænam sint, 810. quam late pateant, 811. eorum inviolabilitas, 1063. 1064. quod Rectori civitatis perspecta esse debeant, 1014. item consiliariis, 1015
Jus magistratibus competens, si superior male imperet, 1052
Jus monarchæ in imperio exercendo, 255. 256
Jus monetandi ad quænam jura pertineat, 938. num promiscue concedi possit in civitate, 807. quomodo versetur circa valorem intrinsecum monetæ, 940
Jus negativum. Definitio, 851. num detur jus negativum naturale, 852
Jus officia publica conferendi cuinam competat, 886. quot modis exerceri possit, 887
Jus onera imponendi & exigendi cuinam competat, 925
Jus oppignorandi an sit cum jure alienandi conjunctum, 515
Jus optimatum in aristocratia perfecte tali, 224. in imperfecte tali, 225. in aristocratia herili, 265. quinam sint ejus juris capaces, 220. num foeminæ, pueri, mente capti, exteri, 237
Jus optimatum prædio inhærens num ab eo separari possit, 227. ad quem pertineat, usufructu in prædio constituto, 228. si is minus plenus sit, 229. num foeminis, pueris, mente captis & exteris competat, 237
Jus optimatum temporariorum, 241 quænam ab his statuta valeant ultra tempus regiminis, 242. quando finiatur, 238. 239
Jus pactiones faciendi cum gentibus aliis ad quænam jura pertineat, 944
Jus parentum in jus liberorum succedendi in regno, 365
Jus partis majoris in democratia, 196 197. 203
Jus partis minoris in majorem in democratia, deficiente unanimi, qui requiritur, consensu, 204
Jus populi in Regem, qui in jus populi involat, 388. 1047. in tyrannum, 1060. in leges fundamentales electionis optimatum in aristocratia electiva, 216. in regno electivo, Rege mortuo, 315. in patrimoniali, si imperium ad ipsum redeat, 305
Jus privilegia concedendi cui competat, 855. quale sit jus, 855
Jus privilegiarii unde metiendum, 859
Jus puniendi quantum sit in civitate, 636. num competat superiori in eum, qui Remp. lædit, 579. num sit jus majestaticum, 832
Jus Rectoris civitatis unde metiendum, 43
Jus Regis in regno herili, 264
Jus regis electi ad quantum tempus extendatur, 312. quando ultra tempus

Digitized by Google

pus regiminis valeant ab eo conſtituta, 313
Jus repræſentationis num valeat in regno hæreditario, 331. quomodo iſto jure in eodem ſuccedatur, 332 num locum habeat in ſucceſſione lineali, 349
Jus ſacrorum, ſeu circa ſacra. Definitio, 945. an Rectori civitatis competat, 946. quando naturaliter reſtringatur, 948. quænam imperare nequeat, qui id exercet, 949. quomodo vi ejusdem disponi poſſit de iis, quæ ad cultum divinum externum ſpectant, 951. penes quemnam ſit in ſtatu naturali, 953 an neceſſario dependeat ab imperio civili, 954. an cum eo conjungi poſſit, 955. an lege fundamentali reſtringi, 956
Jus circa ſacra eorum, quorum religio toleratur, 958
Jus ſuccedendi in regnum quomodo acquiratur, 364. unde ſucceſſor habeat in ſucceſſione lineali, 348
Jus ſucceſſoris in regno electivo num mutari poſſit, 389
Jus ſucceſſoris in regno legitimo num mutari poſſit, 389. 390. an Rex præſens de jure ſuo remittendo noceat ſucceſſori, 391
Jus ſenatus quoad comitia in democratia, 191
Jus ſuperioris in ſubditos quale ſit in qualibet Reip. forma, 153
Jus ſuum in Rep. cuique tribuendum, 535
Jus vitæ ac necis. Definitio, 834. unde ea innoteſcant, quæ ad idem pertinent, 836
Jus univerſorum in civitate in ſingulos, 29. unde metiendum, 30. quale ſit, 31
Juſtitia florere debet in Rep. 536
Juſtitiæ amor in Rectore civitatis requiſitus, 1034

K.

Kopfſtener, 926

L.

Labor ſubditorum num curæ eſſe debeat Rectori civitatis, 422. qualis eſſe debeat, 423. quod ſuppeditandus iis, qui laborare poſſunt, 736. quod nimius ſit arcendus, 720
Laboris pretium in Rep. determinandum, 424
Læſio in Rep. non toleranda, 534. ejus quantitas lege civili determinanda, ob quam auxilium judicis præſtandum, 988
Læſionis exiguæ cauſa litigare in foro non licet, 987
Leges quinam abrogare poſſit, 818 quinam interpretari, 819
Leges improprie ſic dictæ quænam ſint, 587
Leges, quas ſibi ipſe præſcribit Rector civitatis, num ſint fundamentales, 79. num eas obſervare teneatur, 79

Digitized by Google

an per eas imperium absolutum fiat limitatum, 80
Leges civiles. Definitio, 965. quales sint, 965. quid proprie sint, 969. quosnam obligent, 967. quampri mum quis obligetur eas observare, 1086. num naturalibus contrariæ esse possint, 973. quales fieri nequeant, 974. 975. quomodo fiant ex lege naturali permissiva & officiis humanitatis, 977. quomodo de iis, quæ non uno modo fieri possunt, 978. quomodo ex lege prohibitiva naturali, 979. quomodo ex præceptiva, 980. quomodo quoad actus naturaliter non validos, 981. quomodo efficiantur concordes, 989. 990. quando abrogandæ, 989. 990
Lege civili quomodo mutare liceat determinationes lege naturali contentas, 986. num adimi possit, quod ex alia lege quis sperare poterat, 994
Legum civilium emendatio si ob errorem in Jure naturæ factæ, 993
Legum civilium theoria. Definitio, 966
Leges fundamentales. Definitio, 77. num populi consensu tolli ac mutari possint, 75. 77. quinam earum sit effectus, 77. num tales sint, si populus quædam Rectori civitatis præscribit per modum officii, 81 num talis sit, qua ad quosdam actus Rectoris civitatis requiritur aliorum consensus, 78. num subsint potestati legislatoriæ, 815. an a superiore condi possint, 816. an superior eas interpretari possit, 820. an populus, 821. quomodo earum interpretatio fieri debeat, 822. quod Rectori civitatis perspectæ esse debeant, 1016. item consiliariis, 1017
contra *Legem naturæ* num superior dispensare possit, 825. num contra divinam, 825
Legis naturæ observantia in Rep. promovenda, 395. quomodo promovenda, 396. 397
Legi naturali addendorum, vel subtrahendorum, ut civilis efficiatur, ratio unde desumenda, 991
Leges peregrinæ qua cautione recipiendæ, 970. unde vim suam acquirant, 968
Legis permissivæ effectus, 976. si quod permittitur naturaliter illicitum, 584
Legi præceptivæ quando poenam adjici opus non est, 586
Lex suprema civitatis quænam sit, 86
Libellorum famosorum autores & vulgatores quomodo puniendi, 772. 773
Liberi quænam discere debeant in Rep. 431. num puniri possint ob facta parentum, 665. quantum eorum jus restringatur in civitate, 49. num post discessum parentum a civitate nati sint peregrini, 418. num eorum institutio sit curæ publicæ in Rep. 429. quinam succedere nequeant in regno hæreditario, 341. 342

Libe-

Digitized by Google

Liberi pauperes absque parentum sumtu instituendi, 743
Liberi perduellium an puniendi, 1069
Libertas in imperando quid importet, 46
Libertas civilis populi. Definitio, 145 qualis sit in democratia, 146. an detur in monarchia & aristocratia, 147. quando populus eidem renunciet, 148. quomodo eidem prospiciatur in Rep. mixta, 149
Libertas civitatis naturalis, 50. ejus effectus, 52
Libertas philosophandi in Rep. tuenda, 1025. num societati scientiarum concedenda, 447
Libertatis naturalis renunciatio in democratia, 195
Libertas populi naturalis, 55
Libertas singularum quantum in civitate restringatur, 47
Libertas societatum minorum quantum in civitate restringatur, 48
Librorum censores. Definitio, 477. in Rep. instituendi, 477
Librorum quorumnam impressio & venditio in Rep. prohibenda, 476
Licentia philosophandi non toleranda, 1025
Liguorum copia quod curæ esse debeat superiori, 728
Lignorum parsimonia præcipienda, 730
Lignorum pretium nefandum non fecendum, 729
Lis in foro quando finiatur, 545
Lites in foro exitum habere debent, 983. non protrahendæ, 985. ne ex litibus oriantur, cavendum, 984
Lotariæ num sint permittendæ, 715
Lucrum nimium ex ludis ut quis capiat, num sit permittendum, 734
Ludi quinam prohibendi, 753
Lues pecorum tempestive curanda, 719
Lusores. Definitio, 756. an eorum vitæ genus sit honestum, 756. an sint tolerandi in Rep. 757
Luxus. Definitio, 731. an sit damnosus, 732. an tolerandus, 733

M.

Majestas. Definitio, 206. cuiusnam sit in democratia, 208. cui competat in aristocratia, 246. 248. cui in aristocratia temporaria, 247
Magistratus. Definitio, 162. cujus nomine jus suum exerceant, 162 an superiori rationem reddere teneantur & ab eo coërceri possint, 162
Magistratus legum fundamentalium custodes in democratia, 193. eorum jus in actus senatorum & magistratuum cetenorum, 200
Magistratus tutelaris. Definitio, 760 ejus officium, 760
Maleficium. Definitio, 580. quale sit eorum, qui fine permissu Principis monetam cudunt, 939
Malitia num in puniendo attendenda, 632
Malitiosissimi quinam sint, 633. quomodo puniendi, 634

Digitized by Google

Malum morale an in se tale sit, ut puniri debeat, 542
Malum poenæ an æquale esse debeat malo culpæ, 641
Medicamentorum apparatus num curæ esse debeat superiori, 717
Medicinæ perfectio num curæ esse debeat superiori, 717
Medicorum necessitas in Rep. 717
Melancholia num a poena excuset, 671
Membra ecclesiæ. Definitio, 484
Membrorum extensio qualis sit poena, 615
Membrorum mutilatio qualis sit poena, 614
Mendicandi libido promiscua num toleranda in Rep. 745
Mendicationis illicitæ poena, 746. num ea sit permittenda, 735
Mendicorum cura num pertineat ad superiorem, 734
Merita præclara in Remp. vel Rectorem civitatis num præmiis condecoranda, 659. quomodo quis ad ea obligari possit, 771
Mitigatio poenæ num & quando licita, 658. 660. & seqq. num pertineat ad jura majestatica, 842
Modus habendi imperium qualis sit in populo, 93. quot modis variari possit, 97. quinam fideicommisso similis, 99
Monarcha. Definitio, 133. num populum repræsenter, 160. ejus jus in imperio exercendo, 255. 256. quale sit imperium ejus, 134. quinam modus habendi imperium, 134
Monarchæ temporario num majestas competat, 258
Monarchia. Definitio, 133. quantum sit in ea jus, 133. quid in ea pro voluntate populi habendum, 158
Monetæ cura ad superiorem pertinens, 801. & seqq. ejus bonitas intrinseca quomodo determinanda, 803. 804
Monetam nullius valoris intrinseci quando cudere liceat, 941
Monetæ probæ exportatio & vilioris invectio in Rep. non ferenda, 808
Monetæ adulterator. Definitio, 805 num puniendus, 806
Monopolium. Definitio, 874. an concessio sit privilegium, 874. quando nam concedi possit, 875. an in se sit illicitum, 876. an alienari possit, 879
Morbi contagiosi avertendi & ne grassentur impediendum, 718
Mores eruditorum aliorum famæ detrahentium in Rep. non ferendi, 1021 1022
Mulcta. Definitio, 590
Mulieris prægnantis poena capitalis num sit differenda, 666
Munera an accipere liceat officiorum publicorum collatoribus, 892
Munera publica. Definitio, 930. eorum effectus, 931. caute imponenda, 932
Mutilatio membrorum qualis sit poena, 614

Digitized by Google

N.

Negotia in civitate exitum habere debent, 983

Negotia publica. Definitio, 169. objectum, 170. ad quosnam eorum cura pertineat in democratia, 171. 172. quomodo decernenda, 157. quomodo populus ea per se agat, 173. 174. cur omnia per se agere nequeat, 175

Nepos ex filio num in regno præferatur filiæ, 374

Nepos ex filio priori num in regno præferendus filio posteriori, 370. 371

Nepos minor ex filio num præferatur in regno nepoti majori ex filia, 375

Neptis ex filio primogenito num præferatur in regno filio Regis, 376

Norma eorum, quæ in democratia constituenda, 194

Nosocomia. Definitio, 740. an in Rep. instituenda, 740

Numellæ qualis sint poena, 620

O.

Obedientia subditorum qualis esse debeat, 1043

Obedire num liceat, si superior legibus fundamentalibus adversa faciat, 1046

Obligandi modus ad præclara in Remp. merita, 771

Obligatio ob ea, quæ vi actus consequuntur, 628

Obligatio crimen læsæ majestatis non committendi unde veniat & vim suam accipiat, 1070

Obligationi naturali satisfaciendi modus quando a superiore determinatur, 982

Odisse Rectorem civitatis non licet, 1082

Oeconomia ruralis florere debet in Rep. 1032. ejus scientia a societate scientiarum excolenda, 449. 450

Officium generale Rectoris civitatis, 995

Officia humanitatis Rectori civitatis a subditis debita, 1078. num subditis debeantur a Rectore civitatis, 273

Officia erga Deum, seipsum & alios civibus ac incolis instillanda, 426

Officium publicum. Definitio, 884 quinam eo fungatur, 884. quamdiu quis fungi debeat, 899. num abdicare id liceat, 918. 920. ad obeundum num quis cogi possit, 923

Officii publici collatio quomodo perficiatur, 900. quodnam ex pacto, quo perficitur, nascatur jus, quænam obligatio, 901. si confirmationi subjecta, 888

Officia publica quot modis conferri possint, 887. quinam ea conferre possit, 886. num superior conferre possit per alios, 887. quibusnam sint conferenda, 890. an pro collatione certum pretium exigere liceat, 891. an munera accipere liceat conferenti, 892. num uni plura conferre liceat, 721. 924

Olla fortunæ num toleranda, 755

Onera Reip. Definitio, 774. quinam ferre debeant, 775. quomodo susten-

Digitized by Google

ſtentanda, 776. quomodo diſtribuenda, 777. quomodo determinanda, 778
Onera ordinaria. Definitio, 779
Onera extraordinaria. Definitio, 779 quando imponenda, 780
Opera mechanica quænam in Rep. caute inſtituenda, 1031
Operarum diurnarum duratio definienda, 721
Opes ſubditorum augendæ, 1027. 1028
Opifices ut labore ſuo rite fungantur, in Rep. curandum, 454. 455
Opificiorum ſcientia a ſocietate ſcientiarum excolenda, 449. 450
Opinionum religioni & bonis moribus adverſarum diſſeminatio num permittenda, 475
Optimates. Definitio, 135. quonam modo imperium habeant & quale, 136. num populum repræſentent, 160. quando valide mutent formam Reip. 253. quando negotia publica in comitiis agere teneantur, 245
Optimatum electio in ariſtocratia electiva. Definitio, 215. quodnam populo in eligendo jus competat, 216 quando electio nulla, 217
Optimatum numerus in ariſtocratia unde pendeat, 209
Optimates temporarii num abdicari poſſint, 254
Orphanotrophia. Definitio, 742. an in Rep. inſtituenda, 742

P.

Pacta generalia officium boni Principis exprimentia qualem habeant effectum, 126. an ſummitati imperii detrahant, idemque limitent, 127 an ſint leges fundamentales, 128
Parentes num puniri poſſint ob facta liberorum, 665. quando puniantur in liberis, 667. quando puniri in liberis debeant, 668. quomodo ipſis beneficium reddatur in liberis, 659
Pars minor an reniti poſſit majori in democratia, 196. 197
Partes potentiales dominii. Definitio, 96
Partes potentiales imperii. Definitio, 63
Partes ſubjectivæ imperii. Definitio, 230
Patrumfamilias jus quantum in civitate reſtringatur. 49
Pauperum cura num pertineat ad ſuperiorem, 734
Paupertas civium declinanda, 726
Pecuniæ uſus opificibus pro levibus uſuris comparandus, 750
Peinliche Frage, 677
Peregrinus. Definitio, 7. num peregrini ſint liberi poſt diſceſſum parentum a civitate nati, 416
Perfidia in crimine læſæ majeſtatis contenta, 1072
Permiſſio eorum, quæ contra legem naturæ, aut divinam ſunt, quid importet, 827
Perſonarum reſpectus quatenus in puniendo licitus, 635
Peſtis avertenda & ne graſſetur impediendum, 718
Pietas in Rectore civitatis requiritur, 1006

Digitized by Google

Pietas subditorum num curæ esse debeat Rectori civitatis, 457
Pluralitas votorum num valeat in democratia, si in hoc malitia adversus aliquos appareat, 201. quando non valeat in democratia, 202
Poenæ quantæ legibus addendæ, 585 quænam jure majestatico determinentur, 833. num rigorose sint exigendæ, 656. num executioni dari possint in cadavere, 705. num tollantur, si voluntas non esset libera, 714. quando facilius remittatur, 664
Poenis quinam coëroendi in Rep. 647
Poenæ arbitrariæ, vel *extraordinariæ*, Definitio, 623
Poena capitalis. Definitio, 601. quando sit licita, 638. quando differenda, 706. & seqq. num confirmatione habeant opus, 841
Poena capitalis mulieris prægnantis num sit differenda, 666
Poenarum capitalium augmenta quid & qualia sint, 610
Poena carceris. Definitio, 598
Poenæ civiles. Definitio, 622. in quo consistant, 588
Poenæ criminales. Definitio, 622
Poenæ exemplares publice exigendæ, 624
Poena corporis afflictiva. Definitio, 611. quando differenda, 706. & seqq.
Poenæ graviores quando licitæ, 637
Poenæ infames. Definitio, 619
Poena infamiæ. Definitio, 618
Poenæ injustæ, quæ irrogantur obedire nolentibus, si legi naturæ repugnantia imperantur, 1045
Poenæ legibus constitutæ num subditis notæ esse debeant, 662
Poenæ malum num culpæ malo æquale esse debeat, 641
Poenarum mitigatio & remissio ad quænam jura pertineat, 842
Populus. Definitio, 5. quale sit ens, 190. quale habeat principium unionis, 492. quamdiu maneat idem 495. num maneat idem mutatis sedibus, 504. mutata Reip. forma, 505 mutata democratia in regnum, 506 quando intereat, 497. & seqq. num naturaliter liber sit, 55. num semper habeat summitatem imperii, 59 quomodo alteri subjiciatur, 56. quando per deputatos in comitiis conveniat, 186. quomodo imperium transferre naturaliter obligetur, 87. a quonam repræsentetur in monarchia & aristocratia, 160. quando tacite consentiat in mutationem Reip. ab optimatibus factam, 253. num stare teneatur judicio monarchæ & optimatum, 159. quomodo sibi reservet jus in actus Rectoris civitatis exceptos, 121. quid facere debeat in casu dubiæ successionis, 384. num uni competitorum adversus alterum auxilia ferre possit, 385
Populi conventio originaria de divisione

Digitized by Google

ne imperii in partes ſubjectivas, 233
Populi jus in imperio, 34. jus de eo transferendo, 36. & ſeqq.
Poteſtas eminens. Definitio. 114. num Rectori civitatis competat, 114. unde oriatur, 118. num ſub imperio contineatur, 114. an cum eodem transferatur, 115. qua æquitate exercenda, 119
Poteſtas legislatoria. Definitio, 812 cuinam competat. 813. 814
Potuum ſalubritas num curæ eſſe debeat ſuperiori, 716
Præcedentia num ſit medium aptum ad honorem exhibendum, 764. num debeat eſſe venalis, 767
Præceptores. Definitio, 432. quales conſtituendi, 436. cur, ſuo munere ut rite fungantur, curandum, 437
Præmia num debeantur meritis præclaris in Remp. vel Rectorem civitatis, 659
Præſes ſocietatis ſcientiarum. Definitio, 442. qualis eſſe debeat, 443
Pretium rerum & laboris in Rep. determinandum, 424
Pretioſitas rerum ſacrarum quem habeat uſum, 521. an conveniat juri naturæ, 522. quatenus attendenda in illarum alienatione, 523
Principatus quid ſit, 260
Principis educatio quoad virtutem, 1005
Principibus, qui ſub populo ſunt, quando reſiſti poſſit, 1054
Principium unionis. Definitio, 491 uſus ejus, 491
Privatum quid ſit, 23
Privilegium. Definitio, 853. quid proprie ſit, 854. quinam dare poſſit, 855 quem habeat effectum, 861. unde pendeat, 856. quot modis concedi poſſit, 857. cur dandum, 872. quando tollendum, 873. an in poenam auferri poſſit, 858. num in partem ſalarii imputari, 906. an alienari, 877. 878. ſi perſonæ & hæredibus detur, 866
Privilegii interpretatio, 867. cuinam competat, 860
Privilegium ad tempus datum num ante tempus mortuo privilegiario pertineat ad hæredes, 880
Privilegium certo ordini, vel collegio datum, 869. an ſit revocabile, 870 an transeat ad hæredes, 871
Privilegium familiæ. Definitio, 868 quando expiret, 868
Privilegium perſonale. Definitio, 864 quale jus ex eo acquiratur, 864 quando expiret, 865
Privilegiarius. Definitio, 853. unde jus ejus metiendum, 859. quale obtineat, 861
Privilegiatus. Definitio, 853. num uti poſſit privilegio adverſus æque privilegiatum, 862. quod ſuperior eum tueri teneatur, 863
Prodigis num dandus curator, 752
Profanatio rerum ſacrarum. Definitio, 482
Profeſſor. Definitio, 435. quales conſtituendi,

Digitized by Google

ſtituendi, 436. cur, ut munere ſuo rite fungantur, curandum, 437
Proprietarius imperii civilis quinam ſit, 41
Protectio artium & ſcientiarum. Definitio, 1023. num ſuperiori competat, 1024
Provocatio ad ſuperiorem contra ſententiam judicis num permittenda, 547
Prudentia in Rectore civitatis requiſita, 1007
Prudentia civilis a ſocietate ſcientiarum excolenda, 451
Ptochotrophia. Definitio, 738. an in Rep. inſtituenda, 738
Publicum quid ſit, 23
Puniri quot modis homo poſſit, 589 num quis poſſit ante legem latam, 663
Pupillorum egenorum educatio num curæ eſſe debeat ſuperiori, 741

Q.

Quæſtio quid dicatur in criminalibus, 677
Qualitates patientis quatenus in puniendo attendendæ, 635
Quaſi maleficium. Definitio, 580

R.

Rapina poena capitalis num ſit licita, 840
Rector civitatis. Definitio, 42. unde metiendum jus ejus, 43. obligatio in qualibet civitate, 84. officium generale, 995. quod bene regere debeat Remp. 995. qualis eſſe debeat, 996. quando imperium pleno jure habeat, 94. num ſit dominus fundorum, vel rerum, quas habent cives, 104. an de iis pro lubitu diſponere poſſit, ſi habeat imperium abſolutum & ſummum, 105. quando certo modo poſſit diſponere de rebus ſubditorum, 110. quando de perſona eorum, 113. num conſilio prudentum uti debeat in regimine, 998. num diſcernere conſilia ſibi data, 1002. quatenus teneatur de eo, quod judices faciunt, 1035. quod omni virtute excellere debeat, 1003 virtutem amare, vitium odiſſe, 1004 populum ſuum amare, 276. 1009 num ſubditis præſtare obligetur officia humanitatis, 273. 274
Rector civitatis temporarius num monarcha eſſe poſſit, 257
Reditus ex domaniis num ſint in dominio Rectoris civitatis, 788
Refutatores alios traducentes & infamantes num puniendi, 650
Regere Remp. quinam debeat, 881 882. quotuplici modo regatur, 883
Regimen malum quodnam ſit, 85
Regimen rectum quodnam ſit, 85
Regiminis capaces quinam ſint in democratia, 168
Regnum. Definitio, 139. num monarchia ſit regnum 139. an illud per teſtamentum relinqui poſſit, 298. an abdicari pro ſe & liberis ſuis, 366 num plures dentur ſpecies, 261. unde

Digitized by Google

de oriatur diversitas, 277. eo derelicto, quantum liceat in Regem, 1056. quantum si committatur ex felonia, vel clausula commissoria, 1061
Regni capax quinam sit, 333
Regni incapax quinam sit, 333
Regni capacitas absoluta. Definitio, 333
- - *respectiva.* Definitio, 333
qualis ea sit, 334
Regnum asymneticum. Definitio, 259
an sit monarchia, 259
Regnum electivum. Definitio, 278
quale sit, 319
Regnum hæreditarium. Definitio, 335
an sit pars hæreditatis, 336. an in eo succedens hæreditatem repudiare possit, 337. num in eo succedatur secundum jus naturæ, 340
Regnum herile. Definitio, 264. num sit naturaliter licitum, 271. quando non injustum, 272. num in eo officia humanitatis debeantur subditis a Rege, 274
Regnum invitum. Definitio, 297
Regnum Laconicum. Definitio, 260
quinam in eo habeat summitatem imperii, 260
Regnum legitimum. Definitio, 262. qualis sit forma Reip. 262. unde Regis jus in eo metiendum, 263
Regnum patrimoniale. Definitio, 155
num a Rege in aliam formam mutari possit, 291. num in partes potentiales dividi, 291. num in subjectivas, 294. num liberi omnes æqualiter succedere debeant in partes subjectivas, 296. quid eo alienato liceat in Regem, 1057
Regnum patrimoniale imperfecte tale. Definitio, 292. num immutari a Rege possit, 293. num in partes potentiales dividi, 293
Regnum patrimoniale perfecte tale. Definitio, 292
Regnum successorium. Definitio, 279
cur introductum, 324. num sit hæreditarium, 336
Regnum voluntarium. Definitio, 297
Regnum usufructuarium Definitio, 155
ejus alienatio qualis sit actus, 1058
quando alienanti resisti possit, 1058
Regressus fœminarum ad successionem in regno deficientibus masculis, 344
Relegatio. Definitio, 595. ejus effectus, 595
Relegatio perpetua. Definitio, 596
- *temporaria.* Definitio, 596
Religio num Rectori civitatis curæ esse debeat, 959
Religiones diversæ num in Rep. tolerandæ, 957
Religionis contemtus num sit ferendus, 959
Remissio poenarum num & quando licita, 658. 660. & seqq. num pertineat ad jura majestatica, 842. an ejus rationes publicandæ, 657
Remotio ab officio. Definitio, 898
quando injusta, 913. quando justa, 915.

Digitized by Google

915. quando fiat in poenam, 916
Renunciatio foeminarum in regno successorio quando inutilis, 343. quando utilis, 345
Renunciatio libertatis naturalis in democratia, 195
Renunciatio pro liberis an noceat successioni eorum in regno, 368
Reparari quænam possint, 572
Rerum necessariarum, utilium & voluptuariarum copia num curæ Rectoris civitatis esse debeat, 420
Rerum pretium in Rep. determinandum, 424
Rerum sacrarum profanatio. Definitio, 482
Res ad cultum divinum privatum adhibitæ quales sint, 488
Res ecclesiasticæ, sive ecclesiæ. Definitio, 485. cujusnam sint, 507. an semper maneant ecclesiæ, 508. cujusnam sint ecclesia intereunte, 524 a quonam tum acquirantur, 525 quando eas acquirat Rector civitatis, 526. cujusnam sint, mutata religione, 527. quando eas Rector civitatis ecclesiæ novæ relinquere debeat, 528 num ab ecclesia alienari possint, 510 511. num oppignorari, 516. quando oppignoratio alienationi præferenda, 517
Res industriales & artificiales num multiplicanda in Rep. 421
Res judicata. Definitio, 553. effectus, 554
Res pecuaria promovenda, 1032
Res pretiosæ. Definitio, 520. quemnam habeant usum, 521
Res profanæ. Definitio, 482
Respublica. Definitio, 16
Reipublicæ constitutio. Definitio, 393 ejus principium, 394
Resp. mixta. Definitio, 138. unde oriatur, 138. quidnam in ea habeatur pro voluntate populi, 161
Res sacræ. Definitio, 481. quænam sint, 481. quando iisdem abutantur, 481 quomodo naturaliter consecrentur, 483. quomodo civiliter, 483. num pretiosæ esse debeant, 520. num pretiositas conveniat juri naturæ 522 num ab ecclesia alienari possint, 510 & seqq. num oppignorari, 516. quando oppignoratio alienationi præferenda, 517. quatenus pretiositas in alienatione attendenda, 523. cujusnam sint, 507. an semper maneant ecclesiæ, 508. cujusnam sint, ecclesia intereunte, 524. a quonam tum acquirantur, 525. quando eas aequirat Rector civitatis, 526. cujus sint, si religio mutetur, 527. quando eas ecclesiæ novæ relinquere debeat Rector civitatis, 528
Res sacræ ceremoniis inservientes quales sint res, 519
Res sacræ necessariæ. Definitio, 518
Res sacræ utiles. Definitio, 519
Reverentia superiori debita, 1049
Reus criminis num incarcerandus, 692 quamdiu in carcere detinendus, 693

Digitized by Google

num ad poenam capitalem absque defensione condemnandus, 675. qua cura detegendus, 692
Rex. Definitio, 139. quatenus tanquam privatus spectatur, 285. num de regno patrimoniali disponere possit, 298. quando regnum amittat, 322. qualis sit persona, regno ex felonia, vel clausula commissoria commisso, 1061. quantum in eum liceat, si in exitium populi hostili animo fertur, 1060
Rex electus quidnam promittere debeat, 318 num regnum abdicare possit, 320. an ipse a populo abdicari, 321. quando regnum amittat, 322
Rota fortunæ num toleranda, 755
Rotæ supplicium qualis sit poena, 606

S.

Salaria. Definitio, 905. quanta esse debeant, 907. 721. an diminui possint, 903. 904 quando augenda, 908 sine mora solvenda, 902
Salus civitatis in quo consistat, 17. quid ejus cura exigat, 20
Salvus conductus. Definitio, 700. quid operetur, 700. quando & quomodo concedendus, 699. 702. quamdiu duret, 701. quando finiatur, 703
Salvus conductus generalis. Definitio, 700
Salvus conductus specialis. Definitio, 700
Sanitas subditorum num curæ esse debeat superiori, 715
Sapientia in Rectore civitatis requisita, 1007
Scelera foeda num puniri possint in Rep. 655
Scelera, quibus alius læditur, num puniri possint, 654
Scholæ. Definitio, 433. num in Rep. constituendæ, 436. num superiori curæ esse debeant, 1019
Scholæ inferiores. Definitio, 434
Scholæ pauperum. Definitio, 744. an in Rep. instituendæ, 744. an cum orphanotrophiis conjungendæ, 744
Scholæ superiores. Definitio, 434
Scientiarum incrementa in Rep. promovenda, 438
Securitas Reip. Definitio, 11
Senatus. Definitio, 188. an sit magistratus, 188. autoritas in democratia, 189. necessitas ejus in democratia, 190. jus quoad comitia, 191
Senatus aristocratici autoritas, 248
Sententia definitiva. Definitio, 543. quando a judice ferenda, 548
Sententia judicis. Definitio, 543
Sententiæ se submittere quinam dicatur, 543 quo effectu id fiat, 545. se submittere nolens ad quid obligetur, 546
Sepultura num denegari possit facinorosis, 669
Sepultura autochirum qualis licita, 712
Sepultura inhonesta & asinina qualis sit poena, 621
Sinceritatis amor Rectori civitatis conveniens, 1013
Societatem civilem contrahentes quatenus de religione convenire nequeant, 947. de quibusnam ad cultum divinum externum spectantibus convenire possint, 950
Societates artium. Definitio, 452. in Rep. instituendæ, 453
Societas scientiarum. Definitio, 439. ejus finis, 441. an in Rep. instituenda, 440. quod suas leges habere debeat, 444
Societas necessaria, ut consulatur indigentiæ singularum domuum, 3
per Somnium facta num imputari possint, 671
Status civitatis num superiori perspectus esse debeat, 1038
Statuta. Definitio, 445
Statutorum societatis scientiarum materia, 446. & seqq.
Status popularis. Definitio, 131. quod sit maxime naturalis, 132. quomodo negotia publica in eo definienda, 157. an mutetur, exercitio imperii aliis commisso, 164
Steuer, 926

Stigma-

Digitized by Google

Stigmatum poena qualis sit, 617
Strangulatio qualis sit poena, 605
Stupri violenti poena capitalis num sit licita, 840.
Subditus. Definitio, 141. quinam sint in democratia, 142. in aristocratia, 143. in condominatu, 144. quales sint in regno herili, 270. quod amare debeant Rectorem civitatis, 1079. 1080. quod tuti præstandi ab injuria aliorum, 532
Subditorum res num subsint juri Rectoris civitatis, 110
Submersio & suffocatio in aquis qualis sit poena, 607
Subsidia præstanda iis, qui ad Scientias & artes perficiendas apti sunt, 427
Succedendi in regno modus unde definiatur, 323
Successionis in aristocratia successoria lex unde pendeat, 218
Successio in regno ex testamento & in bonis privatis ab intestato quando fieri possit, 300
Successio in regno infeudato, 339
Successio in regno ex filiabus Regum natorum, 358
Successioni in regno num quis pro se & liberis renunciare possit, 367
de *Successione in regno* quid præsumendum in casu dubio, 325
Successio ab intestato in regno patrimoniali, 301
Successio Castiliana. Definitio, 352. qualis ea sit, 354
Successio hæreditaria in regno. Definitio, 320 quomodo succedatur, 326. 328. num fiat secundum jus naturæ, 340. num mutetur, mutata successione ab intestato, 338. quinam liberi ab ea excludantur, 341. 342
Successio linealis. Definitio, 346. an præstet aliis modis succedendi in regnis successoriis, 346. cur in ea mortui habeantur pro vivis, 347. quomodo regnum transmittatur, 347 quomodo jus ad regnum, 348
Successio linealis agnatica. Definitio, 350
Successio linealis cognatica. Definitio, 352 quotuplex, 352. quomodo substituatur in locum agnaticæ, 356
Successio linealis cognatica primi generis. Definitio, 352. qualis sit, 353. exemplis declaratur, 355
Successio linealis cognatica secundi generis. Definitio, 352. qualis sit, 354. exemplis declaratur, 395
Successio Malabarica in regno. Definitio, 358
Successio secundum gradus familiæ in regno, 357
Successiones singulares in regno, 359. 360. 362
Sufficientia vitæ. Definitio, 10. num pertineat ad finem civitatis, 13
Summitas imperii in quo consistat, 44. ejus effectus, 45. non confundenda cum potestate arbitraria, 1011. 1012. quomodo de ea disponere possit populus, 58. an semper sit penes populum, 59. num partibus divisis adhærere possit, 65. quando derogetur ei in infeudatione, 101. quod ejus usurpatio in democratia præcavenda, 192
Sumtus ad sustentandam regiam familiam & obtinendum dignitatis regiæ splendorem necessarii, 784. 785
Superior. Definitio, 141. per quosnam civitatem regat, 885. quinam sit in democratia, 142. in aristocratia, 143. in condominatu, 144. cur magnificiendus, 1048. quando ei non obediendum, 1044
Supplicare quid sit, 1050. num subditis semper liceat, superiore nimis dura, vel iniqua imperante, 1051
Supplicatio. Definitio, 551. an sit permittenda, 551. an tollat appellationem, 552
Supplicium ignis qualis sit poena, 608
Supplicium ultimum. Definitio, 601
Suspendium qualis sit poena, 603
Suspensio ab officio. Definitio, 898. num in poenam fieri possit, 917

T.

Tacite permissa in Rep. 583

Digitized by Google

Taffelgütter, 786
Talio. Definitio, 639. an sit juris naturalis, 640
Templa. Definitio, 461. in Rep. condenda, 462 eorum figura, 465. quales sint res, 518
Territio. Definitio, 678. unde dependeat ejus effectus, 682
Territio nuda, sive *verbalis* in quo consistat, 678
Territio realis in quo consistat, 678
Territorium. Definitio, 166. in alieno commorantes vel bona possidentes quatenus subsint juri domini territorii, 167
Testamentum Regis privatum. Definitio, 299
Testamentum Regis regium. Definitio, 299
Testis quando incarcerari possit, 697
Theoria legum civilium. Definitio, 966
Timocratia. Definitio, 137
Tituli. Definitio, 763. num debeant esse venales, 767. num sint modi apti ad honorem bene de Rep. merentibus exhibendum, 764
Tortura. Definitio, 677. finis, 678. in quo consistat, 680. an sit apta ad eruendam veritatem, 681. quando non adhibenda, 683 684. quando naturaliter illicita, 685. 686 quando injusta, 687. quando licita, 688 quando ea uti inconsultum, 689
Tortura spiritualis. Definitio, 690. quando eidem non sit locus, 691
Tragoediæ. Definitio, 529. earum usus, 530 utilitas in Rep. 531. cura Rectoris civitatis circa eandem, 531
Tranquillitas Reip. Definitio, 11
Tributum. Definitio, 926. quomodo impendendum, 934. effectus, 931
Tributa nova caute imponenda, 932
Tributariæ res quænam sint, 927
Tutela num sit curæ superioris, 758. 759
Tutela subditorum adversus aliorum injurias, 532

V.

Vectigal. Definitio, 929. effectus, 931. quomodo impendendum, 934
Vermögenſteuer, 926
Venustas ædificiorum publicorum, 725
Viarum publicarum commoditas procuranda, 722
Vicarii imperii. Definitio, 317. unde jus æstimandum, 317
Virtus subditorum num curæ esse debeat Rectori civitatis, 456
Vitæ generis, cui destinandi subditi, quinam determinare debeant, 428
Vitæ sufficientia. Definitio, 10. num pertineat ad finem civitatis, 13
Vitia foeda num prohiberi & puniri possint in Rep. 655
Unionis principium. Definitio, 491. usus ejus, 491
Unionis principium in populo, 492. ecclesia, 492
Universitas in civitate quomodo spectanda, 576
Universitates quænam scholæ appellentur, 434
Voluntas monarchæ num haberi debeat pro voluntate populi, 158
Voluntas optimatum num pro voluntate populi habenda, 158
Vormundſchaffts-Amt, 760
Vota absentium in comitiis, 185
Votorum paritas in aristocratia, 244
Votum decisivum in democratia, 198. cuinam competere debeat, 199. num populo competat in aristocratia, 244
Usuraria pravitas num toleranda, 748. ejus poena, 749
Usurarum quantitas num a superiore definienda, 749
Usufructuarius imperii civilis quinam sit, 41

FINIS INDICIS
&
JURIS NATVRÆ UNIVERSI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XVII
D 10

Digitized by Google